EXERCITIVM

PERFECTIONIS

ET

VIRTVTVM CHRISTIANARVM,

Auctore

R. P. ALPHONSO RODERICIO
Vallisoletano Societatis IESU Sacerdote,

in tres partes distributum,

Interprete Matthia Martinez.

Opus cùm omnibus Deo seruire volentibus, tum potissimùm Societatis IESV Religiosis accommodatum.

EDITIO TERTIA EMENDATA ET RECOGNITA AD EXEMPLAR HISPANICVM & alias Translationes, per PP. Societatis IESV.

CUM NOVO INDICE RERUM, ITEM CONCIONIBUS ET Exhortationi[illegible] accommodato.





COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM ANTONIVM KINCHIVM
Cum Priuilegio S.C.M. & permissu Superiorum.

ANNO M. DC. LVII.

DIVISIO OPERIS.

Pars I. complectitur varias Virtutis & Perfectionis consequendæ rationes.

Parte II. agitur de Exercitijs ipsarum virtutum, ad omnes pertinentium, qui Deo seruire intendunt.

Parte III. De virtutum ad statum religiosum spectantium exercitio, & rebus alijs ad perfectionem conducentibus.

ILLVSTRISSIMO
AC
REVERENDISSIMO
Domino,

D. ARNOLDO

BARONI AB HOENSBRVCH DOMINO IN OSTHAM, MOLL, ET Beringen, Cathedralis Hildesiorum Ecclesiæ PRÆPOSITO MERITISSIMO, Metropolitanæ Magdeburgicæ & Cathedralis Leodiensis Ecclesiarum Canonico:

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS COLONIENSIS CONSILIArio &c. Domino & Patrono suo Colendissimo,

IOANNES ANTONIUS KINCHIUS Felicitatem à Christo Deo precatur.

Illustrißime, Reverendißime D. Patrone Colendißime.



OPtimè inveterata consuetudo, & conveniens agendi ratio postulat, vt, quotiescunque libri novam impressionis lucem, seu vetusti, seu novi subeunt, susceptores illis & Patroni statim præ manibus sint, qui dextram renascentibus dent, atque Illustriori in loco positos in honorem legentium adducant. Annos ducentos

&

& quindecim iam tenet inventrix Germania artē hanc impressoriam Eugenio IV. Pontifice Maximo & Friderico tertio Imperatore Augusto Christianæ Reipublicæ præsidentibus ad maximum eruditionis & pietatis humanæ commodum anno Christi M. CCCCXLII. excogitatam expressamque; ex eo namque tempore hic mos inolevit. Librarij etiam veteres, qui Volumina exscribendo suam orbi literario præbuerunt operam, si non omnes, certè multi ex ijs idem fecêre. Vti enim liberis ad fontem Christianum susceptores & quasi proparentes à Patribus quæri solent, ita libris Patroni asciscuntur, postquam à typographia recentes sunt, & inter literatos versari incipiunt. Argumentum verò libri vt se habet, ita illi Patronus plerumque comparatur, cuius nomine inscriptus in conspectum veniat lectorum. Imprimendum curaverat ante annos aliquot D. Parens meus Carissimus Ioannes Kinchius, R. D. Alphonsi Rodericij *de Perfectione Christiana*, Volumen, rarum sanè & pietatis germanæ: de quo viro illud verissimè dici potest, secundùm Thomam de Kempis, qui Christianæ integritatis numeros implevit scribendo, neminem religiosius de perfectione interioris hominis, neminem perfectiùs de religione verâ, & in Deum rectissimè intentâ unquàm scripsisse, nec enim religiosas inter familias quisquam hodie reperitur, qui illum sibi familiarissimum non habeat. Arguunt hoc inprimis, hi ejus libri in

omnium

omnium prope gentium sermones & linguas conuersi; qui cum ab authore Hispano, Hispanicè quoque perscripti essent, Latinè, Gallicê, Teutonicè, Italicè loqui ab alijs ob tantam, tamque admirandam perfectionem facilè didicerunt, & omnium bene Christianorum manibus quotidie teruntur. Hoc igitur Volumen latinitate donatum, quum à D. Parente meo typis commissum haberetur, ita quæsitum, ita coemtum subitò fuit, ut cunctis exemplaribus jam divenditis duarum editionum, iterum lucem aspicere optaret. Quare mihi ab optimo sene, de manu veluti in manum commendatum est, vt recudendum à me, & viris pietati Christianæ inter quos Illustrissimum Dominum meum non sine caussa pono, vtpote quem videam pijs hujusmodi lucubrationibus impensè delectari, deditis repræsentandum denuò curaretur. Ego ne deessem Patris voluntati & piorum votis, qui id vehementer expetebant, facerem satis, recognoscendum illud Societatis Iesu Patribus commisi, qui ad Hispanicum exemplar conferrent, & sicubi in superioribus hallucinati vel interpres vel impressor forent, ab ijs emendaretur. Factum id gnaviter, & quia tertio iam prælo subiectū est, non potui, quin ita renascenti Patronum quærerem js melior mihi aut Domino Parēti meo gratior, quàm Illustrissima & Reverendissima Dominatio Vestra, cujus nomini dedicarem, nullus inveniri potuit. Agnoscimus enim vterque singula-

gularem ſemper in nos benevolentiam, ac favorem Illuſtritatis veſtræ, cujus benevolentiæ, vt ſaltem aliquod exſtaret apud poſteros animi grati, & beneficij non immemoris teſtimonium, dedicatoriam veſtro nomini epiſtolam ad Rodericianæ perfectionis atrium conſtituere volui: non quod eo genere gratiarum actionis, benevolentiam hanc omnem & favorem à nobis remunerata eſſe credamus; verùm, ut quaſi teſſera bonæ voluntatis, hæc inſcriptio habeatur. quippe indignus eſt homo qui ametur, ſi benevolentes ſibi & amicos non redamat, aut aliquo officio vel modico eos demereri negligit. Porrò tanta ſunt & veſtræ, & cognatæ vobis familiæ, in parentem meum, atq; me benevolentiæ merita: vt quum ad Illuſtriſſimum genus veſtrum nullo modo comparādi ſimus, ita tamen cum Domino Parente meo, cuius ætas adhuc viuida eſt, familiariter & amicè tot annis verſati eſtis, Humanitatis illa & virtutis veſtræ laus maxima cenſeri debet. Hærent illa in vtrumque noſtrũ intimis animo receſſibus beneficia, & quibus gratificādo impares ſumus, cogitando obliviſci non decet. Quare mēs noſtra grati animi ſignificationē nō poteſt omittere etiamſi amicitiā tanta, & honore indignus referre paria nequeat. Generoſiſſimus Comes Godefridus ab Huyn in Geleen, Cæſariani quondam Exercitus Mareſcallus & Conſiliarius Bellicus, Ordinis Teu-

Teutonici Commendator Generalis, vir pius, vitæq; inculpatæ, atque in toga perinde vt sago spectabilis, cognatus & consanguineus vester pari ac vos ipsi benevolentia complexus est Kinchios, dum viveret, sed, eheu! felebris in cœlum illi exitum non ita pridem è vita mortali aperuit, nunquam dum literæ vivũt morituro, vel excessuro ex hominum memoriâ. nam pro libertate Cæsaris, Imperiiq; Romani, ac Fide Catholica tribus vulneribus gloriosè affectus in Franconia, dum postea sanus fit, dexteritate suâ ac fortitudine animum inspirans militi suo, Hoechstium à Brunovicensibus oppidum recuperat, & in VVestfalia expulsis inde Suethicis Huxteriam Cæsari restituit. Hæc eum bellicæ virtutis fama ab excessu nunquam deseret. Quare si quid ab eo veluti à cognato & cognitæ Catholicis fidei heroe mortuo luctûs, in Illustrissimæ D. V. animo adhuc residet, faciet spero dedicatus hic Rodericianæ consolationis liber, vt is penitus abstergatur, & rursum, quantum ex tanti viri amissione, tristitiæ se ingessit: tantum è contrario gaudij renascatur, quum ex agnatis Illustrissimæ familiæ vestræ subrogatus sit piè mortuo Excellentissimo Comiti de Geleen Illustrissimus Ægidius Emundus Baro à Bucholtz, & d'Orey Dominus in Granuille &c. vir non minus virtutum quàm, natalium splendore nobilissimus, & Kinchiis benevolentissimus. huic viro congratulanda est, accepta supremæ Teutonici

Or-

Teutonici Ordinis Commendaturæ dignitas, quia ad genus vestrum pertinet,& spartam quæ illi ex dignitate meritoque obtigit,ornare suis virtutibus nunquam, uti ominamur,desistet. Faxit Optimus Deus, vt cum valetudine diuturnâ rem hanc lætus administret. Illustrissimam quoque& Reverendissimam D. V. cum Illustrissimo D. Fratre & Cognatione tota Christus omnium, salutis author,ita multos in annos feliciter hospitet, ut D. Parenti meo, mihique & liberis meis non minus quàm libris, amicus & patronus perpetuus exsistat.

Dabam in Colonia Tricoronata Vbiorum, ex ædibus librariis anno M. DC. LVII. exeunte autumno, quum Romanum ex morte Diui Ferdinandi tertij interregnum adhuc duraret.

Ill.mi & R.mi

Domini & Patroni mei servus & cliens

Ioannes Antonius Kinchius

I. INDEX.

ALPHONSI RODERICII S. I.

Ordine Alphabethico trium Partium materiam ordine Alphabeti complexus, in quo numeri, primus Partem: secundus Tractatum illius Partis, tertius Caput Tractatus indicat, cum quartus numerus accedit numerum capitis partibus adscriptum importat.

A.

Con-

* * *

D.

E.

F.

pla-

 14.n.1.

Ctio,

L.

batus

*** effectu

P.

Quies

Sui

T.

Vana

sempe.

II. INDEX
CONCIONATORIUS, QUI AD I. INDICEM MATERIA nominata lectorem remittit.

Festa SS. ex ordinatione Vrbani VIII. celebranda universim, prater ea quæ iam Dominicis sunt inserta.

FINIS.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus IOANNIS ANTONII KINCHII

Ex Typographiâ

VRBANI KRAFFT, ſub ſigno Solis Facultatis Theol. Typogr. Anno 1657.

Gosvvinus Nickel Societatis Iesu Præpoſitus Generalis.


Mnibus,in quorum manus hæ litteræ venerint,ſalutem in Domino ſempiternam. Cum ex privilegio S. Cæſareæ Majeſtatis, & aliorum Principum noſtræ Societati conceſſo Bibliopolis omnibus interdicatur, ne libros à noſtris Religioſis conſcriptos abſque ſuperiore ejuſdem Societatis licentia typis mandare audeant:& aliquando contingere poſſit, quod cum quiſpiam noſter Provincialis hujuſmodi facultatem D. Ioanni Antonio Kinchio Civi & Bibliopolæ Colon. vel ſucceſſori ſuo fecerit imprimendi aliquem ex dictis libris, alter Provincialis alteri Bibliopolæ ſimilem licentiam circa eundẽ ipſum librũ concedat,in nõ leve ipſius D. Ioannis Antonii Kinchii vel ſucceſſoris damnum, & detrimentum. Nos viri hujus alioqui Soc. noſtræ Studioſiſſimi ac bene de ea plurimis modis meriti, indemnitati (ne ex hujuſcemodi impreſſione aliquod diſpendium patiatur) conſulere volentes, hiſce noſtris literis noſtris omnibus ſignificamus, mentis noſtræ eſſe, quod ſi quando eveniat, aliquem noſtrum Provincialem illi, vel ſucceſſori ſuo dediſſe licentiam imprimendi, quodpiam noſtrorum hominum volumen, nulli alii Provinciali, cujuslibet Provinciæ licitum ſit circa idem ipſum volumen typis mandandum, aliis Bibliopolis facultatem facere.

Atque adeo cunctis noſtræ Societatis tam mediate, quam immediate ſuperioribus harum ſerie prohibemus, & interdicimus, ne poſtquam à præfato D. Ioanni Antonio Kinchio, vel ſucceſſori ſuo certiores facti fuerint, ſibi ab aliquo noſtro Provinciali fuiſſe conceſſam licentiam imprimendi aliquem ex dictis noſtrorum libris, ulli alteri Bibliopolæ ſimilem facultatem eundem ipſum librum imprimendi faciant, nec impertiantur. Dat. Romæ die 9. Martii 1654.

Goſvvinus Nickel.

Loc. Sig.

FACVLTAS R.P. PROVINCIALIS.

Vm ex Mandato Sacræ Cæsareæ Maiestatis, omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, & aliis quamcumque librariam negotiationem exercentibus serio firmiterque inhibeatur, ne quisquam vllos libros à Societatis Iesu Patribus hactenus editos, vel imposterum edendos, intra S.R.Imperij, Regnorum & Dominiorum suæ Cæsareæ Maiestatis, hæreditariorum fines, simili aliove characteris genere, aut forma, sive in toto sive in parte excudere, recudere, vel alio excudendos aut recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere & distrahere clam seu palam, citra consensum ac testimonium supradictorum Patrum audeat vel præsumat: Ego Ioannes Zwenbruggen Societatis Iesu. per Rhenanam inferiorem Provincialis ab Adm.R.P.N.Goswino Nickel, mihi factâ, concedo Ioanni Antonio Kinchio Civi & Bibliopolæ Coloniensi facultatem excudendi librum cuius Titulus est: *Exercitium perfectionis & virtutum Christianarum* Authore R.P. Alphonso Rodericio Societatis nostræ Sacerdote & iuxta eius exemplar Hispanicum de nouo à quodam Sacerdote Societatis eiusdem recognitum. In cuius fidem hoc ei testimonium manu nostra subscriptum & Sigillo nostro munitum dare voluimus.

Dabam Coloniæ 2. Martij Anno 1656.

Ioannes Zwenbruggen.

ELEN-



ELENCHVS TRACTATVVM ET CAPITVM, QVÆ PRIMA PARTE continentur.

Tractatus Primus.

Quanti ea, quæ ad profectum nostrum spiritualem faciunt, æstimanda sint, & quantum ipsi erga eadem debeamus affici, ac de rebus nonnullis, quæ ad hoc nobis vsui futuræ sint.

TRACTATUS II.

De operum ordinariorum perfectione.

TRACTATUS III.

De rectitudine, & puritate intentionis, quam in operibus nos habere oportet.

TRACTATUS IV.

De vnione & charitate fraterna.

TRACTATUS V.

De oratione.

2. Quam

TRACTATUS VI.

De præsentia Dei.

hoc potissimum consistit, & quomodo in iis nos exercere debeamus.

4. Exercitii huius praxis amplius declaratur, modusq; valdè facilis, vtilis, multaq; perfectionis semper se in præsentia Dei constituendi proponitur.

5. Ostenditur, in quibus hoc in Dei præsentia ambulandi, exercitium, ab aliis exercitiis differat, & iis præcellat.

TRACTATUS VII.

De examine conscientiæ.

CAP. I. QVanti momenti res sit examen conscientiæ.

2. Quibusnam de rebus particulare sit examen instituendum.

3. Duo magni momenti præcepta assignantur, ad faciendam bonam electionem eius rei, de qua examen particulare instituendum sit.

4. In examine particulari vni dumtaxat rei insistendum esse.

5. Quomodo examen particulare iuxta singulas virtutum partes & gradus faciendum, & dividendum sit.

6. Materia examinis particularis, non est facile mutanda, & quamdiu de vna eademq; materia id instituendum sit.

7. Quomodo examen particulare sit instituendum.

8. In examine nobis est præcipue dolori, & emendationis proposito concipiendo insistendum.

9. Perutile est, aliquas examini austeritates ac pœnitentias adiungere.

10. De generali examine conscientiæ.

11. Examen conscientiæ, efficax esse medium reliqua omnia media, & documenta spiritualia opere exequendi, causamq; exigui profectus spiritualis esse, quod non prout oportet, illud obeamus.

TRACTATUS VIII.

De conformitate voluntatis nostræ cum divina.

CAP. I. DVo primaria huius rei fundamenta ponuntur.

2. In quo secundum fundamentum amplius ac deductius declaratur.

3. De magnis bonis & commodis, quæ huic cum diuina voluntate conformitati includuntur.

4. Hæc perfecta cum Dei voluntate conformitas, quædam est in terris beatitudo.

5. In solo Deo plenum gaudium & consolatio inuenitur, ac qui id in aliqualibet re extra eum collocat, verum habere gaudium non poterit.

6. Alia quadam ratione ostenditur, ipsam cum Dei voluntate concordiam, medium esse ad verum gaudium habendum.

7. De aliis bonis & commodis, in hac cum Dei voluntate concordia sitis.

8. Exempla aliquot confirmatur, quantoperè Deo hoc conformitatis voluntatis nostræ cum diuina exercitium placeat, & quanta in eo sita sit perfectio.

9. De aliquibus rebus, quæ hoc conformitatis cum Dei voluntate exercitium nobis & facile & suaue reddent.

10. De paterna & particulari Dei erga nos prouidentia, deq; filiali fiducia, qua nos vicissim in eum confidere oportet.

11. Aliqua offeruntur loca, & exempla, è sa-

FINIS INDICIS PARTIS PRIMÆ.

ELEN-

ELENCHVS TRACTATVVM ET CAPITVM, Secundæ Partis.

Tractatus Primus.

De Mortificatione.

Cap. I. Ortificatio cum oratione coniungi, vnaque alteri inuicem opitulari debet.

2. In quo sita sit mortificatio, & quantopere nobis necessaria.
3. Nulla maior homini à Deo inferri pœna & castigatio potest, quàm cum eum appetitibus & cupiditatibus suis tradit, sinendo vt post eas abeat.
4. De sancto suiipsius odio, ac de spiritu mortificationis ac pœnitentiæ, quæ hinc ortum habent.
5. Perfectus & perfectio nostra omnis in mortificatione consistit.
6. Religiosis, & præsertim iis, qui proximorum student saluti, præ aliis necessaria est mortificatio.
7. De duplici mortificationis & pœnitentiæ genere, & quomodo vtrumq; Societati IESV commune sit & vsurpetur.
8. Mortificatio non est odium, sed verus amor, non animæ nostræ solum, sed & corporis ipsius.
9. Qui de carne mortificanda non laborat, non solum spiritualem vitam non viuit, sed ne rationabilem.
10. Operosius & laboriosius est mortificationem suiipsius omittere, quàm ei studere.
11. Incipit tractatus de exercitio mortificationis.
12. Quomodo mortificationis exercitium ad praxin reducendum sit.
13. Quomodo in rebus licitis, quin & necessariis, nos mortificare debeamus.
14. Id potissimum vitium, eaq; passio nobis mortificanda est, quæ in nobis prædominatur, maiorumq; lapsuum occasio est.
15. Non sunt etiam negligendæ mortificationes in rebus paruis quamque eæ nobis fructuosæ, Deoq; gratæ sint.
16. Quantum è neglecta mortificatione in rebus minutis damni & mali sequatur.
17. Tria magni momenti documenta, in hac mortificationis materia proponuntur.
18. Quantumcunque in virtute progressum quis fecerit, semper tamen opus habet mortificationi insistere.
19. Duo suggeruntur media, quibus mortificationis exercitium facile nobis, & suaue redditur, Dei scilicet gratia & sanctus eius amor.
20. Aliud, quo mortificationis exercitium

TRACTATUS II.

De Modestia & Silentio.

TRACTATUS III.

De Virtute Humilitatis.

TRACTATUS IV.

De Tentationibus.

TRACTATUS V.

De inordinato affectu erga parentes.

TRACTATUS VI.

De tristitia & lætitia.

TRACTATUS VII.

De Thesauro & ingentibus bonis.

TRACTATUS VIII.

De Sacrosancta Communione, & tremendo Missæ Sacrificio.

FINIS INDICIS PARTIS SECVNDÆ.



ELENCHVS TRACTATVVM ET CAPITVM, Tertiæ Partis.

TRACTATVS PRIMVS.

De fine & instituto Societatis Iesu, deque mediis aliquot ad eum consequendum peropportunis, quæ omnibus in genere hominibus possunt deseruire.

3. Pro-

TRACTATUS II.

De essentialibus Religionis votis, ac de ingentibus illius bonis.

TRACTATUS III.

De Voto Paupertatis.

TRACTATUS IV.

De Virtute Castitatis.

TRACTATUS V.

De Virtute Obedientiæ.

TRACTATVS VI.

De obseruantia Regularum.

TRACTATVS VII.

Quàm se quisque Superioribus & Patribus spiritualibus clarè liquidóque aperire debeat, integram & planam illis conscientiæ status rationem reddendo.

Tractatus VIII.

De correctione fraterna.

FINIS INDICIS PARTIS TERTIÆ.





R. P. ALPHONSI RODERICII

PARTIS PRIMÆ.

TRACTATUS PRIMUS.

DE ÆSTIMATIONE, DESIDERIO ET AFFECTU, QUO FERRI nos oportet in ea quæ ad profectum nostrum spiritualem pertinent: ac de nonnullis, quæ ad hoc nobis futuræ sunt adjumento.

CAPUT I.

Quanti res spirituales faciendæ sint & æstimandæ.

Primum perfectionis assequendæ medium est magni ejusdem æstimatio.

1. SEPTIMO Sapientiæ capite (v. 7.) sic loquitur Sapiens: *Optavi, & datus est mihi sensus, & invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ, & præposui illam regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.* Vera germanaque sapientia, quam in nostro ipsi oculos debemus conjicere, ipsa est perfectio, quæ in eo sita est, ut Deo nos per amoris vinculum uniamus, juxta illud Apostoli Pauli monitum, (*Coloss.* 3. 14. *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Jam verò quo loco Salomon sapientiam habuit, eo loco apud nos perfectio & quidquid eidem comparandæ deservit, sit oportet: cujus comparatione & intuitu, quidlibet nobis, ut arena exiguat, & pauxillum luti & stercoris videri debet, & alio loco idem Apostolus de se ait, *Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* (*Phil.* 3. 8.)

Hæc æstimatio est una de præcipuis & consequendæ perfectionis instrumentis: quo enim passu hæc progressa fuerit, hoc etiam magis, & no-

ſter, & domûs totius, atque adeò Religionis universæ profectus progredietur. Ratio hujus hæc eſt: quia quantum noſtrum de re aliqua judicium & æſtimatio eſt, tantum nobis ejuſdem conſequendæ etiam ſolet eſſe deſideriũ. Voluntas quippe cæca quædam potentia eſt, & ferri rapique ſolet in id quod ei intellectus dictat ac proponit; unde quanti is illud facit & ponderat, tanto quoq; pondere voluntas & deſiderium ad illud aſſequendum fertur. Quoniam verò voluntas regina eſt, quæ reliquis animæ facultatibus & potentiis tam interioribus, quàm exterioribus dominatur & imperat; hinc quo rem quã dam modo volumus ac deſideramus, eo illam procurare, & media ac diligentias ejus aſſequendæ adhibere ſolemus. Quamobrem permagni refert, ut ipſa rerum ſpiritualium, omniſq; rei ad profectum noſtrum ſpectantis æſtimatio & apprehenſio magna ſit, ut ſic & ardens ſit voluntas, & acre erga ipſam deſiderium, magna quoque ſit diligentia ad eam procurandam & aſſequendam. Hæc enim omnia ſibi invicem ſunt conjuncta, & quaſi catena in eodem conſiſtunt gradu connexa.

Voluntas judicium ſequitur intellectus.

2. Qui gemmas & margaritas vendit, illarum valorem ante cognoſcat & æſtimet neceſſe eſt, ne fortè illudatur: niſi enim eum norit, ſuarum mercium neſcius æſtimator, magni pretii gemmam, facile cum re viliſſima commutabit & exponet. Negotiatio noſtra in gemmis & margaritis pretioſis conſiſtit: nam *ſimile eſt regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas*, (*Matt.* 13:45.) Sumus mercatores regni cœlorum; quamobrem mercium quas tractamus, pretium & valorem noverimus, & æſtimemus neceſſe eſt; ne fortè decipiamur, aurum cum luto, cœlum cum ſolo terrenaque aliqua gleba commutantes. Opportunè ad hanc rem (*cap.* 9.23.) Propheta Jeremias ait, *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur dives in divitiis ſuis, ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me.* Siquidem omnium theſaurorum maximus eſt, noſſe, amare, & ſervire Deo; & hæc maxima omnium, quas habere poſſumus, negotiatio, quin imò aliud nobis negotium non eſt tractandum, quàm hoc: quia propter iſtud creati, propter id Religionem ingreſſi ſumus: illud noſter eſt finis; illud noſtra debet eſſe habitatio, gloria & quies.

3. Vellem itaque, hanc perfectionis, rerumq́ue ſpiritualium conſpectantium æſtimationem omnium, ac maximè Religioſorum, cordibus ſyncerè inprimis verèque impreſſam eſſe, utq́ue nos invicem ad hoc juvaremus & exhortaremur, non modò verbis (ſæpenumerò ſcilicet noſtris in colloquiis, & converſationibus ordinariis deeo conferendo) ſed multò magis vivaci operum noſtrorum exemplo; ut in illis, tam incipiens & proficiens quàm omnes omninò, videant nullam rem aliam in Religione pro magna reputari, præterquam ſpirituale; quòd ſcilicet quis valdè ſit humilis, valdè obediens, mentis collectioni ſolitudini & orationi multum

tum deditus; non verò quòd apprimè doctus, eximius concionator, aliisque *donis*, tum *naturalibus*, tum *humanis* dotatus sit, quemadmodum suis in Constitutionibus (10.*p.constit.* §.2.*Reg.*16.*Summarij.*) S.P.N. Ignatius disertè constituit. Quare omnes jam inde à principio hoc intelligant, atque hoc se velut lacte sustentent oportet, ut nimirum nostrum quisq; jam inde ab illo tempore, oculos & animum intendat, non quidem ut magnus Doctor, aut excellens concionator; sed insigniter humilis, & benè morificatus evadat; si hoc unum hac in Religione per magni fieri, summoq; in pretio haberi videat, unum denique illud esse, cui totos se applicent illi, qui jam experientia provecti fraudibus perspectis, sapiunt meliora, atq; adeò solos hos ab omnibus coli & magni fieri persentiscunt. Non dico tamen, ideo nos animum ad virtutem applicare debere, ut ob eam colamur & æstimemur, sed ut, animadverso id unum esse, quod in Religione præ aliis rebus æstimatur & pluris fit, tandem quisque nostrûm sapiat se recognoscat, ac re ipsa videat, id sine dubio optimum esse quod tale à sapientioribus esse indicatur; ac apud se dicat: Hoc est quod mihi convenit, hac via certus ac tutus incedam, virtuti proinde me dare volo, ac seriò profectum & perfectionem meam procurare: nam reliqua omnia extra hoc verè nihil sunt, ac mera vanitas.

Virtus sola in Religione æstimanda.

4 Hinc facilè patebit, quantopere profectui spirituali noceant illi, qui in colloquiis & familiari conversatione toti in hoc sunt, ut de ingenio, habilitate, dotibus ac talentis naturalibus tantùm loquantur, hunc aut illum eo nomine laudent & extollant &c. Hoc enim cùm adolescentiores à senioribus intelligunt, in hoc uno totum rei cardinem verti, id unum in Religione magni fieri, & hac se parte emergere, celebrari, ac famam quærere debere existimant. In hoc ergo unum oculos conjiciunt, ipseque erga omne id quod doctrinam, habilitatem naturæ, & ingenium spectat, affectus æstimatioq; indies in iis crescit; amor verò erga virtutem, humilitatem, & mortificationem ei conjunctam, magis magisq; decrescit, & eò res demùm procedit, ut etiam hæc parvi pendere, & præ illis despicere incipiant, ausi antè in his quàm in illis peccare ac delinquere. Unde fit, ut multi sensim corrumpantur & vitientur, imò etiam pòst à religione penitus deficiant. Multò sanè foret satius, seniores in suo cum junioribus colloquio agere, quantum sit in virtute & humilitate momentum, quamq; ea cuilibet necessaria, quàm parum sine iisdem & litteræ, & ingenii dotes prosint, aut, ut melius dicam, quantum obsint; non autem id genus sermonibus, aliquod honoris, excellentiæ, aut famæ, quòd ingenio valeant, aut eximia à natura talenta acceperint, desiderium in ipsis excitare, quod perditionis ipsorum & naufragii initium esse solet.

Seniores coram junioribus virtutem præ doctrina laudent.

5. Illustre hanc in rem exemplum refertur in vita S. Fulgentii Abbatis. Hic enim parum ergà eos Monachos affici solebat, qui seduli admodum

Surius 1. Ian. tom. 1.

dum erant & indefessi operarii, totoque de rebus domesticis procurandis assiduè impigreq; insudabant; at in rebus spiritualibus non usq; adeò erant diligentes, nec de oratione, lectione, recollectione spirituali tantum laborabant; parvique hosce faciebat, quinimò omni amore & æstimatione indignos censebat. At si quem rebus spiritualibus mirificè addictum, deque suo profectu maximè sollicitum videret, etsi alioquin nullum domesticum officium obire gnarum, & ad opera externa præ virium imbecillitate, aut ob invaletudinem prorsus inutilem; erga hunc solebat incredibiliter affici, eumque magni facere. Et meritò: quid enim prosit, præclaris quempiam naturæ dotibus donatum esse, si non idem sit inobediens, seq; submittat, ac Superior de illo quod voluerit disponere queat? præsertim si hæc fortè illi aut majoris libertatis prætendendæ, aut exemptionis alicujus assumendæ sint occasio. Unde longè foret satius, hujusmodi eum donis & talentis naturæ carere.

S. Fulgentius virtutem prætulit industriæ.

6. Si à Superiore peteret Deus, habuissetne in domo sua homines admodum actuosos, & eximiis donis instructos, merito quidem de hujusmodi rebus sollicitus esse posset. Verùm hujusmodi rerum rationem non exiget; at tantùm quam curam habuerit, ut subditi sui in spiritu proficerent, atque in dies magis in virtute progrederentur, & ut pro facultatum & talentorum, à Domino acceptorum, magnitudine ac modulo suo quisque illorum officio fungeretur, & partibus suis satisfaceret, illarum causa nullum in profectu suo spirituali detrimentum patiendo. Quarum rerum etiam à subdito rationem Deus exposcet. *Certè adveniente die judicij*, inquit vir ille venerabilis *Thom. à Kempis* (*lib. 1. de Contemptu mundi. c. 3.*) *non quæretur à nobis quid legerimus, sed quid fecerimus; nec quàm benè dixerimus, sed quàm religiosè vixerimus.* Quadrat hic quod de discipulis Domini legimus (Luc. 10. 17.) Hi à Salvatore ad prædicandum missi (ut refert Evangelium) cum gaudio, & velut gloriantes ad eum revertebantur, dicentes, *Domine*, opera mirabilia & miracula fecimus, *etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Sed respondet illis Redemptor: *In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* In sola quippe regni cœlestis acquisitione & comparatione nobis gaudendum & lætandum, cum sine hac una, omnia nobis miracula nihil penitus sint profutura. *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* (*Matth. 16. 26.*)

7. Si ergo tam nos, quàm ipsemet Salvator de occupationibus & ministeriis spiritualibus, etiam ad animas lucrandas & convertendas institutis, ita censeat; quòd scilicet eorum causa, nostri ipsorum curam abjicere non debeamus (quòd nihil prorsus utilitatis simus inde collecturi, etiam mundum universum ad Deum convertendo) quid certè de reliquis dexterioribus occupationibus dicendum

dum erit? Nefas, scilicet, est Religiosum ita studiis litterariis absorberi, & aliis externis occupationibus immergi, ut eum proprii profectus capiat oblivio; orationis, inquam, examinis conscientiæ, exercitii mortificationis ac pænitentiæ obliviscatur; & ut verbo complectar de spiritualibus postrema sit cura, tempus ad hæc incõvenientissimũ illis assignetur, &, si quid omittẽdũ sit, spiritualia potius quam alia prætermittãtur. Quod qui faceret, næ is sine spiritu viveret, & nõ sicut Religiosus, sed cælum perosus.

8. De Discipulo suo Dositheo refert S. Dorotheus, eum, cùm infirmorum cura illi esset concredita, sui officii partes sedulò implevisse, insignem ægrorum curam habuisse, lectos scitè decenterque instravisse, cubicula nitidè composuisse, ita ut mitus in re omni nitor & munditiess reluceret. Quodam ergò tempore Dorotheo valetudinarium adeunti, ut ægros inviseret, in hunc modum conqueritur Dositheus: Venit mihi, Pater, quædam vanæ gloriæ cogitatio, quæ mihi suggerit, dicens, Quam bellè omnia nitideq; adornâsti! quã hoc Superiori tuo futurũ est gratum! Excepit spiritualis pater & unico responso omnem vanæ gloriæ titillationem statim ab eo dispulit, dicens: Valdè sedulus quidem & operosus es infirmarius, nõ tamẽ bonus & probus effectus es Monachus, Dosithee: bonus quidem ac diligens curator infirmorum, non tamen bonus sanctorum curator morum. Det igitur quislibet operam, ita q; vivat, ne hoc de se dici queat: Bonus quidem valetudinarii curator, aut bonus janitor effectus es, at non æquè bonus Religiosus. Non enim idcirco huc venimus, sed tantùm ut boni Religiosi essemus: hoc unum nobis æstimandum, semperque præ oculis habendum est; reliqua verò omnia nonnisi ut accessoria, & velut appendix, respectu profectus nostri spiritualis, ducenda sunt: secundùm illa Christi verba, *Quærite ergo primùm regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Matth. 6. 33.*

9. De priscis illis Eremitis & Anachoretis legimus (*apud Cassian. lib. 1. c. 24. in Abbate Paulo.*) eos, quia nõ semper legere, meditari & orare poterant, reliquum tempus canistris, sportulis, aliisque manualibus operibus conficiendis impẽdisse, ne prorsus otiarentur: non nullos verò eorum, ad anni finem, ea quę totius anni decursu ultra necessarium usum operati erant, igni injicere solitos, quòd redactâ ex iis peculiolâ ad sui sustentationem minimè opus haberent; cùm solum otii vitandi, ac temporis bene impendendi causâ laborarent. Simili puritate nos in proprium profectum, ante omnia & potissimum, intendere oportet; reliqua verò negotia & occupationes, etiam si in proximi gratiam susceptæ, non aliter assumendæ sunt, quam sancti illi Patres Eremicolæ sportulas suas contexebant: non autem, ut ob ea nostri ipsorum obliviscamur, aut animæ propriæ negotia negligamus, aut eorum causa, vel minimum à perfectione, quam spectamus, desciscamus. Quamobrem id semper

fundamenti instar, & ceu primum principium statuendum est; Exercitia spiritualia, quæ ad nostri ipsorum profectum ordinata sunt, semper primas obtinere, & præ aliis exerceri debere, nec ullius omnino rei gratiâ intermitti. Hoc namque est, quod nos integros conservabit, & in virtutum via progredi faciet; in quo si vel tantillû defecerimus, statim apparebit, nos à recto tramite deflectere ac divertere. Et sanè nimium quantum quotidiana experientia nos docet, non aliam defectionis in rebus spiritus causam esse, quàm quòd in spiritualibus exercitiis nonnihil refriximus atque intepuimus, atque in nobis genere cogimur. *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* (*Ps.* 101.5.) Si enim nobis animæ alimentum & restauratio desit, procul dubio languidi, debiles & torpidi efficiemur. Quamobrem S. P. N. seriò id & gravibus verbis nobis inculcat, ac sæpiùs rei hujus nos commonefacit. Quodam enim loco (*3. p. constit. c. 1. §. 23. & Reg. 12. summarij.*) sic ait: *Eorum qui in probatione versantur, quin imo cæterorum omnium studium circa ea versari debet, quæ ad sui abnegationem spectant, atq; ut magis in virtute & perfectione proficiant.* Alio verò loco nimirum *Reg. 21. Summarij* sic loquitur: *Omnes suum tempus rebus spiritualibus impendant, & devotioni quærendæ pro mensura gratiæ Dei ipsis communicatæ insistant.* Demum *Reg. 1. commun.* sic loquitur: *Singuli præfinitum sibi tempus orationi, meditationi, lectioniq; impendant cum omni diligentia in Domino.*

Obedientia non vult, & Superior nequit tempus orationis tollere.

10. Notandum verò quod ait, *Cum omni diligentia.* Ex his planum fiet, Superiorum mentem non esse, ut quis, quantumvis multis tum ab obedientia injunctis, tum ratione officii quo fungitur, sibi necessariò exequendis, negotiis distineatur, exercitia ordinaria spiritualia omittat; neque enim ullus Superior est, qui regulas, & quidem regulas tanti momenti, quanti istæ sunt, à quoquam suorum violari infringiq; velit. Nemo proinde suæ imperfectioni, ac negligentiæ in exercitiis spiritualibus exequendis, obedientiæ velamen prætexat, dicendo, Non potui orationem vel examen conscientiæ instituere, vel lectioni spirituali vacare, quia rebus aliis obedientia me occupavit. Neque enim per obedientiam impedimentum hoc oritur, sed per propriam socordiam, & exiguum erga res spirituales affectum. Vnde & S. Basilius (*Serm. de renunt. sæculi & spirit. perfection.*) monet, fideles admodum Deo nos esse debere, in temporibus, quæ orationi & exercitiis spiritualibus exequendis præfinita habemus, ritè impendendis. Si verò subinde, ob occupationem necessario ingruentem, orationi vel conscientiæ examini insistere præfinito tempore non potuerimus, magno quodam desiderio, & velut fame defectum hunc statim supplendi, & quàm possumus citissimè reparandi oportet nos excitari & urgeri. Quemadmodum neglectâ refectionis corporalis, edendi vel dormiendi, horâ, eò quod apud ægrum pernoctaverimus, tum

Si necessario differatur, quamprimum supplendum, omittendum nunquam.

ad

ad illius confessionem excipiendam, tum ut ad felicem excessum eum disponeremus; illum defectum & dispendia studiosè naturæ impetu non negamus: mox compensamus, & tempus commodum ad hoc nobis suppetere.

11. Atque hæc vera Superiorum mens & intentio est, cum aliquem spiritualium exercitiorũ tempore, rebus aliis, ita quandoque rei necessitate postulante, occupant: nec enim hæc propterea eum volunt omittere, sed duntaxat paulisper differre, ac postea plenè perfecteq; supplere, juxta illud Sapientis *Eccli.* 18. 21. monitum, *Non impediaris orare semper.* Non ait, *Non impedias*, sed, *non impediaris*, id est, nullum sit impedimentum, vel turbatio tanta, quæ obstet, quò minùs semper orationem tuam peragas. Nunquam autem verè Religioso hujusmodi impedimẽtum occurrit, quin semper tempus aliquod opportunum reperit, à quo defectum hunc suppleat & restauret.

De S. Dorotheo refertur, quòd cùm esset hospitum & peregrè venientium fratrum curator, ac ob id in multam noctem sæpè excubare cogeretur, nonnunquam etiam noctu de lecto surgeret, ut hospitibus necessaria subministraret; nihilominùs semper cum fratribus reliquis ad statam orationem surrexerit; quin etiam fratrum cuidam negotium dederit, ut eum à somno excitaret, quòd id excitator matutinus (sciens eum in multam noctem occupatissimum fuisse, tum quòd è febri sua nondum plenè convaluisset) facere negligeret. Hoc scilicet erat sincerum desiderium ad nullatenus exercitia spiritualia omittenda impellens, nec sinens in animo constante obrepere prętensas causas, quas miseri subinde formamus ne spiritum curemus, dum aut officia aut quampiam occupationem obtendimus, & ingeniosè nos ipsos fallimus, ita ut reliquo die exarmati ac turbati incedamus. Additur ibid. & illud, à sene quodam conspectum Angelum suffumigantem omnes, qui diligenter ad orationem se contulerant, nec non vacua illorum loca, qui à Superiore impediti orationi interesse non potuerant, non autem illorum, qui negligentiâ suâ eam omittebant. Erit hoc consolationi iis, qui propter occupationes ex obedientia præscriptas, unà cum reliquis, præstituto ac debito tempore spiritualibus exercitiis intendere nequeunt; simul & stimulus ad cavendum, ne propria negligentia & socordia seducti eadem omittamus.

S. Dorotheus ser. seu doct. 11. in Biblioth. PP. Tom. 3.

CAPUT II.

De affectu & desiderio, quod ad virtutem ac perfectionem consequendam adferre debemus.

1. **B***Eati qui esuriunt & sitiũt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Etsi justitia particulare & speciale sit nomen, unius è quatuor virtutibus cardinalibus, ab aliis tribus distincta; simul tamen universale nomen est omni virtuti sanctitatique commune, *Matt. 5. 6.* Secundum perfectionis obtinendæ medium est perfectionis finis.

mune. Bonam siquidem & cum virtute conjunctam vitam vocare solemus justitiam; sanctum verò pietatisq; sectatorem, justum. Unde ait Sapiens, *Iustitia* (id est sanctimonia) *rectorum liberabit eos.* Atque hoc id verbum modo in multis sacræ Scripturę locis accipi constat. Sic Redēptor JESVS ait: *Nisi abundaverit justitia vestra*, id est, virtus, religio, ac sanctimonia vestra fuerit major, *plusquam Scribarum & Pharisæorum.* Hoc item in sensu capienda sunt ejusdem Christi ad Joannem Baptistam, eum baptizare detrectantem, verba: *Sic decet nos implere omnem justitiam*, id est, exemplum exhibere mundo consummatæ obedientiæ, humilitatis, omnisque perfectionis. Hac item in significatione sumitur in verbis illis initio positis. Beatos ergo pronunciat Dominus eos, qui tam incredibili virtutis ac perfectionis in animo desiderio ardent, ut eam & esuriant & sitiant, quoniam illa saturabuntur, ejusdemque tandem compotes fient. Et est hæc una de octo illis beatitudinibus, quas nobis ipse in præclaro illo sermone, in monte habito, & tradidit & prædicavit. In quæ verba sic scribit S. Hieronymus, *Non nobis sufficit, velle justitiam*, id est virtutem & perfectionem, *nisi etiam quamdam justitiæ virtutisque patiamur famem & sitim, ut dicere cum regio Propheta possimus, Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.*

Prov. 11. 6.

Matth. 5. 20.

Matth. 3. 15.

S. Hieron.

Ps. 41. 2.

2. Tanti autem hæc momenti res est, ut, quemadmodum superiori capite dicere cæpimus, ab eo omnis noster in spiritu profectus & incrementum dependeat, ipsaque totius perfectionis assequendæ principium sit atque unicum medium: juxta illud Sapientis, *Initium enim illius*, (sapientiæ inquam adipiscendæ, quæ est, Dei cognitio & amor, in quo omnis nostra sita perfectio est, verissima, & ut ita dicam, cordialis,) *est disciplina concupiscentia*, ac desiderium. Ratio rei hujus hæc est; quia, ut docent Philosophi in omnibus rebus, ac præsertim operibus moralibus, amor & desiderium finis, prima est causa, à qua reliquæ omnes ad operandum commoventur: adeò quidem, ut quo major est amor & desiderium Finis, eo etiam major ejus obtinendi cura adhibeatur & diligentia. Permagni proinde refert, ipsum virtutis ac perfectionis desiderium sit magnum, ut simul ipsa ejus procurandæ consequendæque cura & diligentia, sit magna.

Perfectio pendet ab ejusdem desiderio.

Sap. 6. 18.

Quanto amor finis, tanto reliquæ operationes.

3. Tanti porro, ad profectum refert ac necessarium est, hoc nobis desiderium inesse, ex intimis cordis nostri penetralibus proveniens, nosque sic post se abripiens, ut necesse non sit nostrum in hac re impulsum sequi; ut de illo, qui eo desiderio caruerit, parva sit spes concipienda. In exemplum assumamus Religiosum; de quo quam trado doctrinam, eam deinde sibi quisque juxta statum suum applicare poterit. Bona & pernecessaria in omni Religione est, accurata Superiorum super subditos suos cura & vigilantia. Necessaria quoque est reprehensio, & in delinquentes animadversio; ei tamen Religioso, qui

qui hujus solius intuitu & respectu omnia sua peragit, non multùm fidendum est: quia respectus ille ad summum faciet, ut ad tempus, cùm Superiorem præsentem ac super illum reflectentem habuerit, officio suo rite fungatur; at, si è syncero corde, & vero sui ipsius profectus desiderio id nō procedit, nō est q magna ejus habeatur ratio, quia non poterit durare arte factus conatus, sed statim amota causa impellente deficiet & elanguescet.

Differentia motus naturalis & violenti.

4. Sanè hæc est inter ea, quæ motu quodam violento, & ea quæ naturaliter moventur, differentia: quòd quæ violenter moventur (cum iste motus è vi & impressione aliena tantùm oriatur) quo longius feruntur, eo ferantur & lentiùs & debiliùs; sicut in lapide in sublime vi quadā projecto patet. Iis autem quæ motu naturali concitantur, sicut cùm idem lapis è sublimi relabens ad suum rursus tendit centrum, planè cōtra evenit; quò enim longiùs illa progrediū-tur, eò impelluntur celerius. Hoc ipsū ergo discrimen etiam cernere est eos inter Religiosos, qui sua tantùm obeunt, vel timore pœnæ & correptionis, vel quod à Superiore præsente videātur, vel ob alios quosdam respectus humanos; & inter eos, qui vel amore virtutis, vel puro Deo placendi desiderio ad eadē facienda impelluntur: quòd primus ille impetus diutiùs nō duret, quàm ipsa urgens durat reprehensio, & alterius desuper advigilantis inspectio, & cum ista defecerint, tunc confestim etiam deficiat ac pereat eorundem virtus: horum verò virtus duret perstetque firmiter, juxta sui principii firmitatem & robur. Exemplo sit S. Gregorii Pontificis amita Gordiana (uti ipsemet scribit) quæ dum à sororibus suis Tarsilla & Æmiliana levitatis morū, & quòd religioso habitui, quē exteriùs gestabat, convenientem gravitatem minimè servaret, insimularetur, tam diu quādam vultus maturitatem præferebat, quamdiu à sororibus reprehendebatur, atque boni facere correptionem illam videbatur; sed sororia castigatione & reprehensione jam cessante, statim fictam illam ementitamque gravitatem seponebat, tempusque in fabulas, levitates, & jocularia cum sæcularibus, quæ in eodem monasterio commorabantur, puellis colloquia impendebat. Erat ipsa scilicet ad instar arcus cujusdam valido recentiq; nervo intensi; qui si remittatur, simul etiam ille remittitur, relaxatur, & in primum naturalemque situm revertitur. Sicut igitur ex animo sincero ea forma vivendi non procedebat, sed violenta erat & coacta, ita nec durabilis, nec perpetua esse valebat.

Gregor. homil. 38 in Evangelia.

Nullum violentū perpetuū.

5. Porrò ipsum perfectionis negotium violentiam meram excludit, nec solum violenter, sed ex animo & corde procedat oportet. Id innuunt illa Redemptoris nostri Jesu ad adolescentem illum Evangelicum verba: *Si vis*, inquit, *perfectus esse*. Nam si ipse nolis, omnis aliunde diligentia & remedia quæ adhibere poterunt Superiores, ad te perficiendum, frustra erunt. Atque hæc responsio & solutio ejus est quæstionis, quam S. Bonaventura proponit,

Matt. 19. 21.

Opusc. de perfect. Relig. l. 1. c. 39.

ponit, cur, ſcilicet, olim vnus Superior mille regendis monachis, imò (S. Hieronymo & Auguſtino teſtibus) tribus, aut etiam quinque millibus ſufficeret, qui omnes ſub uno Superiore & Archimandrita degebant; hodie verò nonniſi denis, vel etiam paucioribus regendis, rector ac Superior unus vix ſufficiat? Rei hujus cauſa eſt; quòd antiqui illi Monachi vivum quoddam & ardens perfectionis deſiderium in corde habebãt, & qui interiùs ibi ardebat ignis, eos quaſi ſubjectis facibus, ad proprium profectum ex animo procurandum, ac magno quodam in via perfectionis fervore pergendum identidem exſtimulabat: juxta illud: *fulgebunt juſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* Qua metaphora Spiritus Sanctus admodum evidenter velocitatem & agilitatem expreſſit, qua juſti per virtutis iter, ubi ignis hic in eorum cordibus ſemel æſtuare cœpit, currunt. Vide, quantâ in arido arundineto, ſi quando ignis in illud incidit, celeritate & levitate flammâ diſcurrendo vagetur; non minore autem æſtu juſti per virtutis ſemitam feruntur, quando ab illo igne divino ſuccenſi & inflammati aguntur. Quoniam autem priſci illi Monachi hoc igne æſtuabant, hinc nullò, ad hoc incendium alendum, externo directore opus habebant; ſed tantùm ad ardorem ipſorum nonnihil temperandum ne citius conſumerentur. At vitali hac flamma deficiente, jam non modò unus Superior decem regendis non ſufficiet; verùm ne decem quidem Superiores ſubdito uni excolendo & ad perfectionem promovendo, ſi ipſe ſubditus à parte ſua nolit, ſufficient. Eſt porrò hoc dogma manifeſtiſſimum: quid enim profuerit obire & luſtrare cubicula, num quis orationi incumbat? an non, poſtquam Viſitator clauſo oſtio jam receſſit, facere quis intus poteſt quod libuerit? an non, quamvis genua in ſpeciem orantis flectat, de ſtudiis, negotiis agendis, aliiſque id genus rebus impertinentibus poteſt cogitare? An non, cùm ratio conſcientiæ reddenda, ea tantùm dicere poteſt quæ volet, & premere ſilentio, quæ ſcire maximè referat? Ad hæc, dicere; omnia ſibi bellè fluere, cùm tamen adeò non bellè habeant, ut etiam malè? Fruſtra igitur deforis remedia omnia adhibentur, ſi quis intus nolit eſſe probus, nec ſincerè & ex animo perfectionem deſideret.

Cur olim multis millibus unus præeſſe potuerit Superior, nunc vix pauculis.

Voluntas perfectioni neceſſaria.

6. Locum hic habet quod reſpondit olim S. Thomas Aquinas: Rogatus enim aliàs à ſorore, quonam poſſet modo ſalvari; reſpondit, *Volendo.* Si velis, *ſalvaberis*; ſi velis, *proficies*; ſi demum velis, *perfectus eris.* In hoc itaque totius difficultatis cardo vertitur, ut modò velis, & ex animo ſerioque id deſideres: (Deus enim à parte ſua paratiſſimus eſt ad nobis ſuccurrendum) ſin minùs, quidquid hac in parte Superiores facere poſſunt, fruſtraneum & ſuperfluum erit. Tuus tibi ipſi profectus cordi eſſe debet: hoc enim tuum negotium eſt, tua unius id intereſt, non autem aliorum, & hanc ob cauſam, tuam nimirum, ipſam Religionem ingreſſus es. & verò ſibi quiſque perſua-

1. p. lib. 3. c. 37. hiſt. Prædicat.

ſum

sum habeat, quo primum die in hoc negotio elanguerit, sui ipsius, & eorum quæ ad profectum suum pertinent, oblitus fuerit, & exercitia sua spiritualia benè peragere neglexerit, ac vivum illud ardensque proficiendi, & in virtute progrediendi, mortificandique sui studium intermori cœperit, eo se ad exitium tendere cœpisse. Atque ideo S. P. N. in ipso constitutionum ac Regularum nostrarum initio, illud nobis pro fundamento proponit: *interna*, inquit, *charitas, & amoris illius lex, quam sanctus Spiritus scribere, & in cordibus imprimere solet, potius quam ullæ externæ constitutiones, nos in sancto Dei servitio conservatura, gubernatura atq; promotura est.* Hic ergo amoris divini ignis, & majoris Dei gloriæ & honoris desiderium, semper nos excitare debet, ut in virtutum via semper progrediamur, & ulterius tendamus. Quod desiderium ubi semel verè in corde locum reperit, nos exstimulat ad seriò ac diligenter incumbendũ, ut quod desideramus consequamur. Naturaliter enim semper industrii ac solertes sumus ad quærendum & inveniendum quod desideramus, nec unquam media nobis illius obtinendi deficiunt. Quocirca verè suprà dixit Sapiens, obtinendæ *sapientiæ principium, esse verum & cordiale ejusdem desiderium & appetentiam.*

In proœmio Const. §. 1.

Sap. 6, 18

Voluntas reddit perfectionis viam suavem.

7. Præterea, ex eo quod virtus ex intimo corde desideretur ac procedat, aliud non exiguum bonum sequitur (per quod, nimirum, medium hoc adeò efficax redditur) nempe quòd quæ ex se etiam difficillima sunt, per hoc facilia reddantur & dulcia. Dic mihi; unde tibi tam facilè fuit mundo contempto, Religionem ingredi, nonne quia ex animo & corde intensum hoc desiderum tibi enatum est? Dedit quippe tibi Dominus ad hoc efficacem voluntatem & affectum, gratiam, inquam, vocationis, abstulit quoq; omnem erga res mundi hujus affectum, eumque in pium erga ea quæ Religionis sunt affectum commutavit; atque hoc pacto tibi negotium hoc facile reddidit. Cur autem iis, qui adhuc in mundo manent, hoc tam arduum & difficile videtur? Nisi quia hanc tam validam, quam tibi dedit, illis Deus voluntatem & affectum non est elargitus; & quia, ut ipsimet ajunt, eos Deus huc non vocavit neque hanc vocationis illis gratiam contulit. Sicut ergo ipse tibi vehemens illud desiderium ac voluntatem, Religioni te mãcipandi, adeò facile reddidit, ut nec parentes, nec consanguinei, imò ne mundus quidem totus ab eo te divellere potuerint: pari modo, ut in Religione aliquem profectum facias, ejusque exercitia tibi facilia reddantur; illam necesse est voluntatem in te integram & inconcussam durare, quam habuisti tum cùm primùm ad statum Religiosum animum applicares: quæ quamdiu duraverit, omnia tibi levia & expedita videbuntur; at, ea deficiente, universa difficilia, gravia, & ardua tibi apparebunt. Atque hæc causa est, cur aliquando ita ponderosi & gravati, aliquando contrà ita agiles & expediti in via Domini simus: neque enim id

Nec res ipsæ superiores, sed rute tibi difficilis es.

id aut rebus ipsis, aut superioribus, sed nobis ipsis, parvæque nostræ virtuti & mortificationi est ascribendum. *Non secus ac quis*, ut benè ait R.P. Mag. Auila, *qui sano, firmo, vegetoque corpore est, sine vlla difficultate ingens aliquod pondus sublevat, æger autem, vel puer dicit, hui quàm hoc grave & ponderosum est!* Hæc scilicet est difficultatis, quam experimur, causa; quià res quidē ipsæ sunt eædem, quæ nobis aliquando visæ sunt etiam leves & faciles, iisque delectati sumus: culpa verò omnis in nobis est, quia cùm viri esse deberemus, & multùm in perfectionis via, & *in virum perfectum* (ut loquitur Apostolus) excrevisse; in virtute vix dum pueri sumus, & in hoc profectus desiderio, cum quo Religionem primùm ingressi sumus, velut ægri, defectis viribus elanguimus.

Epistol. p. 1. Epist. 2.

Eph. 4. 18

CAPUT III.

Vehemens hoc profectus nostri desiderium, præstantissimum quoddam est ad gratiam divinam recipiendam medium, & primaria dispositio.

Prædicta perfectionis sitis multarū gratiarū est origo.

PErmagni quoque nostra refert, isthoc in spiritu proficiendi desiderium, & quamdam ejus esuriem & sitim nos habere: est enim unum de præcipuis mediis, & melioribus dispositionibus, quas quidem à parte nostra, ut quam desideramus, virtutem & perfectionem nanciscamur, adferre possumus. S. Ambrosius quippe asserit, incredibile profectûs desiderium, nec non conatum in virtute & perfectione semper crescendi, tantoperè Deo placere ut bonis, charismatibus & gratiis suis hunc assiduè locupletet. Atque huc trahunt illa è beatissimæ Virginis Cantico verba, *Esurientes implevit bonis*. Idipsum & Propheta multo antè dixerat, *Quia satiavit*, inquit, *animam inanem*, id est, sitibundam, *& animam esurientem satiavit bonis*. Illos, inquam, qui tantum virtutis ac perfectionis desiderio flagrant, ut ipsam ut esurire & sitire videantur, Dominus multis replet & ditat donis spiritualibus; quia summoperè illi ardens & bonum cordis nostri desiderium placet. Danieli apparens Angelus Gabriel, ideò ejus preces à principio nuntiat exauditas, *quia vir desideriorum erat*. Davidi Regi regnum ideo Deus pro omni ejus posteritate confirmavit, quòd desiderium voluntatemq; haberet templum ac domum Domino ædificandi: ac licèt ab ipso construi eam nollet, sed à filio ejus Salomone, hoc tamen desiderium ac voluntatem ratam habuit, nec minùs est remuneratus, quàm si re ipsa præstitisset. Zachæus quoque, ut in Evangelio refertur, desideravit tantùm videre Jesum, &, ecce, priùs à Domino videri meruit, qui & ultrò illi se convivam addixit, ejusque domum ingredi dignatus est.

Serm. 3. super psa. 118.

Luc. 1. 53.

Psal. 106.

Dan. 9. 23

2. Reg. 7. 12. & 13. & 16.

Luc. 19. 5

2. Magis hoc ipsum exaggerat Salomon, de æterna Dei sapientia loquens, *Facile*, ait, *videtur ab his qui diligunt eum, & invenitur ab his qui quærūt illam*: Nosse vultis quàm facilè? *Praeoccupat*, inquit, *eos qui se* ex animo & seriò *concupiscunt, ut illis se prior ostendat*;

Sap. 6. 13

dat; jam ipsa antè tibi præstò aderat, quàm tu eam inciperes appetere. *Qui de luce vigilaverit ad illam, non* multum *laborabit* ut eam reperiat, huc illucque discurrendo: nam simul ac domus suæ januam aperuerit, *assidentem illam foribus suis inveniet*, expectantem ut sibi aperiatur. Itaque divina sapientia, qui ipse Deus est, aperienti se priorem offeret. O infinitam Dei nostri bonitatem & misericordiam! Satis illi non est nos quæritare, hinc inde investigare, ad januam nostram semel iterumve pulsare, ut illi aperiamus. *Ecce*, ait in Apocalypsi, *sto ad ostiũ & pulso*. Et in Canticis, *Aperi mihi soror mea*. Hoc inquam Deo satis non est, sed quasi clamando defatigatus, exspectabundus foribus nostris assidet, indicans se jam dudum ingressurum fuisse, nisi eas causas invenisset, nihilominus adhuc inde non abscedere, sed considere, ut statim ac aperueris, in ipsum incidas. *Assidentem enim illã foribus suis inveniet*. Quãvis autem Deo cordis tui ostium aperire, bonisque ejus inspirationibus respondere distuleris, non idcirco tamen is inde est digressus, quia mavult ingredi, quàm re infectâ recedere; & ad ostium resistendo commoratur, exspectans ut illi aperias. *Expectat*, inquam, *Dominus, ut misereatur vestri*. Neq; enim ullus amicus sui familiaris ædes subire tam avidè desiderat, quàm animam tuam Deus; longeque avidiùs ac studiosiùs se nobis communicare cupit, promptiorque est ad nobis beneficia & gratiã conferendã, quàm ipsi ad eamdẽ recipiendam cupidi simus: exspectat tamen & præstolatur, ut ipsi id desideremus; & hoc pacto illud esuriamus & sitiamus. Clamat enim, *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*: nam *ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis*. Vult itaq; Dominus, magno erga virtutem & perfectionem desiderio feramur, ut, cum aliquam ejus partem ipse nobis dederit, illam nos velut pretiosum quid, magnifacere & conservare noverimus: quod enim parum desideratur, id, ubi jam concessum & datum fuerit, parvi etiam fieri ac vilipendi solet. Atque idcirco, una de præcipuis caussis, ob quas in virtutum studio tam parum promovemus, & in perfectionis via semper in posterioribus hæremus, est, quòd eam ardenter nec esuriamus, nec sitiamus, nec ad eam anhelemus. Tam frigidè enim & languidè eã appetimus, ut desideria nostra magis mortua, quàm viva esse videantur.

Apoc. 3. 20. — Cant. 5. 6. — Isa. 30. 18. — Ioan. 7. 37. — Apoc. 21. 6.

3. Sunt quidam, ut ait Bonavent. qui plurima faciunt proposita, sanctaque desideria multa habent, at nunquam se ipsos vincunt, aut aliquam sibi vim inferunt, ad eadem opere ipso exequenda, juxta illud Apostoli, *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*. Advertendum tamen est hæc sæpenumerò vera proposita aut desideria non esse, sed nonnisi velleitates, & imperfectæ volitiones, quæ quidem vellent, non tamen volunt. Vti *piger*, qui *vult & non vult*: neque enim manum operi vult admovere, de quo alibi Sapiens, *Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus ejus operari: tota die concupiscit & desiderat*, hinc ut auctor

Process. 4. Relig. c. 3. — Rom. 7. 18. — Prov. 13. — Prov. 21. 22. — Epist. 4. ad Rusticum. Mo-

nach. cap. 6. super Audi filia. est S. Hieronymus, *in desideriis est omnis otiosus*: Vnde R. P. M. Ioannes Auila non incongruè hujusmodi homines comparat iis, qui inter somniandum magna quædam & multa se moliri putant, at expergefacti, nihil eorum, sed planè aliter agunt: secundùm illud Prophetæ, *Sicut somniat esuriens, & comedit; cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima ejus.* Ita hi, orationis tempore multa & magna pati, ab omnibus contemni, vilipendi, & abjici velle videntur: at si vix dum ab orationis loco digressis aliqua horum offertur occasio, longè secus faciunt quàm animo conceperant: somniarant scilicet, nec eorum vera fuerant desideria. Alii verò pictis in tabella militibus assimilant, semper quidem stricto mucrone hostem ferire paratis, ictumque intentantibus, nunquam tamen ullum inferentibus, quibus illud Psalmographi applicare liceat, *Verum tamen in imagine pertransit homo.* Ita nonnullis vita omnis abit in ictu semper minitando, nullo tamen infligendo. Isaias demum eos assimilat mulieri parturienti, & præ dolore clamitanti, nullum tamen fœtum in lucem edenti: *Venerunt filii usq; ad partum, & virtus non est pariendi.* Sic isti assiduè quidem bonum aliquod parere videntur, ac nunquam ullum pariunt, aut parere desinunt. S. Hieronymus in illa Domini apud Matthæum verba, *Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus,* sic scribit, *Væ illis animabus, quæ non perduxerunt sua genimina*, id est bona desideria, *in virum perfectum*; sed ea mox ut concepta sunt, in conceptu & utero suffocarunt: nunquā enim in operis lucem ea proferre nihil est aliud, quàm velut in utero suffocare & enecare. Væ, inquam, iis, quorum vita omnis desideriis meris consumitur, & quos ingruens inexspectatò mors omni prorsus, opere destitutos reperit. Post quippe, non solum concepta olim desideria illis non proderunt, verum etiam ideò castigabuntur, quòd bonas à Patre luminum datas inspirationes, executioni non mandarint; adeoque tunc illæ, velut proprii filii in parentes suos, insurgunt, à quibus, si eos in lucem enixi essent, patrocinium & subsidium invenissent.

Isa. 29. 8.

Ps. 38. 7.

Isa. 37. 3. 4. Reg. 19

S. Hieron c. 24. 19.

4. Quemadmodum Absalomi fulva & super aurum rutilans cæsaries laquei vice fuit; ita multi temporis mortis è bonis auratisque suis desideriis suspensi intereibunt. Vidisse se S. Ioannes in Apocalypsi sua memorat mulierem parturientem, illique adstantem vastum quendam draconem, ut fœtum jam recens in lucem editum devoraret: hæc visio certe impletur spiritualiter, quoties anima bonum aliquod sanctumve propositum concipit diabolus autem omnibus viribus suis id elidere aut interturbare conatur: quare nostrū est, in contrarium omnibus nervis, & vi qua possumus, contendere, ut desideria nostra sint hujusmodi, tantæque efficaciæ, ut eadem edita, tandem opere ipso exequamur. Hoc ipsum & Isaiam verbis illis tam gravibus quàm brevibus, *Si quæritis, quærite*, voluisse S. Bernardus ait, quasi dixerit Propheta: Ne defatigemini, quia

2. Reg. 9.

Apoc. 2.

Serm. de alt.

ſſi.cord. Iſa.21,12. quia deſideria & propoſita vera, efficacia, & ad extremum uſque perſeverando conſtantia ſint oportet, & talia quæ vos maximè ſollicitos & anxios reddant, ut Deo magis magisque in dies placeatis. Mich.6,8. Iuxta illa Micheæ verba: *Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: utique facere judicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo.* Fervida ſcilicet & ardentia hæc deſideria Dominus à nobis exigit, ut ob hæc ipſe nos beneficiis afficiat, & omnigenis bonis repleat. Bona voluntas quidvis à Deo obtinet. Beati ergo illi, qui virtutem & perfectionem hoc ardore eſuriunt & ſitiunt, quia haud dubiè ſaturabuntur, & deſideriis ipſorum faciet Deus ſatis. S. Gertrudi dixiſſe legitur Dominus, Ego unicuique fidelium auream dedi fiſtulam, per quam è deificato corde meo quidquid expetit, exſugat, & in ſe attrahat: hancque ipſe fiſtulam eſſe dixit bonam cuiusque voluntatem & deſiderium.

CAPUT IV.

Quo ſe quis magis & ſtudioſiùs rebus ſpiritualibus applicat, eò ardentiùs eas eſurit ac deſiderat.

Eccl. 24. 29. 1. QVi *edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient,* ait Spiritus ſanctus de æterna Dei ſapientia loquens. Hom. 36. in Evangel. Hoc ſiquidem, teſte Gregorio Magno, inter bona ac voluptates corporales & ſpirituales diſcrimen eſt, quod illæ cum nō habentur, ingentem ſui appetitum ac deſiderium provocent; at, poſtquam illis jam potimur, quidquid adepti ſumus, vileſcat, & in nauſeam vertatur. V.g. deſiderat quis ad Collegium aliquod, vel Cathedram doctoralem promoveri; mox ubi utriuslibet cōpos redditus fuerit, illa parvi æſtimat, & in aliud majus oculos conjicit, nempe opimum aliquem Canonicatum, vel præſidentiam in Parlamento Provinciali affectat, quæ etiam poſtquam jam nactus fuerit, illico rem obtentā faſtidiens, adhuc ad ſublimiora, nimirum ad locum in Concilio ac Parlamento Regio, & exinde ad Epiſcopatum aſpirat: ac ne illo quidem donatus, quieſcit; ſed ſtatim in aliā adhuc ſublimiorem ampliorem q; dignitatem oculos dirigit: atque adeò omnia quæ adeptus eſt, hactenus parvi facit, nec ullam in ipſis quietem invenit.

2. At in ſpiritualibus planè ſecus ſe res habet; illa enim nondum poſſeſſa, quoddam nobis ſui faſtidium pariunt, & nauſeabundi nimium quantum ipſi ab iis abhorremus; at, poſtquam ea jam guſtare cœpimus, & reipſa poſſidemus, tum pluris facimus, magiſque erga eadem afficimur, & quo plus eam deguſtamus & tractamus, eò majore ſtudio requirimus. Cujus diſcriminis rationem ſanctus Pontifex hanc aſſignat: Quòd deliciis & delectationibus temporalibus jam obtentis, tum demum melius earum inſufficientiā imperfectionemque cognoſcamus; & quoniam iis nos videmus minimè ſatiari, nec ſatisfieri, nec ſperatam in ipſis ſatisfactionem invenire, parvi pendamus quidquid conſecuti ſumus, & aliud majus ſitiamus & appetamus, rati ibi nos quam ſpectabamus, voluptatem & ſatisfactionem reperturos. Et ſanè

nos

nos ipsi decipimus: nam idem erit omnino, postquam & hoc, & illud, & alia plura fuerimus assecuti: nulla quippe hujus mundi res plenè nos reficere ac satiare potest. Atq; hoc est quod Samaritanæ aliàs Redemptor ait: *Omnis qui bibet ex aqua hac, sitiet iterum.* Bibe quantum libuerit, ex aqua mundi hujus, post paulò rursus eamdem sitire incipies, nec sitim avidam restingues: quia voluptatum ac delectationum, quas offert mundus, aqua tenuior est quam ut sitim nostram relevare, nedum restinguere possit; at bona & voluptates spirituales, ubi plenè jam possidentur, & in manibus sunt, tum primùm amari, magisque desiderari incipiunt: quod tunc earum pretium & valor magis perspiciatur; & quò perfectiùs eas possiderimus, eò ardentius ipsas sitiamus & esuriamus. Neque verò mirum est, ut ibidem ait S. Gregorius, eum qui spiritualia non est expertus, nec gustare quidem cœpit, iisdem non inhiare, aut appetere. *Quis enim amare & desiderare valeat, quod* non cognoscit, aut quale sit *ignorat?* Vnde scribit S. Petrus, *Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus.* Et Psalmista, *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* Postquam enim Deum resque divinas perfectè gustaris, tam mellifluam in ipsis dulcedinem & suavitatem invenies, ut tuos, uti proverbio dicitur, etiam digitos post illas gustatas, absumpturus videaris. Atq; hoc est, quod illis initio adductis verbis, *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient*, nobis sapiens significare vult. Quo enim magis nos rebus spiritualibus ac divinis dederimus, eo majorem earum famem & sitim habebimus.

Ioan. 4. 13.

1. Pet. 2. 3.

Ps. 33. 9.

3. At dicet hic quispiam, & quæret: Quomodo concordant hæc cum iis, quæ Dominus Samaritanæ ad puteum dixit: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum?* Hic ait Christus, eum, qui biberit ex aqua, quam ipse daturus est, nunquam ampliùs siti laboraturum: at priori loco per Sapientem Spiritus sanctus asserit, nos quanto plus biberimus, tanto etiam plus sitituros, quomodo, quæso utraque verba invicem consentiunt? Objectioni huic pro me sancti Patres satisfaciunt, dicuntque Christi ad Samaritanam verba, sic intelligenda; eum qui ex aqua viva, quam ibidem daturum se promittit, biberit, nullam ampliùs sensualium & mundanarum delectationum sitim passurum, rerum scilicet ad spiritum & Deum spectantium dulcedine efficiente, ut illæ inficetæ & insipidæ videantur, quò ipsum etiam his verbis præclarè S. Gregorius disserit. *Sicut post gustum mellis omnia videntur insipida; ita gustato spiritu* rebusque spiritualibus ac divinis, *desipit* homini *omnis caro;* & quidquid mundanum est, illi amarũ & fastidiosum videtur. At quod Sapiens, superiùs indicato loco, ait; *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient*, de iisdem rebus spiritualibus intelligi voluit: quanto enim quis Deum, & spiritualia amplius degustabit, tanto erga eadem majori ardentiorique fame & siti feretur, illorum quippe valorem ac pretium tum liquidiùs perspiciet, evi-

Ioan. 4. 15.

S. Gr

Eccl. 24. 29.

evidentiusque, quanta iis insit suavitas ac dulcor, cognoscet; itaq; majus erga illa desiderium concipiet. Optimè igitur duo hæc loca SS. Patres invicem eo quo dixi modo, conciliant.

4. Porrò ex dictis intelligi potest quomodo hic Salomonis locus conveniat cum dicto Christi apud Matthæum, *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur?* Hic enim justitiam esurientes & sitientes exsaturandos spondet; Sapiens autem insinuat eos, qui Dominum comederint ac biberint, majori ejusdem fame & siti laboraturos; Qui verò esurire ac sitire, & satiari simul consistere queunt? sed ut dixi, facilis jam responsio est: Tantam scilicet horum bonorum spiritualium dignitatem atque excellentiam esse, ut, etsi satient, simul tamen famem excitent; & cor nostrum reficiendo ac satiando, simul quandam sui sitim provocent. Nimirum satietas est cum nova fame conjuncta, & fames satietatem plenam includens. Hæc, nempe, horum bonorum dignitas, magnitudo ac præcellentia est, ut cor nostrum perfectissimè satient, ac plenè reficiant; ita tamen ut explendo semper post se famem, sitim, suique appetentiam relinquant; quantoque plus ex iis gustamus, comedimus, bibimus, tanto plus eorum esuries & sitis increscat. Hæc porro fames & esuries cor hominum nequaquam cruciat, sed delectat; sitis hæc non fatigat, nō torquet, sed recreat potiùs, & quamdam in corde quietem suavem, & ingens gaudium adfert: esto perfecta & completa saturitas nonnisi in cœlo futura sit, secundùm illa Psalmistæ verba, *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; &, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* Tametsi etiam in his ipsis deliciis cœlestibus (ut S. Bernardus in citata verba scribens testatur) futurum sit, ut ita ab ipsa Dei Optimi Maximi visione satiemur, ut post eam semper velut esurientes & sitientes futuri simus: quia nullum nobis illa ter beata Dei visio fastidium creabit; sed semper novum quendam ejus videndi, eoque gaudendi, ac fruendi appetitum nobis conciliabit, perinde ac si eum tum primùm videre inciperemus. Ad eum planè modum, quo S. Joannes in Apocalypsi sua vidit beatos & electos ante thronum & Agnum stantes, & magno cum animi jubilo & exultatione, *quasi canticum novum cantantes.* Quia canticum illud etsi infinities decantarum, semper nobis erit novum, & divinum illud manna tàm novellum & inexpertum quotidie dabit saporem, ut semper, velut nova quadā admiratione perfusi, dicturi simus, *Manhu? quid est hoc* Ita prorsus in hoc etiam mundo de rebus spiritualibus & sentiendum & dicendum est (sunt enim hæc illarum Cælestium quædam prælibatio ac participatio:) quod ex una parte satiant, famem pellunt, corque adimplent; ex altera verò novam sui ipsarum famem & sitim excitent, eoque intensiorem ac vehementiorem, qvo plus iis nos damus profundiusque illas degustamus, ac fruimur. Hæc porrò fames, quædam satietas est; hæcque sitis, quædam animi refocillatio, ac summa refectio. Hæc autem

Matt. 5.6
Ps. 16.15.
Psa. 35.9.
Serm. 64 ex parvis
Apoc. 14. 3.
Exod. 16. 15.

omnia adjumento nobis esse debent, ut tantam in nobis rerum spiritualium æstimationem, tamque æstuans erga easdem desiderium & affectum accendamus, quandoquidem mundana & terrestria omnia obliti & perosi, plena cordis voce cum Apostolo illis gustatis exclamabimus, *Domine bonum est nos hîc esse.* Matt. 17. 4.

Caput V.

Evidens argumentum est hominem in Dei gratia esse, si ardenti quodam studio in perfectione crescendi & proficiendi desiderio teneatur.

1. Ut autem ad fervens profectus nostri desiderium, & inexplebilem quandam famem ac sitim in virtutibus progrediendi, Deoque quotidie magis magisq; placendi, cõcipiendam magis animemur, majoreque ad hoc cura & diligentia connitamur; utilis cum primis ad hoc nobis erit quædam maximi momenti res, maximæq; consolationis, nosse scilicet, unũ illud ex maximis ac certissimis signis esse, Deum in alicujus anima commorari, eique benè cum Deo convenire, si salutem & perfectionem suam ardẽter desideret. Testatur hoc S. Bernard. *Nullum*, inquit, *omnino præsentiæ Dei* in anima *certius testimonium est, quã desiderium gratiæ*, virtutis scilicet ac perfectionis *amplioris.* Probat id verbis ipsiusmet Dei, apud Sapientẽ de se dicentis, *Qui edũt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.* Eccl. 24. 29. Si ergo insatiabili rerũ spiritualium & divinarũ fame sitiq; tenearis, gaude & lætare; id enim nota & indicium certissimum est Deum in anima tua sedem fixisse. Ipse siquidem est qui hanc tibi famem inducit, hanc tibi sitim ingerit. Commodè igitur in divini hujus thesauri venam incidisti, cùm tàm recto eam calle sequẽdo investiges. Atque uti canis venaticus lento pigroq; gradu incedit, quãdiu feræ vestigia nulla dum notavit; at, postquam ea jam subolfecit, ferventi & festino cursu ruit per avia & invia odoratam prædam quæritans, necantè finem facit currendi, quàm eam assequatur; sic qui revera semel divinæ illius suavitatis fragrantiam percepit, festinanter in unguenti hujus pretiosissimi odorem currit; dicens: *Trahe me post te, curremus in odorẽ unguentorũ tuorum.* Cant. 1. Nimirum Deus, qui intra te habitat, te post se rapit: si autem hanc in te famem & sitim non compereris, time ne id fortassis idcirco fiat, quia Deus in corde tuo non commoratur. Hoc quippe rebus spiritualibus & divinis, teste S. Gregorio, proprium est, quòd, quando non habentur, tunc eas minimè diligamus aut cupiamus, imò verò & parvi pendamus. Hom. 5 in Evangel.

2. Tremere se solitum S. Bernard. scribit, ac præ horrore comas sibi subrigi, dũ illa Spir. Sancti, ore Sapientis prolata verba accuratiùs perpenderet, *Nescit homo, utrùm amore an odio dignus sit.* Eccl. 9. 1. Sic enim de seipso scribit, *Terribilis est locus iste, & totius expers quietis, totus inhorrui si quando in eum raptus sum, illam apud me replicans cum tremore sententiam, Quis scit si est dignus amore an odio?* Serm. 23 in Cantic. Si itaque hæc incertitudinis & ignorantiæ, utrũm in Dei gra-

tia

tia vel odio simus consideratio, viros sanctos, columnas inquam Ecclesiæ, pio quodam horrore & tremore concussit; quomodo non percellet nos, qui etiam plurimas timoris ex contractis noxis causas habemus: *In nobismet ipsis responsum mortis habuimus.* (2. Cor. 1. 9.) Certo certiùs scio in Deum peccando me offendisse; at certò non scio, utrum mea mihi culpa sit dimissa. quis ergo non contremiscat? Quanti, quæso, quis faceret, si certum aliquod signum, ansam, aut certitudinem habere posset rei, quæ tanti sua refert! O, si scirem certò, Deum mea mihi flagitia remisisse! O, si scirem, me esse in Dei gratia!

3. Quamvis autem infallibilem & indubitatam hac in vita certitudinem habere non possimus, nos in Dei gratia & amicitia esse, sine speciali ejus revelatione, aliquas tamen habere possumus conjecturas, quæ moralem aliquam hujus rei probabilitatem nobis afferant: quarum una, & sanè non postrema, est, si quis, hanc proficiendi, & quotidie magis ac magis in virtute profectioneque progrediendi famem & desiderium in se sentiat. Vnde vel hoc solum nobis sufficere deberet, ad desiderium hoc jugiter in nobis fovendum ac promovendum; quòd scilicet per istud, testimonium habeamus evidens, & certissimum argumentum, esse nos in gratia & amicitia Dei. quod unum de maximis est, aut certè maximum solatiorum ac gaudiorum, quod in hac vita habere possumus.

4. Confirmatur hæc veritas eo quod in Proverbiis Spiritus Sanctus ait: *Iustorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectam diem.* (Prov. 4. 28.) Ut enim lux solis manè minuta, quo magis ad meridiem vergit, hoc fit perfectior: sic justi, quo longiùs in vita procedunt, eo magis etiam in virtutum studio provehuntur. Præclarè S. Bernardus: *Nunquam justus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit, Satis est: sed semper esurit sititque justitiam: ita ut, si semper viveret, semper, quantum in se est, justior esse contenderet: nam semper de bono in melius proficere totis viribus conatur.* (Epist. 253 ad Abbat. Guarin.) De talibus enim scriptum est, *Ibunt de virtute in virtutem*, donec ad ipsum perfectionis apicem perveniant. (Psal. 83. 8) At via tepidorum, imperfectorum & improborum, quasi lux vespertina est, quæ quo longiùs fertur, eo magis magisque decrescit & obscuratur, donec ad mediæ noctis tenebras & obscuritatem pertingat. *Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant.* (Prov. 4. 19.) Sæpè quoque eò cæcitatis perveniunt, ut non videant quò impingant, & sua, quæ committunt, errata & imperfectiones non advertant, imò nec propria, his etiam commissis, ipsos lancinet conscientia: imò interdum ita obcœcentur, vt, quod peccatum est, ipsis non esse peccatum, & quod mortale & gravissimum fortassis est, nonnisi veniale esse videatur.

Tanta scilicet confusione & cœcitate laborant.

Caput VI.

Declaratur quomodo non proficere, deficere; non progredi, regredi sit.

1. COMMUNIS Sanctorum omnium sententia est: *In via Dei non progredi, regredi est.* Hoc dictum & axioma hîc plurib. declarabimus, ut acris stimuli instar nobis sit, ut eo velut incitati, semper in perfectione crescamus & progrediamur. Quis enim regredi & desciscere velit ab eo, quod feliciter inchoavit? præsertim Salvatore ipso contra defectorem in Evangelio sententiam pro-
Luc. 9. 62. nuntiante: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Quæ certè verba magnum nobis terrorem incutere deberent, quia B. Augustinus, *Tamdiu*, ait, *non*
Epist. 143. ad Demetriadem virg. *relabimur retrò, quamdiu ad priora contendimus: at ubi cœpimus stare, descendimus: nostrumq; non progredi, reverti est. Si volumus non redire, currendum est*, & semper ulteriùs tendendum. Idipsum, & iisdem propè verbis, tradunt SS. Gregorius, Chrysostomus, Leo Papa, aliique non pauci Patres, imò singuli idem sæpiùs diversis locis inculcant: singillatim verò & pluribus id prosequitur S. Bernardus du-
Epist. 253 & 34. abus epistolarum suarum: ubi Religiosum tepidum & segnescentem, cui nimirum communis vivendi ratio sufficiat, & qui in suo profectu ulteriùs provehi recuset, alloquens, sic eum arguendo perstringit: *O monache, non vis proficere? non. Vis ergo deficere? nequaquam. quid ergo? Sic mihi, inquis, vivere volo, & manere in quo perveni: nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potest; quid enim stat in hoc sæculo?* nihil enim omninò in mundo in eodem statu permanet: at in solo Deo locum id habet, *apud quem*, scilicet, *non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*; Iacob. 1. 17.
de quo scriptum, *Ego Dominus, & non mutor.* Cetera omnia continuæ vicissitudini & mutationi sunt obnoxia: Malac. 3. 6.
nam *omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, &* Ps. 101. 27.
mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. De homine verò singillatim Job asserit, nunquam eum Iob. 14.
in uno eodemque statu consistere aut permanere: *Homo fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Sic & Christus Dominus, inquit Bernardus, *quamdiu in terris visus est, & cum hominibus conversatus, nunquid stetit?* Minimè. an non de eo scripsit Evangelista Lucas? *Et Iesus proficiebat* Luc. 2. 52.
sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines, id est, majora reipsa sapientiæ & sanctitatis quotidie dabat argumenta.

2. Propheta de eodem quoque prædixit, quod se præparet ad viam hanc currendam: *Exultavit ut gigas,* Psa. 18. 6.
ad currendam viam. Si itaque in Christo manere velimus, eo, quo ipse ambulavit modo, & via eadem & nos ambulemus oportet, *Qui enim dicit*, inquit S. Joannes, *se in ipso manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambula-* 1. Ioan. 2. 6.
re. Si ergo illo currente tu gradum sistis, non Christo appropias, sed te magis elongas. Bernard. l. cit.
Vidit scalam Iacob, & in scala Angelos: ubi nullus residens, nullus subsistens Gen. 28. 12.
appa-

apparuit, sed vel ascendere vel descendere videbantur universi. Deus porrò solus in summitate scalæ innixus requiescebat, ut hinc, ait idem S. Bernardus, *discamus, in virtutis via, inter ascensum & descensum, inter profectum & defectum, in hoc mortalis vitæ statu nihil medium reperiri: sed hominem, ubi proficere & progredi desinit, ibi deficere & retrogredi*, adinstar, scilicet, orbitæ tornatoris, quę simul ac sistere & interquiescere sinitur, mox retrofertur. Idem apud Cassianum tradidit Abbas Theodoretus: *Debemus*, inquit, *ad virtutum studia, irremissa cura ac solicitudine nosmetipsos semper extendere, ipsisque nos jugiter exercitiis occupare, ne cessante profectu confestim diminutio subsequatur; ut enim diximus, mens in uno eodemque statu manere non prævalet: id est, ut nec augmentum virtutum capiat, nec detrimentum sustineat, non acquisisse enim, minuisse est: quia desinens proficiendi appetitus, non aberit à periculo recidendi.*

Caßian. collat. 6. Abbatis Theodor. c.14.

3. *Atqui dicet quispiam*: Benè isthæc à te dicta sunt, & ita se verè res habet, cum SS. Patres uno omnes ore istud asserant: at nonnisi parabolicè, figuratè, & ænigmaticè omnia ista dici videntur nondum expertis: quamobrem *edissere nobis parabolam istam*, & clariùs & planiùs istam veritatem mihi velim exponas. *Non abnuo.* Sancti Patres hoc evidentius demonstrant. Cassianus quippè id egregia exponit similitudine, qua & usus est S. Gregorius. *Sicut*, inquiunt, *qui in impetuosi cujusdam fluminis ostio est constitutus, si loco quietus consistere vellet, nec ulteriùs adversum obnitendo pergere allaboraret, in præsentißimo versaretur periculo, ne ab aquarum præcipitantium impetu, secundo flumine, in mare abriperetur: haud secus contingit in via vitæ spiritualis, utpote cujus iter adeo est declive, naturaque nostræ per peccatum depravatæ tam difficile, ut, qui ulteriùs progredi violenter non connititur, à paßionum suarum impetu, ceu secundo flumine, in præceps sit pertrahendus*: Perinde etiam atque adverso æstu & flumine navigantes, si quando contis obniti, & remigare ad ulterius provehendum desinunt, quam primum ab æstu procul admodum inde, quò jam pervenerant, repelluntur. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quamobrem necesse est, ut semper adversus passionum nostrarum impetum colluctemur, & contra nitamur: quod ni fiat, statim permultum nos retrocessisse, ac defecisse comperiemus.

Caßian. vbi supra Greg. 3. p. Pastoral. admonit. 35

Matt. 11. 12.

4. SS. Hieronymus & Chrysostomus id alia quadam doctrina, à Sanctis & Theologis communiter recepta (quamque S. Thomas de statu Religionis loquens adducit) magis declarant. Dicit enim eo loci S. Thomas, *Religiosos esse in statu perfectionis*: non quòd simul ac Religionem professi, perfecti sint; sed quòd ad perfectionem aspirare & tendere sint obligati; *cum verò qui perfectus esse non studet, nec de perfectione procurandâ laborat, fictum esse Religiosum* asserit, quòd non faciat id cujus causâ ad Religionem venit.

Hieron. Chrysost.

S. Thomas 2.2. q.184. art. 5. ad 2.

5. Non

Religiosus nolens perfectionē, est in periculo præsentissimo peccati mortalis, & indignus eo nomine.

5. Non hic disputo, aut probare volo, peccaretne mortaliter Religiosus, qui diceret, *sufficit mihi, mandata divina, & vota mea essentialia, exactè & debito modo observare; de reliquis verò regulis, ad peccatum non me obligantibus non sum sollicitus.* Variæ quippe sunt, quoad hoc, Doctorum & discrepantes sententiæ. Alii siquidem docent, eum mortaliter peccaturum; alii verò id letale peccatum fore negant, nisi fortè accedat contemptus, & per modum despectus ita loqueretur. Vtcumque sit, illud interum constat, in eoque conveniunt, Religiosum, qui ejus esset voluntatis, & determinatè ita sentiret, boni Religiosi nomine penitus indignum videri, ac potiùs ut scandalosum habendum, ac malo exemplo alios offendentem; huncque moraliter in præsentissimo mortalia peccata admittendi periculo versari. *Qui enim parva & modica spernit, utique paulatim in majora prolabetur.* (Eccl. 19. 1) Atque istud proposito nostro plusquam satis est; cum id satis sit, retrocedere ac de statu suo demigrare.

6. Vt autem meliùs hoc intelligatur, similitudines aliquot domesticas & passim obvias Chrysostomus adducit. (Serm. de virtutibus & vit.) *Sic*, inquit, *servum haberes, qui nec tua furaretur, nec aleo esset, nec asotus; sed fidus, sobrius, temperatus, omnisque vitii expers; verùm tota die domi sederet otiosus, non agens ea quæ ex officio ei facienda incumberent; negare nemo potest, quin in eis hic servus dignus esset, qui graviter vapularet, etsi alioqui nihil mali committeret: quia sat mali est, sibi facienda non facere.* Adhæc: Si agricola omni ex parte culpa vacaret, sed interim manibus in sinum convolutis nec serere, nec arare, nec vineas colere vellet; certum quoque est, illum correptione & castigatione dignum fore, tametsi aliud malum nullum ageret. Sat enim magnum malum ducimus, non agere quæ ex officio agenda sunt. Denique, Si in tuo corpore manum haberes, quæ quidem tibi damni nihil afferret, sed solùm desidiosa cessaret, & nihil ageret, reliquisque membris necessaria subministrare nollet; an non id ut satis malè factum interpretareris? Eodem prorsus modo de rebus spiritualibus judicandum. Religiosus enim qui in Religione otiosus est, manibus quodammodo complicatis de progressu in perfectione ne quidquam laborat, & ullum in virtutibus incrementum facere detrectat, reprehensione dignissimus est; quod agere illa accurare negligat, quæ sibi ratione officii ac status agenda sunt, nam *benè non agere, malè agere est; &, non progredi, regredi*, (S. Bern.) cùm suæ desit obligationi & professioni.

7. Addo, ecquod dari fingique malum ac vitium agri majus queat, quā quòd sterilis sit, nullumque domino fructum ferat, præsertim si benè excultus & subactus sit? Si ergo cordis tui ager, tantâ elaboratus diligentiâ & labore, tot gratiarum cælestium imbribus irrigatus, tot Solis justitiæ radiis calefactus, nullum nihilominùs fructum proferat; sed aridum quoddam desertum, & infrugiferum vepretum sit; ecquod majus hac sterilitate malum fingas? *Retribuebant*

Psal. 34. 12. *buebant mihi mala pro bonis, ſterilitatem animæ meæ.* Hoc, ſcilicet, eſt, malum retribuere pro bono ei, cui tanta debes, quiq; tot in te gratias & beneficia larga plenaque manu effudit.

8. Aliam demum huc adducere ſimilitudinem Patres ſolent, quæ rem commodè apteque videtur declarare. Quemadmodum nimia maris malacia, eſt inſtar gravis cujusdam tempeſtatis navigantibusque periculoſæ; eò quòd commeatum, quem ſecum ſumpſerant, in curſu non progrediendo, interim abſumant, ut poſtea vix dum curſu in medio conſtitutos commeatus omnis & cibaria deficiant: Sic evenire ſolet in procelloſo hujus mundi mari navigantibus: qui dum in virtutis ſtudio ac curſu, velut malacia ingruente, curſum ſiſtunt, in eadem pergere ulteriùs detrectantes; tunc iis deperit & conſumitur, quidquid magno antè labore acquiſierunt, quin & ea, quam jam S. Bern. habent, virtus paulatim perire incipit: hinc poſtea, in mediis variarum inſurgentium tentationum, & occaſionum præſentiſſimarum fluctibus ac tempeſtatibus, in quibus majori virtutum commeatu, & ſpirituali ſubſidio opus habebant, ab omni ſe prorſus præſidio denudatos, & deſtitutos inveniunt. Væ igitur illi, cui malacia in virtute placet. Gal. 5. 7. *Currebatis benè,* inquit Apoſtolus, *quis vos impedivit veritati non obedire?* Benè, inquam, laudabiliterque, cum primùm Religionem ingreſſus es, currere cœpiſti; jam verò virtutum curſum abrupiſti 1. Cor. 4. 8. & quieſcis (*Iam ſaturati eſtis, jam divites facti eſtis*) id eſt, te modo quaſi præ ſenio excuſandum & defatigatum geris; jam tibi videris dives, ac ſufficere cenſes quod habes. Sed vide: multum enim tibi adhuc ſpatii conficiendum eſt, *& grandis tibi reſtat via,* 3. Reg. 19. 7. plurimæq; indies aggerentur occaſiones, in quibus cum majore tibi opus erit humilitate, patientia, mortificatione & indifferentia, prorſus te inermẽ, inopem, & planè in poſtremis hærentem, idque majoris neceſſitatis tempore, ſub extremum videlicet vitæ actum, comperies.

Caput VII.

Permultùm ad perfectionem conſequendam confert, boni præteriti & boni anteacti obliviſci, & ad ea quæ adhuc deſunt, reflectere.

1. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc; & ſanctus, ſanctificetur adhuc.* Apoc. 12. 11. S. Hieronymus & Beda in illa Domini Hieron. & Beda apud Matthæum verba, *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi* Matth. 5. 6. *ſaturabuntur,* ſic ſcribunt; *Apertiſsimè nos Redemptor inſtituit, nunquam nos ſatis juſtos æſtimare debere, ſed quotidianum juſtitiæ ſemper amare profectum.* Nec aliud citatis illis verbis ſignificare Ioannes Evangeliſta voluit.

2. ApoſtolusPaulus egregium Phil. 3. proprium q; ad hoc medium, quo & ſeipſe uſum affirmat, Philippenſibus ſuggerit: *Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe. Vnum autem, quæ quidẽ retrò ſunt obliviſcens, ad ea quæ ſunt priora, extendens meipſum; ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu.* Apoſtolus palàm ſe

se perfectum esse negat, quis ergo se perfectum credat? Ego, inquit, nondum me ad perfectionem pervenisse mihi persuadeo, sed omni contentione ad eamdem pertingere allaboro. Quid verò, eam assecuturus, ages? Scire vis? Anteactorum obliviscor, & ea quæ mihi adhuc desunt, ob oculos pono; ad hæc me animo, hæc assequi toto animi studio connitor.

Basil. epist. ad Chilon. 3. Medium hoc, ceu singulare, SS. Patres omnes maximopere extollunt, mirificeque commendant, tamquam ab Apostolo suggestum & usurpatum. Vnde præclarè S. Hieronymus, *Quicunque*, inquit, *sanctus esse vult, quotidie in priora extenditur, & præteritorum obliviscitur*, ea quæ sibi sunt, acquirere studens. *Felix ergo est, qui quotidie proficit* in virtute & perfectione, quis autem ille? *qui* scilicet *non considerat, quid heri fecerit, sed quid hodie faciat, ut proficiat.* Particulariùs id declarant SS. Gregorius & Bernardus. *Hieron. in Psal. 83.*

S. Gregor lib. 22. Moral. 6. §. S. Bern. serm. de altitudine & bassie. cordis. 4. Hoc porrò medium duas partes, magni ambas momenti, complectitur. *Prima* est; ut bonum, quod hactenus fecimus, obliviscamur, & nequaquam respiciamus. Hujus autem rei sigillatim nos commonefieri oportuit: quòd insitum nobis omnibus à natura sit ac velut ingenitum, ut facilè & statim animum & oculos reflectamus ad id quod magis delectat, avertamus autem ab omni eo, quod offendere, & aliquam afferre nobis tristitiam ac molestiam potest. Quoniam verò proprii profectus, & bonorum, quæ nobis aliquando videmur fecisse, intuitus maximè delectabilis est; spiritualem verò paupertatem, & multum quod nobis deest, intuentes contristamur; hinc fit, ut potiùs in bonum quod alias fecimus, quàm quo adhuc caremus, oculos conjiciamus. *Et sicuti*, inquit S. Gregorius, *in id lecti latus maximè se ager vertit, quod mollius ac plumosius, quodque ad sui refocillationem & quietem commodius & magis proprium est: Sic (quæ hominis infirmitas, imbecillitas & imperfectio est) libentiùs & majori cum voluptate recolimus & volumus id quod ante egimus bonum, quàm quod nondum habemus.* Majora his habet S. Bernardus: *Noris*, inquit, *in hoc vado multa esse pericula: Si enim respicis ad ea quæ habes, elevaris in superbiam dum te aliis præponis; proficere negligis, quia magnum te habere arbitraris, & tepidiùs incipis deficere, & remissiùs agere.* Si enim oculos ad bonum quod aliquando egisti, convertas, aliud inde non hauries, quàm quòd extollaris in superbiam, aliquid te esse censens; atque inde statim descendens ad te cum aliis conferendum, imò & præferendum; quin etiam tandem ad alios parvi, te verò magni faciendum devolvaris. *S. Greg. loc. cit.* *S. Bern. loc. cit.*

5. Verum id esse, comperies in Pharisæo illo Evangelico, quam malè nimirum hæc illi res ceciderit. Respiciebat is bonum quod habebat, omniumque virtutum suarum numerum inibat, *Gratias*, inquiens, *tibi ago Domine, quòd non sum sicut cæteri homines, fures, injusti, adulteri, sicut & hic Publicanus; jejuno bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo*, quin & in *Luc. 8. 11 & 14.*

in altari tuo fructuum tibi primitias offero. De quibus tamen omnibus hoc Christus testimonium dedit, *Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo*; publicanus scilicet, cui se fastuosus ille Pharisæus antepoſuit; qui verò ſe juſtum credebat, Pharisæus, ut injuſtus & iniquus à Domino condemnatus eſt. Hoc, ſcilicet, dæmon bonum, quod habere te putas, tibi ob oculos ponendo molitur, nimirum, ut te ipſe aliquo loco habeas, ſuperbia eleveris, alios contemnas, parvique facias, ut hoc pacto ceu ſuperbus & iniquus condemneris.

6. Naſcitur hinc & aliud periculum ac malum, inquit S. Bernardus: ex eo enim quòd oculos in bonum quod egiſti, & laborem quem ſuſcepiſti, incipis conjicere, ſequitur, quòd ulteriùs progredi negligas, inq; tuo profectu intepeſcas & elangueſcas, tibi perſuadendo, ſatis te jam laboris in Religione ſuſcepiſſe, jamque de requie poſſe cogitare: Perinde ac viatores, qui quando defatigari jam incipiunt, reſpiciunt, ut videant quãtum itineris ſint emenſi: pari modo nos, dum jam defatigamur, & intepeſcimus, inſpicere incipimus, quid poſt nos reliquerimus; eoque fit, ut id nobis ſufficiat, inque noſtra debilitate & inerti languore magis confirmemur.

7. Ut ergo hæc incommoda periculaque fugiamus, permultum conducet, non reſpicere bonum quod egimus & habemus, ſed id, quo adhuc caremus: ſiquidem rei actæ intuitus ad torporem languoremque, agendæ verò ad laborem ac ſudorem invitat. Hæc eſt ſecunda pars medii illius, quod nobis Apoſtolus ſuggerit, nimirum in id tantùm oculos conjicere, quod nobis deeſt, quo ſic ad id conſequendum animemur & connitamur. Quo obviis quibusdam exemplis & comparationibus SS. Patres declarant. S. Gregorius hanc dat: Sicut debitor, mille cuidam debens aureos, perſolutis jam ducentis aut quadringentis, cura & ſollicitudine debiti prorſus non vacat; ſed ſemper animo voluit id quod adhuc ſibi perſolvendum reſtat; quod ita illum angit & cruciat, ut non ante ingemiſcere & cruciari deſinat, quàm totum ſit æs alienum diſſolutum. Sic noſtrum eſt, non intueri, aliquam Deo nos debiti portionem, eo quod hactenus præſtitimus, bono dependiſſe, ſed potiùs magnam illam, quæ adhuc ſolvenda reſtat, partẽ recogitare; atque hoc nos perpetuò anxios reddere debet, hæc ſpina & crux eſſe, quam ſemper cordi infixam geſtare nos oportet. Ait præterea S. Gregorius, ſicuti prudentes viatores & peregrinantes non conſiderant quantum viæ jam confecerint, ſed quantum ſibi conficiendum ſuperſit, idq; ſemper præ oculis habent, donec tandem ſuum iter perficiant; ſic nos, cum hîc velut peregrini & viatores ſimus, ad patriam noſtram cœleſtem tendentes, id viæ reſpicere nefas eſt, quod jam confeciſſe nobis videmur, ſed quod adhuc conficiendum reſtat. *More itaque*, inquit, *viatorum, nequaquam debeamus reſpicere, quantum jam iter egimus, ſed quantum ſu-*

Margin notes: S. Greg. loc. cit. — S. Bern. loc. cit. — Luc. 8. 11 & 14. — Similitudines. Prima à Debitorib. — Secunda à Viatoribus.

pereſt ut peragamus. His enim, ut ad locum aliquem perveniant, parum profuerit multum hactenus itineris feciſſe, niſi id conſtanter etiam emetiantur, quod adhuc emetiendum reſtat. Conſidera quoque, bravium & lauream, optimè & celerrimè inter alios in ſtadio currentibus dari ſolitam, iis non dari, qui bonam quidem ſtadii partem feliciter velociterque decurrerint, at circa ejus metam defatigati & anheli deficiunt: pari modo, parum tibi profuerit, benè curſum inchoaſſe, ſi in ejus medio laſſus deficias. Vnde monet Apoſtolus, *Sic currite, ut comprehendatis* id quod intenditis. Nihili facias, nec quidquam cures ſpatium hactenus decurſum, ſed ſemper animum & oculos in terminum ac metam, quam currendo tibi præfinis, ipſam inquam perfectionem, defige: ſimul perpende quantum tibi adhuc ſpatium decurrendum ſuperſit; ita fiet, ut benè, & prout oportet, curras. Quamobrem rectè S. Chryſoſtomus: *Qui conſiderat nondum ad metam deſtinatam ſe perveniſſe, curſum ſuum non interrumpet, ſed ſemper in eo progredietur.*

Tertia à Curſorib.

1. Cor. 9. 24.

Homil. 24 ſup. epiſt. ad Rom. 10. 4.

8. S. Bernardus imitari nos debere ait mercatores ſæculi hujus. Videas quippe mercatorem quotidie de re augenda & amplificanda ſolicitum, & ad omne lucrum intentum, parum curare quidquid hactenus lucratus eſt, nec labores & difficultates, quas ea cauſa perpeſſus eſt; ſed omne ſuum ſtudium & curam in eo ponere, ut de novo quid allucretur, ſuasque opes indies magis magiſque adaugeat, tanquam ſi eatenus nihil præſtitiſſet, nec ullum quæſtum feciſſet. Iſtud nos imitari decet, ac omni in id ſtudio incumbere, quomodo noſtrum indies adaugeamus peculium, magis magiſque, inquam, in humilitate, caritate, mortificatione, ac cæteris virtutibus, velut boni & navi mercatores ſpirituales, proficiamus, parum curantes quidquid hactenus aut laboris impenſum, aut fructus collectum. Hocque in ſenſu Redemptor noſter Jeſus regnum cælorum ſimile eſſe ait homini negotiatori, noſque omnes negotiari juſſit; *Negotiamini dum venio.*

Serm. de altitud. & baſſitud. cordis.

Quarta à Mercatoribus.

Matt. 17. 45.

Luc. 19. 23.

9. Vt verò hanc mercatoris ſimilitudinem pluribus deducamus, cùm & Evangelium ipſam nobis proponat; vide, obſecro, quomodo mundani mercatores & negotiatores omni, qua poſſunt, cura, ſolicitudine & induſtria advigilent, ne ſibi vel minima lucrandi, peculiique augendi elabatur occaſio, &, ſi quapiam è re quæſtum facere poſſint, eum negligentia & ſomnolentia ſua non ſinant effugere: hocque tu pro modulo tuo imitari ſatage; nullam vide, inquam, ut lucrifaciendi occaſionem effluere tibi patiaris, ſed ea cùm ſeſe offert, ſedulò amplectere, ut S. P. N. nos commonet, dicens: *Omnes conſtanti animo incumbamus, ut nihil perfectionis, quod divina gratia conſequi poſſumus, prætermittamus.* Nullam omninò occaſionē effluere ſinas, è qua non aliquod lucellum ſpirituale tibi colligas: V. g. vel ex unico verbulo, quod tibi quis dixerit; item ex Superioris mandato, quod

S. P. Conſtit. c. 1. ſ. 1. de Reg. 15. Summar.

quod ubi præter voluntatem imposuerit; denique ex quavis, quæ se tibi obtulit, humilitatis exercendæ occasione. Hæc omnia tua sunt lucra, tuumque est hasce ansas & occasiones captare, quærere, & velut emere. quo autem die plures id genus tibi oblatæ fuerint, eo lætiùs & hilariùs cubitum concedas: sicut ea die peracta lætari mercator solet, qua plures lucrifaciendi occasiones ei occurrerunt (quòd illa die optimè sit munere suo perfunctus;) ita & tu laudabiliter illa die Religiosi partes adimplesti, quia quæstum aliquem & profectum in spiritu facere potuisti. Atque ut mercator pensi non habet, an alius quis jacturam faciat, nec ob hanc ipse aut cruciatur aut contristatur; sed lucro proprio duntaxat intentus est, & eo sibi plaudit: æquè parum tu respicias, utrùm proximus hanc tibi occasionem dando, benè an malè fecerit; utrùm hujus dandæ rationem aliquã, vel nullam habuerit, neu adversus ipsum propterea indigneris; sed tuo lucro gaudeas, deque eo tibi gratuleris. O quàm procul, dum hujusmodi occasiones nobis occurrunt, ab omni stomachandi, pacisque amittendæ periculo abessemus, si hoc modo ageremus? Etenim si, quod nos contristare, pacemque mentis disturbare posset, illud sit quod toto studio desideramus, & captando quærimus, quid nos aut perturbare, aut de animi posset tranquillitate dejicere?

Matt. 13. 45. Luc. 19. 23.

S. p. Const. c. 1. §. 1. de Reg. 15. Summar.

10. Vide insuper, quomodo mercator ita sup immersus & velut absorptus, sit lucro, vt nihil aliud cogitare videatur. hinc ad singulas occasiones, & occurrentes casus, statim oculos & cor intendit, visurus quemnam, & quomodo, ex hisce quæstũ reportet; etenim & mensæ accumbens de lucro cogitat. In hac cogitatione & cura lectum petit, per hãc somnus de nocte interturbatur, in eadem rursus manè strato surgit, hæc denique die tota assiduò menti recurrit. Tali modo & nos in animarum nostrarum negotio geramus oportet, vt nimirum in omnibus casibus, & quæ sese offerunt, occasionibus, oculos quamprimum & animum circumferamus, visuri quoniam pacto ex illis lucrum aliquod spirituale possimus elicere. Si enim comedamus, hoc nobis cogitandum est, in hac cogitatione & cubitum concedere, & lecto surgere, & diem totum, adeoque universum vitę tempus transigere nos oportet: quia in hoc omnis nostra sita est negotiatio, ibi noster thesaurus, & præter hũc nobis alius quærendus non est. Addit his S. Bonaventura, sicut mercator simul, & uno in mercatu non invenit quidquid desiderat & opus habet, sed varias nundinas adeat necesse est: ita Religiosus non in sola oratione spiritualique consolatione, profectum & perfectionem suam quęrere debet, sed & in tentatione, laboribus, rebus muneris sui, demum in omnibus quæ illi offeruntur occasionibus.

Tom. 2. opuscul. l. 2. de profect. Relig. c. 1.

11. Certè, quã citò virtutibus divites & locupletes essemus, si hoc modo eas quæreremus & procuraremus! *Si quæsieris*, inquit Sapiens, *eam* (virtutem nimirum & perfectionem, quæ

Prov. 2. 4.

 est

eſt vera ſapientia) pari diligentia & ſollicitudine, qua mundani homines pecuniam, & qua *theſauros effodiunt*, & argenti fodinas, haud dubiè reperies eam; *& tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei invenies.* Neque verò magnum quid in hac re, ait S. Bernardus, Deus à nobis efflagitat; cùm, ad veram ſapientiam, & verum theſaurum (qui eſt ipſemet Deus) comparandum, majus à nobis ſtudium & diligentiam non exigat, quàm filii hujus ſæculi in perituris fluxiſq; divitiis, quas & tinea demolitur, & fures effodiunt, & cras peribunt, coacervandis impendant: cùm & bonorum ſpiritualium cupiditas, & noſter erga illa amor, & in illis colligendis ſolicitudo, tanto eſſe debeat major, quanto hæc temporalibus & majora ſunt, & digniora. Quam mortalium cæcitatem idem S. Pater amarè ſatis deplorat, dicens: *Magna confuſio, magna valdè,* nobis, *quòd ardentiùs illi* (mundani) *pernicioſa deſiderant, quam nos utilia*; diligentiùs illi vitia & mala, quàm nos virtutem; *citiùs illi ad mortem properant, quàm nos ad vitam.*

Bernard. ubi ſuprà.

Serm. v. de altit. & baſſit. cord. & epiſt. 3, 41.

12. Abbas Pambo, ſicut Eccleſiaſtica refert hiſtoria, cùm Alexandriam veniſſet, obviam mulierem mundanam habuit: quam cum ſuperbè ornatam, & egregiè comptam cerneret, in lacrymas ilicò & gemitus prorupit, dicens, *Væ mihi, væ miſero mihi.* Percunctantibus diſcipulis, Pater quid ploras? reſpondit ille, An non meritò plorem, cùm mulierem hanc videam plus curæ & laboris in corpore comendo impendere, quò hominibus complaceat, quàm ego in anima mea, quò placeam Deo? Video, hanc ſe plus affligere & cruciare ad homines illaqueandos, & deinde ad inferna trahendos, quàm ego me ad eos cœlo afferendos. S. P. Franciſcus Xauerius, vir Apoſtolicus, etiam erubuiſſe legitur, & ſibi ſuccenſuiſſe comperto, mercatores priùs ad Iaponas ultimos penetraſſe, ut caducas & tranſitorias merces ſuas ad eosdem deveherent; quàm ipſe, ut Evangelicos theſauros & opes illuc inferret, quò per eas fides Chriſtiana illic dilataretur, ac regni cœlorum limites latius propagarentur. Erubeſcamus itaque & nos, & præ pudore confundamur, quòd filii hujus ſæculi in rerum mũdanarum ſtudio prudentiores multò & vigilantiores ſint, quàm nos in divinarum: *quia filij hujus ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt.* Atque hoc nobis ſufficiat, ad teporem & languorem mentis excutiendum.

Hiſtor. Eccleſ. p. 2. l. 6. c. 1. & in vita S. Pelagiæ.

Lib. 3. vita c. 16.

Luc. 16. 8.

CAPUT VIII.

Perfectioni comparandæ permultùm confert, rebus altis & eminentibus animum intendere.

1. NOn parum quoque ad profectum & perfectionem cõparandam conducet, ſi oculos animi ſemper in res altas magnamque perfectionem includentes conjiciamus, juxta illud Apoſtoli conſilium ad Corinthios ſcribentis, *Aemulamini charismata meliora* & majora; magna & heroica, inquam, aggrediamini, *adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.* Permagni

Cur altius ſcopo ſit colliniendum.

1. Cor. 12. 31.

gni momenti hocce medium est: necesse quippe est, ut conceptibus ac desideriis nostris sublimissimè evolemus, ut opere ipso saltem ad id quod æquum & rationi consentaneum est, pertingamus. Obvia cōparatio perspicuè totam hanc rem ostendet, &, quanti momenti, quamque necessarium hoc medium sit, ad oculum declarabit. Quando arcus vel ballistæ alicujus nervus remissior est, necesse est, quò scopi centrum ferias, uno altero ve palmo altius visu collimare, ac dioptram dirigere: cum enim funis laxior sit, non feries id in quod intendis; at si altius paulò oculis collinees, recta destinatum attinges. Nos quotquot sumus, instar arcus flaccidi, ita languemus & flaccessimus, ut, quò scopi centrum & album tangamus, summè & altissimè collineemus, oporteat. Homo siquidem per peccatum sic laxatus & enervatus est, ut, quò vel ad mediocrem saltem virtutem pertingat, ad majora & altiora conceptu desiderioque eum aspirare necesse sit.

An sola mortali a cavere sit securum.

2. Dicet mihi quispiam: Sufficit mihi nullum me lethale crimē, committere, ad altiorem perfectionem non anhelo. At vereor, ut vel eatenus non pertingas, quòd arcus tuus remissus sit & flaccescens. Si autem altiora conciperes, illuc fortasse pertingeres quò intendis. Sed ulterius non evolando, vereor ut in posterioribus maneas, & in præsentissimo verseris lethale crimen consciscendi periculo. Religiosus porrò, cui propositum est, non solum Dei præcepta, sed & consilia sua exactè servare, quique non modò à lethalibus peccatis, verùm etiam venialibus, & reliquis imperfectionibus statuit abstinere; is probatum & laudabile iter ingreditur, ut in nullum peccatum mortale impingat, quòd altius & sublimius quoddam propositum concepit: qui si fortassis ex infirmitate eò non pertingat, quò pertingere proposuit, sed retro paululum remaneat, non delinquit, nisi forsan in re quæ puri consilii est, non præcepti; tantùm parvam aliquam regulam prætergreditur, levem aliquam imperfectionem admittit, denique nonnisi venialem noxam contrahit. Alius verò ille, qui solummodo proponit nullum mortale crimen consciscere, etsi alioquin in postremis hæreat, quòd arcus flaccidus ac remissus sit, tandem etiam lethale scelus incurret.

Mundani sæpè, Religiosi rarò peccant mortaliter.

3. Hæc causa est, cur mundanos tam frequenter in gravia & lethifera flagitia labi, bonos verò Religiosos (quæ Dei bonitas & clementia est) ab illis liberos, & nimium quantum remotos esse videamus. Atque hoc unum de magnis illis bonis est, quibus Religiosus status gaudet, & ob quod nos ingentes Domino agere gratias par est, qui nos ad eundem vocare dignatus est. Et sanè, tametsi nullum aliud præter hoc Religio bonum in se complecteretur, id unum nobis satis esse deberet ad magna cum consolatione & gaudio vivendum, & instar singularis cujusdam beneficii gratiæque Dei habendum, quòd in eamdem nos adsciverit. Ibi namque, Deo dante, spero fore, ut quod

reliquum est vitæ, sine ulla sitis peccati mortalis noxa traducturi: si verò in mundo ageretis, vix annus, imò mensis, ac fortasse ne septimana quidem, sine lethali peccato vobis transiret.

Religiosus tepidus quomodo recuperet zelum.

4. Hinc etiam manifestum fiet, in quanto tepidus ac flaccidus Religiosus, qui regulam violare parvi facit, & parum de perfectione sua procuranda solicitus est, periculo vivat. Is namque proximè abest, ut in grave aliquod crimen præcipitet. Si porro proficere in spiritu desideres, animo concipe perfectissimam quandam humilitatem, qua eò tandem pervenire velis, ut quodlibet opprobrium & ignominiam cum gaudio recipias; det porrò Deus, ut saltem patienter & æquanimiter illa feras. Stude quidem perfectissimam quandam voluntatis simul & intellectus obedientiam acquirere; utinam verò etiam in ipsa exteriore præcepti executione, & plena ejusdem perfectione non delinquas. Stude quidem in rebus quibuscumque difficilibus & arduis, quæ tibi occurrere queant, totum te resignare, & indifferentem habere; utinam verò postea, in ordinariis & communibus saltem, quotidie se offerentibus, resignatè te gerere possis.

Cur altissima Lex data de dilectione.

Lib. de perfect. just. ratiocin. 16. tom. 7.

5. Hoc scilicet, ut auctor est Augustinus, spectat Deus, dum ante omnia mandata, & ipsorum in principio, altissimum simul & perfectissimum nobis mandatum servandum præscribit, dicens, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua. Hoc est primum, & maximum mandatum*, atque adeò reliquorum finis, dicente Apostolo: *Finis præcepti est charitas.* Tanta autem mãdati hujus excellentia est, ut ultimam & plenam ejus perfectionem non hujus esse vitæ, sed futuræ reservari, Doctores, Theologi & Patres unanimiter doceant. Nulla namque alia re occupari quàm solo Deo, ut totũ cor nostrum, voluntatem, intellectum, mentem, omnes denique vires nostras, semper ac perpetuo, in illo diligendo intensas habere, solis mentibus cœlesti beatitudine perfruentibus datum est, estque beatæ vitæ status: in hac eatenus pertingere non possumus, quòd corporeis necessitatibus nos servire necesse sit. Quamvis autem hoc mandatum adeò sublime sit, tantamque perfectionem includat, ipsum tamen Deus ante alia omnia, atque omnium primum proponere non dubitat, ut intelligamus, quousque nos extendere, & pervenire studere debeamus. Hinc bene Augustinus: *Cur non præcipiatur, quòd Deus ex toto corde diligatur, etiamsi hoc præceptum in hac vita non possit impleri? quia non rectè curritur, si quò currendum est nesciatur.* Id est, ideo in ipso principio nobis à Deo mandatum hoc tam arduum & sublime proponitur, ut nostrum, in tam eminentem finem eximiamque perfectionem oculis conjectis, brachium quàm maximè extenderemus, & saltem discum jaceremus quam possemus longissimè. Quo enim altiùs collineaverimus, eò minùs à scopo præfixo aberrabimus.

S. Th. 2. 2. q. 184. a. 2.
Luc. 10. Matt. 27. 37. Deut. 6. Tit. 1.

S. Hie-

Pf. 82. 6.

In ferventium & infamia pignorũ.

6. S. Hieronymus ad illa Prophetæ verba: *Beatus vir, cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit*, scribens, ait; *Sanctus ponit ascensiones in corde suo, peccator descensiones.* Sanctus, inquam, semper ascendere, & in via perfectionis progredi allaborat; atque hoc est, quod cordi is suo perpetuò insculptum gestat & circumfert: secundum illud Sapientis, *Cogitationes robuisti semper in abundantia:* Peccator verò & imperfectus de nulla re minùs sollicitus est: nam communi vitæ genere contentus est, & summum vixdum in medio consistere satagit; atque inde est quòd deficiat, & ad ima vergat. Præclarè Ioannes Gerson, *Vox*, ait *multorum est, sufficit mihi vita communis: si cum imis salvari potero, satis est.* *Nolo merita* & perfectiones excellentiores *Apostolorum*, & illustrium Sanctorum, *nolo volare per summa, incedere per planiora contentus sum.* Hæc scilicet vox est imperfectorum: nam illi nomine *multorum* intelliguntur; perfecti quippe, pauci sunt. Vnde in Evangelio Dominus: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Et, *Lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem* (via, inquam, communis & tepiditatis) *& multi sunt, qui intrant per eam. Quàm angusta verò porta, & arcta via est, quæ ducit ad* perfectionem, & proinde ad *vitam, & pauci sunt qui invenerunt eam!* Illos proinde putat Augustinus per *pecora campi* apud Psalmistam designari, quòd in campo spatioso, ac latè patenti incedere, nullam verò subire regulam, nec cõstringi arctiùs velint. Quocirca benè Gerson ex sola hac voce, *Sufficit mihi vita communis: si cum multis salvari potero, satis est; majorem perfectionem habere nolo*; manifestè colligi asserit aliquem imperfectum esse; cum per angustam ingredi portam detrectet. His ergo, quibus præ tepore satis esse videtur, si cum mediocribus, & media turba salventur, magnopere ait timendum esse, ne cum fatuis virginibus præ inertia dormitantibus condemnentur, necnon cum servo illo pigro, cui satis fuit talentum à domino acceptum asservare in terra defossum, nec cum illo negotiari aut lucrari voluit; cui proinde & quod habebat talentum, ablatum est, & ipse in tenebras exteriores conjectus. Alia certè ejus condemnandi causa in Evangelio non legitur, quàm quod acceptum talentum lucro adaugere noluisset.

Prov. 21. 5.

3. p. tract. de myst. Theol. pract. industr. seu consid. 4.

Matt. 20. 16.

Mat. 7. 13

Psal. 8. 8.

Matt. 25. 12. & 30.

Parabola pigri in via virtutis.

7. Vt verò magis ad liquidũ pateat, quàm turpis & infamis horum sit status, exemplum hujusmodi adducit Gerson: Finge tibi animo, inquit, patri cuidam familias, tum genere, tum opibus illustri, multos esse filios, & omnes quà familiæ ad posteros propagandæ, quà generi per industriam aliasque dotes naturales illustrando peridoneos, atque omnes id naviter agere, præter unum; qui, reliquis facientibus quod filios tam illustri patre natos facere par est, præ torpore & desidia vult otio diffluere sedendo, inque domo paterna dissolutè vivendo, ac nihil ingenio paternaque stirpe dignum agere, quo familiam suam propaget & illustret; cùm tamen non minùs rem suam facere cum laude posset, si modo vellet,

let, ac reliqui fratrum; sed sufficere sibi ait quod habet, ad in statu quodam mediocri vivendum; majorem se proinde honorem nolle, nolle se majorem fieri, imò ne quidē ad hoc conniti velle. Hunc itaque ad se parens evocat, rogat instanter, &, quà potest, persuadet, ut altiora quædam ac sublimiora concipiat: atque ut ad hæc illum exstimulet, revocat illi in mentem habilitatem, ingenium, naturæ dotes, generis nobilitatem, exempla tum majorum, tum fratrum, qui quotidie ob oculos ejus obversantur. Qui si ne his quidem omnibus è veterno desidioso excitari, ad lares paternos relinquendos, atque ad altiora quædam aggredienda existimulari queat, magno haud dubiè patrem mœrore afficiet. Pari modo, inquit Gerson, cum filii Altissimi, & Iesu Christi fratres nos simus, Pater noster cœlestis, his nos ad perfectionem verbis exhortatur & animat, Nolite, filii mei, vita quadam com-

Matt. 5. 48. muni contenti esse, sed *estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*: insignem patris vestri generositatem & perfectionem respicite, ea & facite, quæ talis patris filios decent, *ut sitis*

Ibid. v. 45. *filii patris vestri, qui in cœlis est.* Respicite quoque fratrum vestrorum exemplum; in primis, si in primogenitum, & majorem natu, fratrem, Iesum Christum inquam, oculos conjicere velitis; videbitis illum universi generis nostri decus & ornamentum fuisse; quod quamvis illi sanguine & vita constiterit, ejus tamen comparatione benè eam credidit datam & impensam. Si verò nimis sublustri hujus unius exemplo oculi vestri imbecilliores perstringantur, reliquos fratres, non minus debiles quàm vos, in peccato etiam natos ut vos, passionibus, tentationibus, & pravis inclinationibus, non minùs obnoxios quàm vos, intuemini. Siquidem hanc potissimum ob causam, Ecclesia mater nostra Sanctorum nobis exempla proponit, illorumque festivitates celebrari præcipit. Si autem & propior, ac velut domi nata exempla magis moveant, eorum considerate exempla fratrum, qui eodem utero, eâdem Religione, eâdem vobiscum Societate producti sunt: respicite inquam, & inspicite S. Patrem Ignatium, S. Franciscum Xaverium, B. Franciscum Borgiam, Edmundum Campianum, aliosque similes, quos nostis. Date itaque operam, ut eos imitemini; nolite familiæ ac Religioni vestræ probro & decori esse. Quem omnia hæc, ad opera heroica non existimulant, sed cui vita communis & ordinaria sufficit, an non ad oculum patet, hunc, quantum ex parte sua, Deo, qui Pater noster est, tristitiam & amaritudinem, proximo & fratribus scandalum allaturum, ac mereri, ut Pater cœlestis eum ceu filium, fratres verò ceu fratrem non agnoscant?

8. Dicimus ergò, alta & generosa quædam proposita nobis esse concipienda, & semper in magna atque eminentia opera oculos ac cor conjiciendum; ut, tametsi ob imbecillitatem & fragilitatem nostram, huc pertingere non valeamus, non ideò tamen in postremis hæreamus. Imitari

A simili suadetur altior Intentio.

tari quippe nos hic oportet mercatores, qui ſuas merces vendituri, ultra condignum exigere pretium ſolent, ut emptor tandem ad id quod æquum eſt, offerendum deſcendat, Nec non eos qui paciſci cum aliquo volunt: hi enim in principio plura petunt, quàm aut ratio aut æquitas ſuadeat, ut paulatim alii ad ſummam rationi conſonam dandam delabantur; juxta illud tritum ſermone proverbium, *Iniquum* (id eſt, plus quàm juſtum eſt) *petas, ut juſtum feras.* Pari modo & ipſe hic ſuadeo moneoque, ut petas, ſcilicet, non, quod injuſtum, ſed quod juſtiſſimum eſt. Primò, inquam, poſtula quod juſtiſſimum eſt, ut hoc pacto deſcendas ſaltem ad id quod juſtum eſt: poſtula & deſidera primò quod pretioſſimum eſt, ut ſic ad mediocri pretio digna dilabaris. Si enim oculos duntaxat in mediocre conjicias, & ad altiora majoraque te non extendas; ne ad media quidem pervenies, ſed admodum in extremis hærebis.

Medium excitandi animos ad alta. Collationes & exhortationes.

9. Hinc patet, quanti in Exhortationibus, Collationibus & colloquiis ſpiritualibus quæ inſtituimus, referat de rebus eximiam quandam perfectionem includentibus tractare; ad profundiſſimam quamdam humilitatem (quæ ad ſupremum uſque gradum perveniat) ad perfectam omnium paſſionum & appetituum mortificationem, ad integram cum voluntate divina conformitatem (ut aliud in nobis velle & nolle non ſit, quam id quod Deus aut vult, aut non vult, hocque unicum noſtrum ſit gaudium & omnis recreatio) nos invicem exhortando; atque ita de cæteris virtutibus. Objiciet hîc forſan aliquis, Ad quid, de tam altis ac ſublimibus rebus apud homines imbecilles, & qui interdum vix dum prima pietatis veſtigia poſuere, loqui ac diſſerere? Si nobis dicerentur ea, quæ noſtræ imbecillitati tenuitatiq; forent conſentanea, quæ plana, aperta, intellectu facilia; forſan ad ea haud gravatè animũ applicaremus; ſed hæ perfectiones ad tertium uſque cœlum pertingentes, non nobis, ſed Apoſtolo Paulo, aliiſque ei haud abſimilibus proponendæ tradendæque videantur. Sed, heus ſodes, inani hæc tua objectio nititur fundamento. Ad te perfectiones hæ ſpectant, &, cum de iisdem loquimur, tecum loquimur; imò, hanc ipſam ob rationem, ob quam tibi eas tradi debere negas, eæ tradendæ ſunt. Dicis, tibi tam alra & ſublimia ideò tradenda non videri, quòd imbecillis ſis, & imperitior; & ipſe vice verſa, ob hanc ipſam imbecillitatem tam alta, tamque perfecta tibi ajo dicenda & proponenda, ut, dum oculos in iſta excelſa conjeceris, ſaltem id facias quod æquum & juſtum eſt, mediocritatem aſſequaris, nec in virtutum ſtadio tam procul à meta agas, nec ab earum faſtigio tam ſis remotus.

10. Huc etiam non parum conferet, vitas exemplaque, Sanctorum cum legere, & ex aliis audire, tum excellentes eorum virtutes & heroicas actiones accurata meditatione recolere. Atque hac de cauſa eadem nobis ab Eccleſia proponuntur, ut, quam-

Aliud medium, vitæ Sãctorum quæ & excitant & confundunt.

quamvis eo perfectionis pertingere nequeamus, quo illi pertigerunt, saltem teporem nostrum excutere proponamus. E quo & alia utilitas resultat, fore nimirum, ut, dum Sanctorum vitæ puritatem consideramus, apud nos confundamur, & videntes quàm adhuc procul ab illa meta distemus, ad quam illi, auspice Deo, pervenerunt, apud nosmetipsos humiliemur. Egregiè id declarat Gregorius Magnus super illa
Lib. 24. Moral. c. 9. Iob. 33. 27. Iobi verba, *Respiciet homines sanctos & justos, & dicet, Peccavi*, videndoque illustria illorum exempla, humiliabitur & confundetur. Sicut pauperes tum magis & evidentiùs suam inopiam perspiciunt, cum amplissimos divitum & potentium thesauros intuentur: ita, inquit Gregorius, tum magis se anima humiliat, suamque pauperiem agnoscit, cum illustria Sanctorum exempla, & laudabiles eorum vitas coram intuetur Exemplum.

In vita S. Pauli primi Eremitæ. *Cùm S. Antonius Abbas*, ut tradit Hieronymus, *à visitatione S. Pauli primi Eremitæ, cujus eximiam vitæ sanctitatem coram inspexerat, ad discipulos suos reverteretur, illique prodeuntes obviam, ab eo peterent, Vbinam hactenus fuisti Pater? ille multo cum fletu respondens ait, Væ mihi peccatori, qui nonnisi umbra sum monachi, & falso Religiosi nomine glorior! Vidi Eliam, vidi Ioannem Baptistam in deserto, cùm vidi Paulum in paradiso.* Simile quid de magno legitur Macario, qui cum exteros alicubi monachos visitasset, mirabilemque illorum perfectionem vidisset, ad suos reversus, incessanter prorabat, dicens, *Vidi Monachos verè monachos, non sum ego monachus, ut qui nudum duntaxat monachi nomen obtineo.* Si hoc ipsi Sancti (quæ eorum erat humilitas) dixerint, multò sanè verius ac potiori jure id dicere ipsi possumus, dum Sanctorum exemplum & heroicas eorum virtutes consideramus, adeò ut quæ nobis in perfectione desunt, ea per humilitatem & confusionem nostri supplere debeamus. Quocirca illud, quod jam deduximus, medium, omni ex parte nobis non mediocriter proderit.

Caput IX.

Quanti referat parva magnifacere; nec ea, ceu parva, parvipendere.

1. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Est hoc maximi ponderis ac momenti documentum, iis Eccl. 19. 1.
præsertim, qui perfectioni comparandæ student. Magna quippe ex seipsis satis commendabilia sunt; at in minoribus facilius aliqua obrepere solet negligentia & contemptus, quòd parvi ea esse momenti, nec multum ab eis dependere credamus. Quod profectò, insignis est error: cum maximum in his momentum situm sit. Benè proinde verbis illis per Sapientem allatis, nos Spiritus sanctus præmonet, ut istud à nobis periculum avertamus: quod, qui modica contemnit, & parva parvi facit, paulatim fit in majora prolapsurus. Hæc sanè ratio esse debebat satis ad hoc nobis persuadendum, ac

sancto

sancto quodam timore nos complendos, cum & ipsius Spiritus sancti sit argumentum & monitum.

2. Egregiè autem rem hanc pertractat S. Bernardus: inter alia verò dicit, *A minimis incipiunt qui in maxima* postea *proruunt*, quapropter ne decipiaris, inquit, quia verissimum est vulgatum illud, *Nemo* (communiter loquendo) *repentè fit summus*, aut in vitio, aut in virtute; sed paulatim ac per intervalla & malum, & bonum accrescit. Et quemadmodum graves corporum morbi nonnisi paulatim generantur: sic infirmitates spirituales, ac graves animæ morbi etiam sensim accrescunt. Vnde si quando turpes nonnullorum Dei servorum ruinas videbis, ne putes tunc primum id damni in iis enatum esse: quia nunquam, qui diu sanctè laudabiliterque vixit, repentè ac simul in fœdum aliquod flagitium prolabitur: verum quia prius in rebus minutis ac tenuibus, quarum frequentatione omnis in ejus anima virtutis vigor atque amor paulatim elanguit atque emarcuit, negligenter se gessit; hinc promeruit, ut suam Deus manum paululum ab eo subduceret. Atque ita factum, ut postea, gravi orta tentatione, quæ eum invasit, cesserit ac succubuerit.

De ordine vitæ & morum institut.

Idem Bernard. Ser. cōtra vitium ingratit.

Eccl. 19.

3. Insigni id comparatione declarat Cassianus, qua & Spiritus sanctus in sacris Litteris usus est. *Domus & ædificia*, inquit, *uno simul impetu ad terram non concidunt, sed ab stillicidio tenui incipit malum: nam primò à minimis aquæ guttulis trabes & tigna omnia putrescunt, quæ deinde adusque parietes pervadentes eos emolliunt, exedunt & destruunt; quæ demum lues cùm adusque fundamenta prosperserit, tota tandem ædificii moles vastata & corrupta, una simul nocte corruit.* Hinc ait Sapiens, *In pigritiis humiliabitur contignatio, & infirmitate manuum perstillabit domus*: id est, quia principiis, damno adhuc exiguo, occursum non est, nec impluvium instauratum, nec stillicidium obturatum, uno die domus tota una ruina ad terram prolapsa periit. *Eodem prorsus modo*, ait Cassianus, *& homines magnas agunt ruinas, inque gravia mala præcipitantes, malè pereunt.* Primò siquidem affectiunculæ nostræ & passiones, ceu subtiles quædam stillæ, se in animam insinuando subingrediuntur, quæ paulatim penetrantes, ejus vigorem roburque enervant, luxant & infringunt, atque adeò tandem totum ædificium proruit; ex eo dumtaxat, quod homo in principio, cum damnum adhuc exiguum & facilè reparabile erat, instaurationem facere neglexerit, pauculas, inquam, stillas, easque parvas ab ea non diverterit. Nam quia parva & modica parvipendit, uno die fuit à gravi tentatione imperitus, & altero à Religione penitus defecit.

Collat. 6. Abbat. Theodor.

Eccl. 10. 8

4 Vtinam id quotidie plusquam satis, reipsa non experiremur! Profecto non potest homo non timere, summoque horrore percelli, tenuia illa considerans initia, à quibus

bus nonnullorum, qui postea in gravissima mala prolapsi sunt, pernicies consecuta est. Neque enim dæmon (quæ ejus vafrities est) ipsos Dei servos initio palàm, aperto marte, & malis gravissimis propositis, oppugnat; sed ex innata sibi fraudulentia, paulatim nihil minùs sentientibus, parva & minuta oggerendo, viam quodammodo præparat, ad eos in majora & graviora mala pertrahendos: si enim in principio peccata lethalia inspiraret, facillimè & perciperetur & repelleretur: at, cum parva & tenuia suggerit, tantum abest ut percipiatur & abigatur, ut potiùs audiatur & admittatur. Quare non sine ratione docet S. Gregorius, *majus quadamtenus venialium culparum esse periculum, quàm gravium.* Hæ enim, quanto evidentiùs cognoscuntur, tanto magis majoris mali cognitione, hominem commovent, tum ad eas circumspectè devitandas tum, si quando in eas incidit, citiùs ex illis emergendum. Sed culpæ veniales ac leves, quanto minùs percipiuntur, tanto minùs declinantur; & quoniam parvi penduntur, hinc citiùs iterantur ac continuantur; imò sic iis homo quodammodo insepultus & immersus est, ut nunquam generosè ac viriliter secum statuat eas à se excutere: Vnde non multò post, à parvis facilis ad majores committendas descensus est.

3.p.Pastor. admonit.35

S. Catharina Senens. dialog.c.172.

5. Consentiunt cum his & verba S. Chrysostomi, asserentis rem, quam ipse mirabilem vocare non dubitat: *Mirabile quiddam*, inquit, *& inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnunquam videri, non tanto studio magna esse peccata vitanda, quanto parva & vilia: illa enim ut aversemur, ipsa peccati natura,* & horrorquem includit, *efficit; hæc autem hac ipsa re quia parva sunt, desides reddunt, & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere. Vnde citò ex parvis maxima fiunt, negligentiâ nostrâ.* Propterea ergo tanti hoc diabolus facit, hacq; ex parte Religiosos & servos Dei potissimum aggreditur: tum verò quòd perspectum habeat, & speret, hac se via aditum inventurum, ut eos deinde ad culpas graviores admittendas pertrahat. Vnde benè S. Augustinus: *Quid enim interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta, impleat navem atque submergat?* Ita parum curat dæmon, utrum per parva & vilia in animam ingrediatur, an per majora; modo tandem consequatur quod spectat, hominem scilicet subvertere & demergere. Addit S. Bonaventura, *Ex minimis guttis multiplicatis inundationes aquarum fiunt, quæ etiam magna aliquando mœnia subruunt; per modicam rimam aqua latenter iu navem influit, donec submergatur.*

Hom. 83. in Matth.

Ep. 108. ad Seleucianum, & habetur de pœnit. dist.1.c. Tres sũt.

De proce. relig.5.c.10.

6. Quocirca rectè monet S. Augustinus, quemadmodum dum aqua navim rimosam ingreditur, assiduè per sentinam exhaurienda est, ne ab eadem gravata navis tandem fundum petat: ita nostrum esse, tum per orationem, tum per conscientiæ examen, culpas & imperfectiones, quæ

In illud Ps.66. Gentes in terra dirigis.

quæ in animam nostram sensim subrepunt, ejicere, ne nos tandem submergant & destruant. Hoc continuum Religiosi esse debet exercitium, ac semper ei ad sentinam standum; quod ni faciat, in præsentissimo pereundi versatur discrimine. Et alio loco ait: *Præcavisti magna, de minutis quid agis? an non times minuta? Projecisti molem, vide ne arena obruaris.* Undas maris evasisti, tempestates & ingentia, in mundi hujus pelago occurrentia, pericula declinasti: vide ne hîc, in portu Religionis, in arenoso vado pereas: vide, ne exilia & minuta periculum tibi ac perniciem creent: cum alioquin parum tibi profuerit, magna evasisse discrimina: quemadmodum vix quidquam prodesset navi, ingentia pericula, procellas, tempestates, immanes scopulos, confragosas rupes ac brevia effugisse, si demum in portu ipso arenis illisa pereat.

In illud Ps. 29. Multiplicati sunt super capillos.

Caput X.

Alia prægnans affertur ratio, ob quam parva parvi facienda non sint.

1. EST & alia, eaque maximi momenti, ratio, ob quam maximi refert, res parvas parvi non ducere: timendum scilicet, nobis esse: Ne, si in parvis evitandis negligentes & desides simus, eaque parvi pendamus, ideo Deus particulare suum ac speciale auxilium, ac gratiam concurrentem, tum ad resistendum tentationibus & peccata effugienda, tum verò ad virtutem perfectionemque quam desideramus consequendam, nobis deneget, itaque ingens damnũ incurramus.

2. Quod ut melius intelligatur, doctrina quædam Theologica, observatu dignissima, quam & Apostolus Corinthiis scribens tradit, est præsupponenda: scilicet, *Deum nulli unquam supernaturale, necessarium & sufficiens auxilium denegare; quo cum, si velit, à tentatione possit non vinci, sed ei resistere, & victoriam de eadem reportare. Fidelis,* inquit Apostolus, *Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Est verò & aliud Dei auxilium, idque magis speciale & particulare, sine quo quis haud dubiè resistere posset dæmoni, & tentationem superare, si modò priori illo auxilio supernaturali (quod generalius est) eo quo oportet modo vteretur; at cum solo illo priori auxilio tentationi homo sæpè non resistet nisi aliud particularius & specialius illi Deus auxilium submittat, non quòd non possit, sed quòd fragilitas illius magna nolit: nam si vellet, posset etiam cum primo illo auxilio resistere: illud quippe ad hoc sufficiens est, si eo, quo par est, ipse modo dispositus sit eoque utatur. Ac proinde si tunc cadat, ac tentationi succumbat, sui unius id culpæ imputet; quòd ex sua voluntate liberoque arbitrio cadat, non casurus tamen si ei Deus tunc illam specialem gratiam subministrasset.

in. 2. 2. commentator. 1. Cor. 10. 15.

Innoc. X. in 5. prop. Augustini Ianseniani damnatis & Conc. *Trid.*

3. Cæterùm, ut ad propositum perveniam, dico *Secundum illud auxilium,* speciale scilicet, superabundans

& ab effectu secuto nominatum efficax, non passim omnibus, nec semper à Deo dari; est enim id particularis quædam ejus liberalitas & gratia: Sed datur solùm iis, quibus ipse id dare dignatus fuerit, nimirum illis qui vicissim in ipsum liberales exstiterint;
Psa. 12, 26 secundùm illud Psalmographi: *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocēs eris, & cū electo electus eris, & cū perverso perverteris.* Quę ex alia versione sic sonant: *Cum benigno benignus eris, cum liberali liberalis eris, cum sincero & candido sincerè & candidè ages & cum perverso perversè ages.* Atque hoc est, quod S. P. N. in Regula nos monuit, dicens: *Quantò aliquis se arctiùs Deo astrinxerit, & liberaliorem erga summam Majestatem præstiterit, tanto eum in se liberaliorem etiam experietur; & ipse indies magis idoneus erit ad gratias & dona spirituali uberiora recipienda.* Hæc præterea est doctrina tum Gregorii Nazianzeni, tum aliorū SS. Patrum.

Reg. 19. *Summarii Constit.*

Orat. de paupert. amore. & Macarii Ægypt. hom. 19.

4. In quo autem hæc hominis erga Deum liberalitas consistat, & quid sit; intelligi commodè potest ex hominum erga se mutuâ liberalitate. Tum namque homo in hominem liberalis dicitur, cum illi dat, non quod debet, & dare tenetur, sed cùm plus boni quàm debet; & dare est obligatus, confert. Hoc quippe est liberalitas; istud non, sed potiùs justitia. Duobus quippe modis benè te erga alterum geris. Si nimirum, das bonum quod debes, & si etiam id boni quod non teneris, cum Samaritano impendis. Qui igitur magna solicitudine Deo suo placere satagit, non in iis modò quæ obligationis sunt, verùm etiam supererogationis & perfectionis; & non tantùm in majoribus, sed & in minoribus promptum se exhibere intendit; is verè erga Deum liberalis dicendus est. Erga hos in Deum liberales & effusos, Deus vicissim se liberalem præstabit. hi quippe sunt intimi ejus amici; his suas gratias interiores dispertit, in hos denique, non modò auxilia illa communia ac generalia (quæ quidem ad tentationibus & resistendum & vincendum sufficiunt) sed & specialia, superabundantia & efficacia, quibus nullo modo à tentatione superabuntur, effundit.

Aristot. 4. *Ethic.*

5. Porrò, si ipse in Deum liberalis non sis, quomodo Deum in te liberalem esse cupis? si ipse in Deum parcus sis, mereris, ut vicissim ipse in te parcus sit. Nam si ita sordidus, illiberalis, & tenax sis, ut velut circino exactissimè dimetiaris, & in bilance ad libellam minutim appendas, dicendo: *Sumné hoc facere obligatus, an non? Teneorné ad hoc sub pœna peccati, an minimè? ad mortale ne usq; factum istud ascendit, an tantùm veniali manet?* Hoc videlicet est, sordidum & parcum erga Deum esse, cùm plura ei dare nolis, quam es dare obligatissimus (cùm & fieri possit, ut & in hoc delinquas, nec illud obligationis debitum expleas.) Si tu igitur, qui servus es, & eges gratia Dei, adeo fueris inhumanus, Deus quoq; in te parcus erit, nec alia, nec plura dabit, quā ad quæ verbo suo assertorio tenetur: dabit scilicet, auxilia generalia, & necessaria, quæ nulli negat; quæque sufficientia

entia sunt, ut cum iis homo possit tentationi resistere, nec illi succumbere. Quare non sic ratione timere potes, ne auxilium illud speciale, superabundans & feliciore eventu efficax, dari ab eo solitum iis, qui in ipsũ liberales sunt, tibi deneget; itaque fiet subinde ut à tentatione supplanteris, & in peccatum impingas.

S.Aug. ser.24.4. de temp. post med. & ser.88. initio, & in illud Ps.66. Et gentes in terra dirigis. Hieron ad Celin. ep.1. S. Chrysost. in c.2.Gẽ. hom.2.& 87. in Matt. & serm. de lev. peccat peric. S. Bern. ser. 59. in Cant, Isid. lib.2. de summo bono. Basil. orat. 3. de ieiun. prop. init. & in reg. brev. q.4. Greg. li. 10. Mor. c.14. & 3 part. post admõ.24. S. Thom. 1.2.q.88. artic. 3. & aliis.

6. Hoc est, quod communiter Theologi omnes & SS. Patres docẽt, videlicet, *Peccatum sequens pœnam esse alterius præcedentis.* Quod sic intelligendum est: *Homo per primum illud suum peccatum, speciale & particulare illud Dei auxilium demeruit, eoq; indignum se reddidit, ac* proinde in aliud novum peccatum pronissime corruet. Idem de venialibus peccatis, imò (quòd amplius est) de defectibus, negligentiis, & exigua ad vitam suam reflexione docent. Traduntinsuper, ob hæc quempiam posse demereri, & speciali efficacique illo Dei auxilio se indignum reddere, quod quidẽ si habeat, perseverabit, & tentationẽ re ipsa superabit; at, illo si careat subinde vel sæpius superabitur, & in scelus corruet. Atque hoc in sensu SS. Patres nonnulli exponunt illud Ecclesiast. citatum suorum: *Qui spernit modica, paulatim decidet.* qui enim minima contemnit, & parvi facit, speciali illa Dei gratia indignum se reddit, qua destitutus, in magna & gravia proruit. Ita quoque intelligunt illud Ioannis in Apocalypsi: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Etsi enim tepidum & languidum nondum penitus exspuerit atque ejecerit Deus; jam tamen eum ejicere & evomere incepit: propter hunc nempe languorem ac teporem, quem præ se fert, & propter defectus, quos sciens & prudens committit, speciali illo & feliciter efficaci auxilio se reddit indignum: quo si caruerit, sæpe sæpius cadet, & sic Deus illum penitus evomere, & à se ejicere perget. *Apoc. 3. 16.*

7. Videamus jam, quàm nobis meritò timendum sit, ne speciali hoc Dei auxilio ob teporem & inertiam nos indignos reddamus. Quoties, eheu! variis à tentationibus nos cumsessos & impetitos videmus? quoties etiam in maximo eis consentiendi periculo constitutos? ut sæpè etiam dubitemus, num ei inhæserimus, nec ne; num consensum dederimus, nec ne; num ad peccatum usque res devenerit, nec ne? Quantum verò his in casibus & angoribus solatium nobis foret, liberales nos aliàs erga Deum extitisse, auxilioque illo speciali & liberali dignos præstitisse: cum illo namque securissimi esse possemus, semper nos victores fore, nec unquam succubituros; cùm, illo destituti, in magno futuri simus periculo, & fortassis prosternendi.

8. Hanc S. Chrysost. rationem velut optimam, & tentationibus superandis convenientissimam ponit. De diabolo namque hoste nostro juratissimo, deq; continuo, quod nobis movet, bello loquens, *Scitis*, inquit, *quòd hostem habemus perpetuum, & fœderis nesciũ: vnde nobis magna vigilãtia opus est, ne ab ipso superemur.* Quomodo autem vigilabimus, quomodo muni- *Hom. 60. super Gen.*

muniemur armabimurve, ut ab eo non expugnemur, sed vice versa adversarium hunc perpetuò vincamus & dejiciamus? nostin quo modo? Perge audire Chrysostomum: *Non aliter autem eum vincemus, quàm si per vitam optimam supernum nobis auxilium* (id est, speciale) *conciliemus.* Hoc scilicet pacto semper victores erimus, *& non aliter*: quod verbum in primis notatum oportuit. Id ipsum notat & S. Basilius hisce verbis: *Qui à Deo se optat juvari, is nunquam deserat quod se addecet officium suum: qui autem hoc facit, is divino auxilio nunquam destituitur. qua propter danda in eo opera, ne ulla in re conscientia nostra nos condemnet.* Benè S. Basilius hinc infert id, quod nos inde discere oportet, nempe, *tali nobis circumspectione & sedulitate spiritualia exercitia, aliaq; opera nostra obeunda, ut nulla in re nos remordeat conscientia*, ut sic speciali Dei auxilio nos dignos reddamus.

9. Unde clarissimè patebit, quanta nostra intersit, parva magnifacere; si modò parva dicenda sint illa, quæ tantum tamque excellens afferre nobis bonum queunt, & à quibus vice versa tantum nobis mali accedere. Eccl. 7. 19. Idcircò dixit Sapiens: *Qui timet Deum, nihil negligit*, tametsi minimum: novit quippe, se à minimis paulatim ad majora committenda devolvi; & quia timet, ut, si his in rebus ipse erga Deum liberalis non sit, etiam Deus vicissim erga ipsum liberalis non existat. Ut porrò finem faciam, dico hoc tanti momenti videri, tantique nobis æstimandum, ut pro certissima & infallibili regula tenendum sit hominem, quandiu parva & modica magni facit, feliciter processurum, & gratiis à Deo plurimis adimplendum: contrà, quando parva & hominum judicio vilia vilipendit, in summo pereundi magnaque committendi periculo degere: id namque seminarium est, è quo omnigenum malum religiosis hominibus enasci solet. Benè illud nobis declaravit Redemptor Jesus, cùm eum, *qui super pauca fidelis est, etiam super multa fidelem futurum asseruit; & qui in modico infideliter se gerit, etiam in majori iniquum & infidelem fore.* Luc. 16. 10. Quocirca quando quis se examinando, nosse volet, num quem in spiritu profectum faciat (quod sanè examen quā frequentissimè fieri ratio ipsa suadet) circa hoc potissimùm se singulatim excutiat; *videat*, inquam, *utrùm res parvas magni faciat*, an verò licentiam quandam paulatim induat easdem flocci faciendi. Si autem comperiat, parva omnia se contemnere, nec ullum solitum, si quando in illa impingit, remorsum conscientiæ sentire, omni, qua potest, diligentia & cura hunc emendare defectum studeat. *Diabolus namq;*, ut ait Basil. *cum nullo se pacto nos à Religione videt posse divertere, id saltem totis viribus persuadere nobis conatur, ut de perfectione sectanda solliciti non simus, ac parva magni non faciamus*; in quo vana quadam securitate, hoc pacto sc. Deum minimè amitti, nos circumvenit. Ser. de renun. sæculi. Nostrum verò contrà est, operam dare, ut, sicut à Religione nos separare nequit, ita nostram perfectionem non im-

Collat. 6. 3. C

impendiat; sed totis in eam viribus, & omnibus animi corporisque nervis incumbere, levia & vilia magni æstimando.

CAPUT XI.

Profectus nostri negotium non est in genere accipiendum, sed in eo est ad particularia descendendum: quantiq; referat bona proposita ac desideria, quæ à Deo immittuntur, opere ipso exequi.

Luc. 16. 10.

1. PERMULTUM, ad proficiendum in spiritu, etiam istud medium iuvabit, quod omnes vitæ spiritualis magistri communiter proponere solent; videlicet, *hocce profectus nostri negotium non in generali & communi, sed in particulari & per partes accipiendum esse.* Abbas Moyses, ut scribit Cassianus, die quadam ab alumnis suis in collatione spirituali petiit, *Quidnam tot ipsi laboribus, abstinentiis, vigiliis, tam frequenti oratione, corporisq; afflictione spectarent?* quem in his sibi propositum finem haberent? Cui una omnes voce dixerũt. *Regnum cœlorum.* Tum ipse: illud quidem, ultimus omnium est finis: at hoc non rogo, sed tantùm, quem immediatum & particularem finem habeatis, ut ultimum illum finem assequamini? Tametsi agricolæ finis intentioque sit, ut multum frumenti in messe colligat, & abunde illi suppetat unde cum suis vivat; omni tamen cura ac diligentia sua huc collimat, ut terram colat, aret, eamque à zizaniis & lolio expurget: quia medium illud necessariò ultimo illi præmittendum est, ut ultimum finem suum assequatur. Sic, licèt mercatoris finis ultimus sit ditescere, & multum auri colligere; omni tamen studio in id unum incumbit, solerter ut advertat, ecquod negotiandi & mercaturæ genus futurum sit ad finem illum suum consequẽdum, accommodatius sibi & aptius. Idem & Religioso præstandum. Neque enim satis est, illum in genere dicere, *Salutẽ meam specto: cuperem bonus esse Religiosus: volo esse perfectus;* sed, oculos in particulari, ad illud vitium aut passionem reflectat oportet, quæ ipsum in consectanda perfectione ac virtute, quæ ad hoc sibi magis necessaria, adipiscenda magis impediat: in eoque omne ejus studium atque industria desudet. Nã ita paulatim procedendo, & magna quadam diligentia & cura, modò hanc, modò aliam virtutem sibi parare studendo, longè faciliùs & meliùs id quod spectat, consequetur.

Collat. 5. c. 3. & 4.

Ser. de renun. sæculi.

2. Atque hoc est medium, quod Eremita quidam olim cuidã monacho suggessit, qui, cum initio diligentissimus & ferventissimus fuisset, in exercitiis suis spiritualibus postmodũ elanguit, & valdè intepuit. Qui cùm ad antiquum fervorem redire vellet, sed ejus iter ita obseptum & velut obstructum inveniret, ut id illi perdifficile videretur: à qua primum re ordiretur, nesciebat, mœstum itaque cõsolatus, senex, hac eum parabola vel exemplo ad laborem animabat: *Pater quidam, inquit: filium ad agrum spinis & sentibus obsitũ expurgandum miserat: sed cùm hic horridũ illud vepretum corã inspiceret, de eo excaudicando desperare cœpit: quapropter uno ac altero die somno* se

In vitis Patrum lib. 5. tit. 6. de patientia.

se dedit iners, & penitus nihil egit. Cui deinde Pater: *Non est, ait, fili, labor simul omnis uno intuitu considerandus, nec ager hic uno die totus expurgandus: sed paulatim quotidie tantam ejus partem excole, quantam corporis humani magnitudo caperet. Quod consilium cum filius esset secutus, non multò post totus ille à vepribus & sentibus fuit repurgatus.*

3. Notandum verò hîc est, unam de præcipuis, ob quas tam parum in spiritu proficimus, nec plura à Deo charismata recipimus, causam esse, quòd bona, quæ ipse nobis suggerit, proposita & desideria, opere non exequamur: hinc, quoniam in antè acceptis satis negligentes sumus, alia majora nobis non elargitur. Ut enim Præceptor discipulum ad altiorem classem vel studium promovere non solet, dum videt nondum illum assecutum, vel didicisse quæ in inferiore classe præscribuntur: non aliter se Dominus in nobis ad perfectionem promovendis gerere solet: tantò namque diutiùs magna nobis impertiri differt, quantò in datis cooperando negligentiores sumus; quo autem diligentiùs ea quis desideria opere adimplere proponit, quæ illi Dominus in oratione communicare est dignatus, eo ipsum ad majora etiam conferenda magis provocat. Unde benè R. P. Magister Auila: *Qui*, inquit, *benè utitur eo, quod jam novit, lumen de cœlo assequetur ad id quod nondum novit: alius verè quis illud petere non audeat; cùm replicare dator illi posset: Cur scire vis voluntatem & beneplacitum meum, cùm ne quidem in eo, quod nosti, eam adimpleas?* Si itaque executioni non mandas desideria, quæ tibi Altissimus inspirat, quomodo res alias majores ab eo tibi dari velis? Qua fronte & ore à Deo in oratione petere audeas, ut hoc vel illud, quod desideras; & quo opus habes, tibi concedat; si in uno defectu, quem tamen à te corrigi inprimis necesse est, & ad quod multa tibi desideria & inspirationes Deus optimus maximus dedit, corrigere te ipse & mortificare nolis? Nescio, quo pacto, ad Deum vel oculos sustollere præsumat ad majora petenda, is, qui se vel in uno exteriori, cui obnoxius est, defectu emendare nolit, sed deliberatè ac voluntariè in ipsum aliquoties impingit. Quamobrem si & in spiritu proficere, & multa à Domino charismata recipere velimus, simus in inspirationibus & desideriis, quæ is nonnunquam inspirat, executioni mandandis quàm diligentissimi.

Lib. 1. Ep. fol. 241.

Luc. 12.

4. Communis est Sanctorum doctrina, eum, qui beneficiis acceptis benè utitur, ad alia nova recipienda dignum se reddere; contrà, qui iisdem abutitur, alia de novo non mereri recipere. Quærit Salomon, *cur manna, cùm primùm sol radios spargere inciperet, deflueret, evanesceret & nulli pòst usui serviret; si autem jam collectum igni admoveretur, non liquesceret, nec ullum detrimentum* acciperet, cùm tamen major sit ignis, quàm solis, ardor? Ipse sibi Sapiens circa capitis finem respondet, dicens: *Vt notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solē ad benedictionē tuam*; id est; quòd in

Sap. 16. 28.

in gratiis & beneficiis, quæ à divina manu accipimus, benè utendo, esse debeamus quàm diligentissimi; & qp, in pœnam castigationemque ingrati & pigri, ante solis exortum surgere detrectantis, quò aliquam è dato divinitus beneficio utilitatem capiat, permittat Deus, ut à sole omnis illorum cibus & commeatus liquefactus diffluat. Hoc ipsum nobis & Redemdor Jesus in Evangelio, sub *parabola hominis illius regis declarat, qui, cùm universam substantiam suam in servos distribuisset, ut ex illa lucrum quisq; negotiando faceret, & adita jam regni possessione rationem accepti à singulis poposcisset; comperto unumquẽq; illorum talenta plura superlucratum esse, pro talentorum acquisitorũ numero ac proportione singulis præfecturas distribuit: nam eum, qui decem talenta lucratus erat, decem civitatibus præposuit; ei qui quinq;, quinq; regendas civitates tradidit.* Qua Dominus parabola indicare voluit, quẽadmodum rex ille servorum industriam ac fidelitatem mercede nimiũ quanta est remuneratus (quæ enim decem talentorũ est ad decem civitates florentes proportio?) pari modo, si nos inspirationes Dei opere ipso compleamus, & in illa correspondẽtia fideles simus, nimis quàm magno, excedente, & exaggerato nobis fœnore divina sua Deum dona multiplicaturum: contrà si non pro eo ac oportet, datori respondeamus, non modò quod antè datum erat, nobis auferendum, verùm etiam plagis nos vapulaturos multis, uti servus ille deses, qui accepto à Rege talento, nihil omnino lucratus erat, nec peculium regium adauxerat.

Luc. 19. 12.

Sap. 16. 28.

5. Nobilissimus ille pictor Apelles nunquam tot tantisque occupationibus distinebatur, quin suam quotidie artem exerceret, ac semper aliquid pingeret: hinc temporis nonnihil interdum negotiis occurrentibus suffurando, sibi dicere solebat: *Hodie nullam lineam adhuc duxi*: quod inde velut proverbium usurpari in quolibet officio & arte cœpit, cum nulla dies præteriit, qua quis eam non coluit, aut exercuit? Hac via Apelles in arte pictoria tam perfectus & consummatus evasit. Quocirca si & tu perfectus, & completus Religiosus esse vis, nulla tibi dies abeat, quin aliquam virtutis lineam ducas, & aliquid proficias. Quotidie in aliqua te re exsupera & mortifica. Quotidie unum ex operibus, quę agis, defectum tolle; sic enim indies ea fient & meliora, & perfectiora. Et cùm meridianum conscientiæ examen instituendum perpende & examina, num media illa tibi dies abierit, nullâ dum in virtutibus lineolâ ductâ, ac tum dicito: *Hodie, eheu! nullam lineam duxi*: id est, hodie in virtutis via ne uno quidem passu progressus sum, hodie in nulla me re mortificavi, hodie ne unum humilitatis actum exercui, cùm tamen ejus exercendæ occasiones nõ defuerint: inaniter mihi hæc media dies effluxit, sed reliquam partem meliùs traducam, & crastinam adhuc meliùs. Hoc modo si processerimus, paulatim multum in virtutum stadio progrediemur.

Plin. lib. 35. nat. hist. c. 10.

CAPUT XII.

Multùm ad perfectionem assequendam conferet, nullum data opera & deliberatè defectum admittere; nec in capto fervore flaccessere.

1. NOn parum quoque in virtute & perfectione proficiemus, *si nullam deliberatè ac studio imperfectionem committere procuremus.* Duo sunt imperfectionum & culparum venialium genera: *alia*, in quas impingunt etiam illi qui Deum timent, idque vel ex fragilitate, vel ignorantia, vel inadvertentia: etsi non sine aliqua sua negligentia. Norunt porrò & sentiunt ipsi servi Dei, quique in veritate coram eo ambulant, has sibi non amaritudinis, sed humiliandi sui occasionem esse; nec Deum propter has ipsis succensere, aut suum ab ipsis vultum avertere; imò verò novum quemdam sibi favorem, novumque spiritus vigorem, à Domino obhumilem illum suum idcirco ad eũ recursum, dari re ipsa experiuntur. Sunt deinde *aliæ culpæ* & imperfectiones, quas tepidi, & in servitio divino segnes advertenter datâq; operâ committunt. Hę magna impediunt bona, nobis haud dubiè à munifica Dei manu concedenda, si eas non committeremus. Atque ob has sæpè suum ipse à nobis vultum in oratione avertit, & plurimas nobis gratias cessat impertiri. Quocirca si & proficere, & multas cœlitus gratias recipere velimus, demus operam, ne quas culpas deliberatè & scienter perpetremus. Sufficiant nobis illæ, quas, aut ignorantia, aut inadvertentia consciscimus, nullas à parte nostra iis addamus. Sufficiant illę in oratione distractiones, quę ob imaginationis inconstantiam nobis inopinatò ingruunt; voluntariè verò & deliberatè nullas ipsi nobis accersamus. Satis sint illæ imperfectiones, quas in regularum violatione ex fragilitate committimus, ut necesse non sit eas ex professo & proposito infringere.

Lud. Blos. Specul. spir. c. 6. Venialiũ culparũ duo genera.

2. S. Basilius aliud quoddam perfectionis comparandæ medium proponit, ipsumque ad brevissimo tempore plurimùm proficiendum, perutile esse dicit: nimirum *non esse in virtutis via subsistendum, nec diverticula quadam ad interquiescendum facienda.* Sunt enim, qui subinde quidem, interruptis vicibus, heroica quædam molimina aggrediuntur, sed mox eadem omittunt, & interquiescunt. Quod semel cœpisti, fortiter urge, & hujusmodi declinatoria devita; nam in hac vitæ spiritualis via isthæc interruptio plus interdum defatigat & vexat, quam continua bene cœpti prosecutio. Circa quod magnum est inter spiritualia & corporalia exercitia discrimen: quia *caro operando deficit, spiritus operando proficit*; & quo suis in exercitiis corpus magis operatur & laborat, eo magis defatigatur & languescit: at quo spiritus magis exercetur, & agit, plus virium vigorisque acquirit. Atque hoc illo significatur adagio: *Arcum frangit intentio, animum remissio.*

Basilius.

Paul. Manut. in Adag.

3. Unde S. Ambrosius sic ait: *Quemadmodum facilius est in peccatum*

Lib. VII. de pœnit. c. 10.

tum non labi, & innocentiam primævam conservare, quàm post lapsum veram sinceramque pœnitentiam agere: ita longè proclivius est orationis ac devotionis fervorem conservare, quàm post dierum aliquot intermißionem & distractionem ad eam postliminiò everti. Faber ferrareus ferrum jam ab igne candens, fornace educens (quia id tum molle est, atque ad quamlibet, quam is malleorum ictibus ei dare voluerit, formam recipiendam dispositum) ipsum penitus in frigidari non sinit: verum, antequam totum frigescat, fornaci iterum inserit, ut citissime adjuvante pristino calore ignitum ulteriori labore sit idoneum. Pari modo nobis videndum, ne unquam devotionis calorem prorsus intermori sinamus; si enim is refrigescat, & cor indurescat, nonnisi ægerrime ad primum fervorem redire poterimus. Atque ita, quotidiana edocti experientia fieri videmus, ut, quantumvis insignem quis in virtute progressum fecerit: si ad tempus nonnihil ab ea colenda interquiescat, brevi illo spatio, quo distrahitur, bonaque sua exercitia intermittit, simul & semel perdat, quod antea longo tempore, multoque labore compararat, ut ne vestigium quidem eorum quæ antè habuerat, superesse, & eodem ipse, ob eam, quam experitur, difficultatem redire vix aliquando posse videatur. Contrà, qui cum fervore procedunt, soliciti devotionis calorem semper integrum fovere ac conservare, bona sua exercitia identidem continuando, inque iisdem indesinenter perseverando; & facilè in primo suo vigore manent, & brevissimo tempore insignes ad virtutem gradus faciunt.

4. Rei hujus quoque ratio hæc est: quia hi nullum tempus amittunt, nec ea destruunt, quæ ante construxere, cum è contrario tepidi & desides, ob suas illas interruptæ quietis vices & renovationes, toto tempore nihil aliud agant, quam construere & destruere, texere & retexere; itaque nunquam telam suam pertexunt: priores verò adeò non structa non destruunt, ut etiam semper longiùs progrediantur, & continuo suo exercitio majores sibi quotidie vires, majoremque plura ac meliora faciendi acquirant felicitatem. Atque hoc est, quod dixit Sapiens: *Egestatem operata est manus remissa; manus autem fortium divitias parat.* Et, *Anima operantium impugnabitur.* Prov. 10. 4. Prov. 13. 4.

5. Senex quidam Eremicola hanc inter Religiosos tepidos ac remissos, & alios sedulos ac ferventes in Dei servitio comparationem instituebat: priores, qui nescio quo senectutis prætextu pro defatigatis se gerunt, inque suo profectu spirituali ulteriùs progredi negligunt, *similes* esse ajebat *veteribus Principum aulicis, qui dominis suis nihil commodi, quasi emeriti, adferunt, nullumque famulatum præstant; sed tantùm inani specie ad ostentationem in aula versari permittuntur,* & totos dies ad fores purpuratorum sedendo variis narratiunculis ennarrandis impendunt. Datur quidem illis diurnum cibi dimensum, & sportula solita, ceu famulis veteranis; at jam ampliùs nec apud Principem

agunt, nec novam, aut majorem ab illo gratiam ineunt, imò vix ulla illorum superest memoria. Contra verò novos & juniores clientes in domini sui famulatu & obsequio tam videbis diligentes & solicitos, ut nullam tota die quietis partem inveniant, nullum ab opere ipsis otium detur; imò tam navos, ut ad domini quasi nutum videantur facere, ac vixdum is plenè suam verbo, vel nutu, indicarit mentem, quin illius jussa exactè adimplerint. Hi sunt principum intimi, atque in illorum se benevolentiam in dies magis ac magis insinuant. Quibus proinde Religiosos impigros & ferventes assimilare possumus.

Caput XIII.

Alia tria media proponuntur, acquirendis virtutibus ac profectui peropportuna.

Serm. de rerum abdicat. Optimũ quemq; imitari oportet.

I. Basilius Magnus aliud egregium benè proficiendi medium nobis suggerit, quod & alii SS. Patres eum sequentes communiter præscribunt: *ut videlicet illorum vitæ formam & modum, qui meliores sunt, virtutibus magis excellunt, & præ cæteris illustriores sunt, inspiciamus; eosque deinde imitari studeamus.* Idem consulebat B. Antonius, dicebatque, debere bonum Religiosum instar apis, ex omnibus, quos hinc inde videt, aliquot flosculos virtutum colligere, ut ex iis dein mel suum conficiat; ab uno videlicet modestiam, ab alio silentium, ab hoc patientiam, ab illo obedientiam, ab alio demum indifferentiam & resignationem. Id in unoquoque scilicet notandum quo excellit, ut hoc ipsum imitatione exprimere conemur. Quod & illum curiosè legimus fecisse; unde etiam in tam eximium & illustrem sanctimonia virum evasit.

2. Ac profectò est hoc unum è maximis bonis, quæ in Religione habemus, & ob quod S. Hieronymus cœnobiticam solitariæ, & in multorum cætu viventes anachoretis anteponit, & cur satius ac melius esse judicet in illa, quàm in hac vivere: *Vt ab alio,* inquit, *discas humilitatem, ab alio patientiam; hic te silentium, ille te doceat mansuetudinem.* S. Hieron. Philosophus Carilaus magni inter Lacedæmonios vir nominis, & inprimis illustris, rogatus, ecquamnam Rempublicam omnium censeret optimam; *Eam,* inquit, *in qua inter se cives contenderent, ecquis eorum reliquis civibus suis virtute futurus sit major, idque sine ullo tumultu & seditione.* Cùm verò & istud, inter alia plurima, nobis in Religiosa republ. Dominus beneficium jam præstet, utinam hoc ille perpetuum esse velit ac det, Magnæ quidem in omnibus penè mundi hujus Rebuspublicis contentiones & æmulationes sunt; sed eæ aut circa opes, aut punctum honoris versantur: qui autem de virtute cum alio decertet, vix ullum ibi invenias. In Religione verò, quæ Dei bonitas & misericordia est, omne eam profitentium studium circa propriam abnegationem, ac quotidianum in studio virtutis & perfectionis progressum versatur; hinc omnes ipsorum concertationes & æmulationes eò spectant,

ut

ut quisque alium virtute antecellat, hicque illo sit vel humilior, vel obedientior; atque id sine ullo strepitu, murmurationibus, dissensionibus, sed cum sancta quadam invidia, & laudabili æmulatione.

3. Et sanè, non parva gratia & beneficium est, sed incomparabile privilegium ad eam nos à Deo vocatos esse Religionem, in qua virtus colatur, & in pretio sit; in qua insignis Theologus, & eloquens concionator non ideo magnifit & æstimatur, quòd doctus sit, & egregiè concionetur, sed quòd animi demissione, suique mortificatione emineat; in qua denique omnes in virtute semper progredi allaborant, suoque singuli exemplo inuicem ad ulteriùs etiam contendendum exstimulant. Quamobrem hac tam bona, quam ad hoc medium exercendum habemus, occasione ritè utantur, & in bonum nostrum convertamus.

S. Hieron.

4. Hinc porrò secundum elicere medium possumus, ipsam inquam, obligationem, qua ad prælucendum bono fratribus nostris exemplo obstricti sumus, *ut omnes se mutuo considerantes, in devotione crescant, Deumq; Dominum nostrum laudent*, ut S. P. N. nos monet; aut potiùs ante eum Christus ipse in Evangelio: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Nemo profectò nostrûm est, quin perspiciat quanta bonorum exemplorum vis sit ad aliorum in virtutem animos inflammantes. Plus scilicet fructus bono suo exemplo bonus Religiosus universa in domo facit, quàm omnia, quæ de virtute institui possunt, aut colloquia, aut exhortationes & sermones. Magis quippe homines credere solent iis quæ oculis vident, quàm quæ auribus audiunt; hinc sibi persuadent, practicabile esse quod ab alio quopiam fieri ante vident, unde & ipsi ad illud faciendum maximè animantur & permoventur. Atque hoc mysticè illa concussio alarum in sanctis illis animalibus, quæ Ezechiel conspexit, repræsentabat: *Et audivi vocem alarum animalium, percutientium alteram ad alteram.* Quando videlicet bono fratrem exemplo ædificas, cor illius quodammodo concutis, eumque hoc pacto ad compunctionem, devotionem, ac perfectionis desiderium excitas.

3. p. Constit. c. 1. §. 4. & Reg. 29. Summar. *Matt. 15. 16.* *Ezech. 3. 13.*

5. S. Bernardus de seipso testatur, cum in Ordinis sui exortu, Religiosos quosdam spirituales, & suo proximum exemplo ædificantes solùm videret, non parum hoc se fuisse spectaculo recreatum, itaque eo animatum, ut anima, suavitate devotioneq;, oculi verò lachrymis suavissimis adimplerentur; nec solùm quotidiano talium aspectu, sed vel sola ante cognitorum jam vel absentium vel vita defunctorum, recordatione ad meliora sæpiùs fuisse permotum. Atque hoc est, quod in Iosia Rege sacra celebrat Scriptura: *Memoria*, inquit, *Iosiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarii.* Tales ut simus, nostrum est omni contentione allaborare, juxta illud Pauli: *Christi bonus*

Serm. 4. super Cant. *Eccl. 49. 1.*

bonus odor sumus: simus, inquam, ceu unguentum aromaticum, ceu myrothecium, & pilula unguentaria ex confertis aromatibus composita, quę ilico suum omnibus tangentibus odorem aspirat, eos simul & revigorat & corroborat. Acris id stimuli loco nobis esse debet, ut totos nos virtutum studio impendamus, nullamque quibuscum vivimus offendiculi occasionem præbeamus.

6. Nam sicut unius aliquando laudabilis vitæ Religiosi exemplum plurimum prodest & sufficit, ad familiæ totius ædificationem, utque sui unius exemplum reliqui sequantur; sic etiam unius dissoluti inordinateque ambulantis fratris conversatio, multum obest, & satis & toti communitati religiosæ perverso exemplo destruendæ, & ad imitationem sui permovendæ. Imò certissimum est, longè esse exemplum ad malum, quàm ad bonum, efficacius, idque ob malam naturæ nostræ depravatæ, semper ad malum, quàm ad bonum pronioris, propensionem.

Deut. 20. 8. 7. Mandaverat in Deuteronomio Deus, ut duces militares ad bellum proficiscentes: publica præconiis voce per castra ante proclamarent: *Quis est homo formidolosus, & corde pavido? vadat & revertatur in domū suam.* Cujus rei quam mox reddit, ratio notāda est, utpote proposito nosto deserviens. *Ne pavere*, inquit, *faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est.* Idem facit & Religiosus tepidus & remissus pravo suo exemplo in Religione: etenim collegas reliquos formidine & inerti quodam metu implet, quo minùs ipsi viriliter pugnent, & seriò perfectionis negotia tractent; adeoque suum iis languorem & teporem, velut pestilens quoddam contagium, adflat. Unde præclarè Eusebius Emissenus, *Qui*, inquit, *inter multos vitam agere constituerunt; aut cum grandi fructu, aut cum grandi periculo, vel etiam diligentes, vel negligentes sunt.* Homil. 7. ad monach.

8. Addere his & aliud possumus, quod tertium esse potest medium & motivum ad hanc ipsam rem excitans: scilicet, non fratribus nostris solùm, quibuscum quotidie tractamus & conversamur, sed & *omnibus omnino hominibus, bono vitæ exemplo nos prælucere debere*: ne fortè mea unius culpa vel vitio, boni, quod sibi Religio jam comparavit, nominis jacturam faciat. Videmus namque mundanos, ex uno omnes metiri solere. Religiosi alicujus culpa & peccatum esse videtur vel ut originarium, ac in stirpem universam per traducem descendens; vel ut opes mercatorum multorum una in societate junctim agentium. Nam simul ac mundus quid mali videt, occlamat; Etiam Patres Societatis (v.gr.) à bene vivendi instituto desciscunt, & hoc & illud agunt; quòd unum fortasse exorbitare, & licentiùs agere videant. Unicuique ergo magna, bono omnibus exemplo prælucendi, obligatio incumbit, ut sic bona Religionis fama ac nomen conservetur, foveatur, & propagetur, neu suis ipse culpis & imperfectionibus in culpa sit, cur bonum nomen & existimatio, quam per Dei gratiam

gratiam & bonitatem jam habet, sordeat & vilescat. Nobis verò inprimis isthoc oneris incumbit, tum quòd adhuc novi recentesque, ac velut in ortu simus, tum quòd nemo non oculos in nos conjectos habeat, *& spectaculum facti simus mundo, angelis & hominibus.* Quamquam verò immeritò & præter rationem, verum ut fateat, unius particularis culpam universæ Religioni mundani ascribant; certum tamen illud est, Ordinis totius bonum & progressum ab unius atque alterius laudabili & religiosa vita; contra ab unius irreligiositate, ejus totius contemptum dependere. Illi namque Religionem universam repræsentant.

Homil. 7. ad monach.

1. Cor. 4. 9.

9. Videat igitur quisque, ne, ut bonus miles, suam stationem deserat; videat, inquam, ne sua unius culpa acies tam constipata & densata rumpatur, da operam, charissime, ne tua negligentia Religio remissior fiat ac laxior. Huc mirificè faciet, si illis se quisque à Religione (matre sua) verbis se credat compellari, quibus sancta illa Machabæorum mater filium natu minimum est alloquuta, & ad pro patriis legibus tormenta ferenda mortemque generosè oppetendam animavit: *Miserere mei, fili mi, quæ te* non *novem mensibus*, sed novennio, imò viginti, triginta, & eo ampliùs annis *in utero* & visceribus meis *portavi, triennio* probationis *lac tibi dedi,* in virtute ac litterarum studio tantis meis impensis *alvi*, donec ad eum, in quo versaris, statum promovereris. Nihil autem aliud pro his omnibus à te exigo, quam ut unius misericordia tangaris mei, ne propter te peream, nec tristem mihi ac probrosam senectam adducas: noli arma quibus te ad bonum & utilitatem cum tuam, tum aliorum instruxi, in mea tuaque ipsius viscera convertere; & quod tibi occasio mediumque magis mihi placendi, tui magis humiliandi & mortificandi esse deberet, ne inde magis evanescendi, liberiùs agendi, & mortificationis omnis proculcandæ occasionem sumas.

2. Macch. 7. 27.

Caput XIV.

Multum conducit ad perfectionem, ita semper se gerere, uti primo die, quo Religionem iniuimus.

1. Abbas Agathon à vetere quodam Monacho rogatus, quomodo is se in Religione gerere deberet, id unum respondit: *Vide, qualis fueris prima die, quando existi de sæculo, & receptus fuisti in claustro, & talis permane semper.* Si itaque scire velis, quomodo bonus futurus sis Religiosus, quomodo vitam instituturus, ut multum in virtute & perfectione proficias, ecce tibi optimum ad hoc medium: vide nempe, qualis illo fueris die, quo primùm mundum deseruisti, & Religionem ingressus es, & talis semper permanere stude. Considera, inquam, quo mundum, & quicquid in eo possidebas, fervore & animositate reliqueris, parentes, amicos, notos, hæreditatem, opes, delicias, voluptates, recreationes: & in hoc

Dio. Carthus. in scala Relig.

in hoc mundi contemptu, in hac consanguineorum parentumque oblivione, in hac voluptatum & commodorum propriorum abdicatione persevera, atque ita bonus eris Religiosus.

2. Perpende adhæc, quanta humilitate & instantia petieris in Religionem admitti, & quomodo eo, quo aditus petendi concessus est, die, tibi visum sit cœlum quodammodo aperiri; ac magnam te gratitudinis summæ ostendendæ, Deoque & Religioni ob tam eximium beneficium ac gratiam perpetuò serviendi, obligationem ac debitum tunc contraxisse: in hac igitur gratitudine, & humili debiti recognitione jam persevera, & haud secus Deo & Religioni obligatum & obstrictum jam te agnosce, ac sensisti primo, quo in Ordinem receptus es die; atque insignem hoc pacto in Religione progressum facies.

3. Rursus tecum recogita, quanta, postquam jam admissus fuisti, devotione & modestia in principio te gesseris; quantam obedientiam, humilitatem, promptitudinem, quantam in omnibus ubique indifferentiam & resignationem ostenderis; & in eo semper persevera: itaque in dies magis magisque in virtutum studio ac perfectione proficies & cresces. Hocce proficiendi medium Sancti omnes, uti mox videbimus, mirificè commendarunt.

4. Verum ante omnia opus est, ipsum ut benè intelligamus. Neque enim id volumus, quasi hodie non pluribus virtutibus instructum esse te oporteat, quàm primo fuisti die, quo Religiosum habitum assumpsisti: uti nec, veteranum novitii alicujus virtute contentum vivere debere. Constat namque, debere plus virtutis veterano inesse, & ad altioris virtutum gradus eum ascendisse, quàm nuperum tironem, qui vixdum heri Religioni nomen dedit: uti eum qui decennio toto litteris operam dedit, plus scientiæ acquisisse, & plura necessariò nosse oportet, quàm qui primùm ad studia accedit. Vt enim Religio quædam virtutis & perfectionis est schola; ita verisimile fit, debuisse eum, qui diutiùs hanc scholam frequentavit, plus addiscere & profecisse. Sed sicuti ei, qui, postquam magno fervore & diligentia litterarum studia inchoavit, at in earum tractatione postmodum, languore & veterno quodam correptus, deficit, consulimus, ut ad primum illum studendi fervorem, diligentiam, sedulitatemque postliminio revertatur; ita namque futurum, ut feliciter illorum cursum decurrat: pari modo aliud hîc non suademus, quàm ut primos illos æstus, cum quibus virtutis stadium inchoasti prima die, qua Religionem injisti, resumas. Vide itaque, quanta cum generositate & constantia Deo tunc servire cœperis, nihil ut difficile tibi occurreret, vel arduum videretur & illum fervorem, illos spiritus & animos jam præ se feras; hocque modo permultum in Religione proficies. Et hoc est, quod fer-

voris

voris hujus nomine SS. Patres intelligunt.

5. B. Abbas Antonius, rogatus à discipulis, ut aliquot ipsis ad proficiendum virtutibus documenta suggereret, ab hac re, ut refert in ejus vita S. Athanasius, sermonis sui duxit exordium: *Hoc sit primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere; sed quasi incipientem debere semper augere quod cœperit.* Et præterquam quòd illud sæpiùs in vita repeteret, etiam morti vicinus pro testamento & ultimæ voluntatis suæ decreto, ut fratrum animis infixum hæreret profundius, id quàm tenerrimis inculcare verbis cœpit, qualia morientis patris esse solent: *Ego quidem, filioli, secundum eloquia Scripturarum, Patrum gradior viam: jam enim Dominus me invitat, jam cupio videre cœlestia. Sed vos, ô viscera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repentè perdatis: hodie vos religiosum studium arripuisse arbitramini, & cœpta voluntatis fortitudo succrescat,* id est, ut in pauca contraham: Si in virtute & perfectione progredi vultis, hoc semper ante oculos habetote: Cogitate, inquam, quotidie, vos tum primùm religiosum institutum profiteri incipere, itaque semper vos gerite, uti illo die, quo primum sanctum habitum ac sumpsistis; ita fiet, ut boni sitis Religiosi futuri. Hoc quoque medium paucioribus verbis suggerit S. Augustinus: *Obliviscere, inquit, omne prateritum, & quotidie inchoare te puta.*

Athanas. in vit. & Sur. tom. 1. p. 386.

Epist. 143 ad Demetr. Virginē.

6. Quotidiana & obvia id similitudine declarat S. Antonius: *Sicut,* inquit, *servi & famuli virorum nobilium, quantumvis multum obsequii dominis præstiterint, & plurimum laboris subierint, non segnius tamen ideò agere tenentur quicquid de novo faciendum occurrit; sed semper ita prompti sunt & alacres ad cuncta jussa herilia excipienda, tanquam si tum primùm famulatum inciperent: non aliter nos Deo creatori & Domino nostro servire par est.*

7. Præclarum hujus rei exemplum habemus in S. Bernardo. Is quippe, ut refert Surius, alios quoslibet ceu sanctos & perfectos censebat, eosq; ut homines jam meritis plenos, & in virtutis stadio multùm progressos, aliquibus in rebus exemptionibus & privilegiis quibusdam gaudere debere credebat, (utile id est ad alios non dijudicandos, si quando simili eos favore gaudere conspicimus) seipsum verò semper ut novitium & nuperum tironem habebat, cui hujusmodi indulgentiæ & exemptiones nequaquam convenirent: itaque ne in minimo quidem quidquam de Religionis rigore, nevé de laboribus communibus atque exercitiis humilibus remittebat: ipse proinde primus erat in omnibus, quæ à Superiore injungebantur, exequendis, ipse primus scopas & lintea ollis tergendis in manus sumebat: in nulla re excipi se eximique patiebatur, nec majori præ aliis privilegio donari volebat: hinc, si quando aliquod manuale exercitium cæteri peragebant, cujus ipse usum praximq; ignoraret, ne qua interim merendi occasione frustraretur, alio viliori & humiliori exercitio

Lib. 1. c. 4. vit.

Aliis indulg. tibi insta.

tio hoc ipsum compensare satagebat. Modò namque ligone arrepto terram subigebat: modo cuneo ligna findebat, ipsaque in humeros sublata ad culinam deferebat, quæ certè exercitia non mediocrem ipsi voluptatem adferebant. Hæc autem omnia ad proficiendum in spiritu, sibi ipse necessariò facienda credebat; longè secùs, ac quidam, qui dum hujusmodi operibus insistunt, his se, si non necessariò ad profectum, ad bonum saltem exemplum perfungi dicunt; se namque iis minimè opus habere, nec multum hæc ad se pertinere arbitrantur. Bonum quidem est, illa te in bonum exemplum, & ad alios ædificandum agere; at foret melius, si tibi persuaderes, te iis etiam opus habere: cùm & S. Bernardus illa sibi maximè necessaria putarit.

8. Aliud ad superiora documentum, idque cumprimis bonum, addit S. Antonius, per quod ante dicta manifestiora fiunt, & confirmantur. Neque enim illi satis est, ut à primis illis, quibus cœpimus, fervoribus non desciscamus; sed requirit insuper, ut semper in illis ulteriùs progrediamur, quotidie magis & magis crescendo. *Sed quasi*, inquit, *incipientem debere semper augere, quod cœperit.* Sicut enim, qui primùm Dei servitio se addicit, etiam atque etiam connititur, ut quotidie plura, majora, & nova illi obsequia deferat, videndo se hactenus eum semper offendisse, & peccata gravissima commisisse, ut ita præteritam noxam rectè factis resarciat, seque præmio & mercede dignum reddat; sic nostrum est, semper nos ita gerere, quasi hactenus nihil profecissemus, sed potiùs omnem operam inutiliter impendissemus & consumpsissemus.

9. Hoc autem medium S. Gregorius, omnibus omnino hominibus, etiam admodum perfectis convenire censet. Etsi enim David Propheta vir esset perfectus, nihilominùs, quasi primum inciperet, dicebat: *Dixi, nunc cœpi.* Tanto namque fervore & constantia in via cultuque Domini in senectute progrediebatur, ac si illius tunc primum de novo servituti se mancipasset. Quinimò virorum perfectorum id maximè proprium est, juxta illud Sapientis: *Cùm consummaverit homo, tùc incipiet.* Veri quippe Dei servi, quo longiùs provehuntur, & fini suo propiores, ac perfectioni viciniores sunt, eo majori constantia, accuratione & fervore procedunt, & *quasi*, ut ait Job, *effodientes thesaurum.* Super quæ verba sic commentatur S. Gregorius: Sicut thesaurorum fossores, quo magis effoderint, & profundiùs terræ viscera penetraverint, eo majore in opus suum incumbunt diligentia: quia cum norint se ad thesaurum intra terræ venas abditum, quem indagant, jam propiùs accedere, & parum ab eodem distare, ad diligentiùs & animosiùs fodiendum incitantur, majoriq; cum voluptate & gaudio terram eruunt: ita qui profectus perfectionisque suæ ex animo studiosi sunt, quo longius in ea provehuntur, & fini suo fiunt propiores, hoc laborant contentiosius. Hem! quàm vicinus the-

Heb. 10. 25.
Lib. 2. Moral. c. 4.
Psal. 76. 11.
Eccl. 18. 6.
Job. 3. 21.

thesauros jam est! ergo sedulò labora, insta, festina, quia parum tibi spatii, dum ad eum pervenias, adhuc restat, *& tanto magis,* inquit Apostolus, *quanto videritis appropinquantem diem.* Perinde ac si diceret, ait Magnus Gregorius; eo sedulitas & contentio laborantium esse debet major & incensior, quo præmium & merces vicinior.

Heb. 10. 25.

Lib. 2. moral. c.

10. Cùm saxum deorsum fertur, quanto centro suo magis appropinquat, tanto majori velocitate & celeritate rapitur, donec eò tandem perveniat. Pari modo, quo quis in virtute & perfectione magis crescit, & ad Deum suum, qui ejus est centrum & ultimus finis, propiùs accedit, eò magis festinat ad eum pertingere. Atque hi, inquit S. Basilius, sunt *ferventes spiritu*, de quibus loquitur Apostolus: *Solicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes.* Sunt enim nonnulli, qui sub initium, dum Religionem primùm ineunt, magno cum fervore incipiunt, sed experimentis novitiatus vix egressi, statim ceu defatigati deficiunt, & veteranorum illorum quietem captant, qui *spiritu ferventes* nō sunt, sed tepidi & desidiosi. *Ferventes* autem *spiritu*, ait S. Basilius, sunt qui semper talem fervorem & desiderium, tam insatiabilem famem præ se ferunt, qualem initio habuere; qui in Dei servitio nec saturantur, nec fatiscunt, sed semper majus ac majus illi obsequium deferre gestiunt, secundùm illud Psalmistæ: *In mandatis ejus volet nimis.*

Psal. 76. 1.

In reg. brev. interrog.

Eccl. 18.

Rom. 12. 11.

Job. 3. 21.

Psal. 11. 1.

CAPUT XV.

Non mediocre consequendæ perfectionis medium est, si se ipsum unusquisque frequenter interroget: Ad quid ad Religionem venisti?

1. EST & aliud perutile, ad in virtute crescendum, & perfectionem acquirendam, medium, quo, teste Surio in ejus vita, S. Bernardus uti solitus fuit: *Hoc,* inquit, *semper in corde, frequenter etiam in ore habebat: Bernarde, Bernarde, Ad quid venisti?* Idem etiam de S. Arsenio legimus, seipsum identidem interrogante: *Arseni, Arseni, ad quid venisti?* Cur mundum dereliquisti? Quis tuus finis & scopus fuit, dum, eo deserto, ad Religionem convolasti? An non, ut in hac Deo tuo sincerè, & in omnibus placere studeres, hominibus verò complacere & gratificari non curares, parvique faceres ab iis vicissim magnifieri & coli? Quare primùm illud tibi curæ sit. humanam verò æstimationem & opinionem noli morari: hoc enim mundum sapit, quem deseruisti: itaque corde & affectu ad eum quem sprevisti, ne redeas: parum namque tibi profuerit, corpore hîc in cœnobio agere, si corde & animo in mundo habites, humanū applausum & æstimationem captando.

Lib. 1. vitæ c. 4.

2. Hoc scilicet calcari se Sancti ipsi excitabant & animabant: hoc & nos ipsi excitemus, &, ad ulteriùs progrediendum, omnesque difficultates in Religiosa vita occurrentes, transcendendas animemus. Si quando aliquam

quam in parendo Superiorum jussis molestiam senties, hisce te verbis exstimula, *Ad quid Religionem iniisti?* an forsan ut propriam facias voluntatem? minimè, sed ut alienam. cur ergo tuam facere, & proprio niti judicio vis? Si quem paupertatis effectum senties, hoc rursum tibi calcar subde, Huccine venisti, ut proprias commoditates quæras? vt omnia usque quaque completa habeas, nihil omnino tibi desit? ignoras, ideo venisse te, ut pauper esses, &, ceu verus pauper, aliquam rerum necessitatem patereris? Quid ergo murmuras? quid conquereris? Quãdo denique tibi videberis negligi ac parvifieri, hac te oratione consolare, dicens: Idcirco ne ad Religionem animum adjecisti, ut magnifieres, & ab omnibus celebrareris? nequaquam: sed ut apud omnes in oblivione fores, deque hominum opinione, mundique æstimatione parùm aut nihil laborares: cur ergo respuis id, quòd ultrò amplexus es? Cur reverti denuo vis ad id quod deseruisti? Hoc demum est, esse Religiosum, voluntatem propriam non facere: pauperem esse; penuriam rerum pati; latere velle, ab hominibus ignorari, atque nullo apud eos esse loco hoc, scilicet, est mortuum esse mundo, & vivere Deo.

3. Cùm ergo hunc ad finem Religioni nomen dedisse reminiscimur, parùm sanè nobis erit in ea vivere, nisi etiam exactè faciamus id, propter quod venimus: neque enim locus sanctum aliquem facit, sed vita sancta, religiosa & perfecta. Egregiè hoc argumentum pertractat S. Augustinus sermone quodam ad Fratres in eremo degentes: *Ecce in solitudine sumus, in eremo sumus; locus tamen non facit sanctos, sed operatio bona locum sanctificabit & nos.* Esto locus sit sanctissimus, esto sis in Religione reclusissimus; tamen & ibi peccare poteris, etiam ibi damnationem tuam operari. quare in hoc, inquit Augustinus, noli fidere, *peccavit enim Angelus in cœlo, peccavit Adam in Paradiso: & tamen nullus locus sanctior erat illis:* quia, ut dixi, locus habitantem non sanctificat. *Si enim habitatorem loca beare possent, nec homo, nec Angelus à dignitate corruissent.* Quapropter ne credas, tunc rem tuam in vado, extraque omnem aleam te ac periculum versari, cùm dicere poteris: *Religiosus sum, Societatis Iesu sum:* quia hoc non sufficit, nisi feceris id, cuius causa in Religione te Deo devovisti. Cogita, non venisse te huc, ut eruditus evaderes scholaris, aut eximius Doctor, aut insignis Ecclesiastes; sed ut bonus Religiosus, & ad perfectionem totis viribus ac nervis incumberes.

Serm. 17. ad frat. in erem.

4. Quàm parùm est utrùm plus minusve litteris tinctus sis! magni aut mediocris nominis prædicator evadas? Verùm tamen refert permagni, imò in eo totum vertitur, ut bonus ac perfectus Religiosus sis. Quid enim agimus, si hoc non agimus? quid etiam egimus hactenus, si hoc unum non egimus? cui demum rei attendimus, si non illi, ob quam venimus? *Amice, & frater mi, ad quid venisti?* Tuas subinde tecum rationes ini, ac sæpenumerò ex te sciscitare; Pròh miserum

De inte-rior. d... c.21. ... lib. de ... scient.

Doctri... 30.

rum

rum me, quam non artem, non opificium toto illo tempore, quo Societatis alumnus fui, didicissem, ac perfectè jam callerem? Si operam interim meam apud Pictorem impendissem, scitè venustèque jam nossem pingere; si apud Phrygionem, jam acu nossem pingere; idque artificium sic jam combibissem, ut eo me sustentare possem & vivere: jam verò bonus didici esse Religiosus, &, eheu? nondum huc pertigi. Tanto, ecce, jam tempore scholam virtutis adii, & frequentavi, & vix dum primam alphabeti, quod in ea traditur, litteram didici, nondum, inquam, primum humilitatis gradum sum consecutus. Septennium tantùm insumitur, ut bonus quis numerisque suis absolutus Philosophus simul & Theologus evadat; &, eheu? ego tot annorum spatio nondum in bonum evasi Religiosum. O, si tanto veras virtutes studio ac contentione quæreremus & procuraremus, quanto litteras & scientias quærimus & procuramus?

De interior. dom. c.21. & lib. de cõscient. c.2 5. Præclarè S. Bernardus: *Multi quærunt scientiam pauci conscientiam. Si verò tanto studio & sollicitudine quæreretur conscientia, quanto quæritur sæcularis & vana scientia, & citiùs apprehenderetur, & utiliùs retineretur.* Et sanè, exiguum quid faceremus, etiãsi tanta contentione & diligentia in animi nostri profectum conniteremur, quanta in scientias litterarias incumbimus. Hac consideratione multum in spiritu se profecisse fatetur Sanctus Dorotheus. *Doctrin. 10.* *Quando,* inquit, *in sæculo litteris operam dabam, ita ab iis absorptus eram, ut planè omnium aliarum rerum, præterquam illarum me caperet oblivio, ac de nulla re alia, imò de cibo quidem sumendo, cogitarem; nec tempus expendendi, quid comedendum, & ori ingerendum esset, mihi suppetere videretur; unde, nisi per socium valdè mihi familiarem, qui cibi mihi parandi ferendiq; curam habebat, meque ad comedendum tempore suo vocabat, stetisset, sæpè cibi oblitus fuissem, & incœnatus mansissem. Tantoque litterarum & scientiæ amore æstuabam, ut etiam dum comederem, librum ante me apertum haberem, simulque comederem & studerem; &, licèt seriùs à ludo redirem, mox tamen lucernam accendebam, & ad mediam usq; noctem lucubrabam. Cubitum deinde concedens, librum ad lectum mecum deferebam, cumque aliquantulùm dormissem statim ad legendum redibam. Denique studiis adeò eram immersus, nihil ut me præter sola studia delectaret vel deficeret.* Ut verò Religionem inii, sæpè hac de re mecum cogitavi; meque ipsum his verbis sum allocutus: *Si tantus labor, tantusq; fervor fuit tibi in adipiscenda eloquentia, &* scientia humana, *quanto major tibi nunc adhibenda est cura* in Religioso statu, *ut veras virtutes* & veram sapientiam *acquirere valeas, quando ob hoc unum Religionis professionem es complexus?* Atque hac se cogitatione multum animatum & vigore singulari excitatum, addit.

6. Rationi igitur consentaneum erit, ut etiam nos paribus incitamentis ipsi excitemus & animemur: nam pluris

pluris faciamus oportet, esse bonos Religiosos, quàm bonos scholasticos, aut celebres professores. Omne proinde studium, labor & cura nostra in id sunt conferenda, ut videamus, quomodo divinam hanc sapientiam simus adepturi, atque idcirco toto in hoc unum nisu incumbamus necesse est. Aliud ipse Dei Filius Christus in terra vivens non spectavit aut fecit, quàm ut nobis amandis, profectui, & majori bono nostro, & quidem tantis suis dispendiis, quærendo totus intenderet; quid ergo magnum erit, si nos hoc in mundo unum id spectemus, ut Deo amando, eique magis placendo, majori ejus gloriæ quærendæ & procurandæ totis viribus intendamus?
Heb. 12. 10. *Propter quod*; ut suadet Apostolus, *remissas manus & soluta genua erigentes*; teporem & vecordiam excutiamus, & succincta ad lumbos veste, & ad iter sic nos disponendo, *festinemus in*
Heb. 11. 4. *illam requiem*, ac properemus, ut ad illum perfectionis & gloriæ montem perveniamus, *usque ad montem Dei Horeb.*

3. Reg. 19. 8. Bonavent. to. 2. opusc. lib. 2. de profect. Relig. c. 1.
7. Quemadmodum viator, qui in multam lucem dormivit, postea summam, accelerato gressu, diligentiam adhibet, ut, quod dormiendo perdidit tempus recuperet, ac morã illam festinatione compenset, donec comites, qui longo spatio se antecessere, attingat. Simili modo nobis festinandum, atque etiam currendum est, ut amissi tẽporis jacturã hoc pacto resarciamus; dicentes: Hẽ, quanto me socii ac fratres mei intervallo præcurrunt; & ego solus in posterioribus hæreo; cùm tamen priùs illis currere cœperim, utpote antè illos Religionis stadium ingressus. Utinam nos temporis hactenus amissi, pigeret ac pœniteret, idque tam acerbè ferremus, ut calcaris cujusdam nobis id loco esset, ad majori posthac in via Domini fervore currendum.

8. Adolescens quidam (ut è Vitis Patrum refert Dionysius Carthusianus) Religionem ingredi enixè dum cupit, mater cum multis allatis rationibus, impedire, sanctaque ejus desideria intervertere omnimodis satagebat: ille morem matri gerere nolebat, aut à proposito suo desciscere, illud identidem ad sui defensionem tutelamque ingeminans, *Salvare volo animam meam*, salutem meam in tuto collocare. nam mea plurimum illius interest. quo uno ille responso importuniores matris preces facilè elidebat. Tandem cùm suis se frustrà rationibus esse parens cerneret, precesque omnes incassum cadere; assensum dedit, filiumque, quod conceperat, exequi permisit. Ille voti cõpos, Religioni nomen dedit. Verùm cùm non multò pòst intepuisset, & negligenter satis segniterque in ea viveret, contigit matrem aliquot pòst diebus ex hac vita decedere, ipsum quoque in gravem ac periculosam ægritudinem incidere: qua durante, cùm defectis è gravi symptomate sensibus, in spiritu extra se raperetur, ad Judicis Dei tribunal sistitur: ubi & matrem reperit, & alios plurimos circumstantes, & decretoriam condemnationis sententiam exspectantes.

Dion. Cart. art. 30. de quat. noviss. & vit. pat. p. 2. f. 203.

Ibi

Ibi tunc mater oculos circumferens, vidensque filium in damnandorum turba consistere, admirabunda petit: *Quid hoc est, fili mi? quomodo huc malorum redactus es? ubinam sunt jam præclara & speciosa illa verba: Salvare volo animam meam, quæ mihi olim oggerebas? ideone Religionem iniisti?* Ad quam ille exprobrationem ita confusus est & erubuit, ut, quid ad hæc diceret, penitus non haberet. Ad se igitur reversus, Deo dante, è morbo convaluit: cogitans porrò divinam quandam id commonitionem fuisse, ita superiorem vitam correxit, ut commissa præterita assiduis lacrymis expiaret, tam in se severus & austerus, ut multi, rigorem ut moderaretur, & de austeritate nonnihil remitteret, auctores ei essent, ne quod sanitati suæ detrimentum adferret. At ille blandiora hæc consilia parum moratus, respondit: *si matrem impropeantem exprobrantemque ferre non potui, quomodo ipsummet Iudicem Christum, & sanctos ejus Angelos in supremo judicii die sustinebo?*

Dion. Cart. art. 30. de quat. noviss. & vit. par. p. 2. f. 203.

CAPUT XVI.

Alia quædam adferuntur motiva, nobis ad progressum in virtutibus, & perfectionem assequendam auxilio futura.

Medium perfectionis est quod Assimilaris ipsi Deo perfectione.

1. ESTOTE *perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*, ait Christus in egregio illo sermone, quem in monte habuit. In quæ verba gloriosus Martyr Cyprianus sic scribit: *Si hominibus lætum est & gloriosum filios habere consimiles, & tunc magis generasse delectat, si ad patrem lineamentis paribus soboles successivè respondeat; quanto magis in Deo Patre lætitia est, cùm quis sic spiritualiter nascitur, ut actibus ejus & laudibus divina generositas prædicetur?* Et addit: *Quæ justitiæ palma est, quæ corona*, quæ gloria, *esse te talem, de quo Deus non dicat: Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me?* sed talem, ut opera tua in magnam Patris tui cœlestis gloriam & honorem redundent? Non parva profectò Dei gloria est, filios ita sibi consimiles habere, ut eorum ipse causa ab omnibus cognoscatur, honoretur, & glorificetur.

Ser. 2. de zelo & livore.

Isa. 1. 2.

2. Quomodo autem Patri nostro cœlesti similes erimus? Dicet id nobis S. Augustinus: *Cogitemus*, inquit, *nos tanto similiores Deo, quanto esse poterimus ejus participatione justiores*: quanto, inquam, sanctiores & perfectiores erimus, tanto Patrem nostrum cœlestem magis referemus. Atque hac de causa tantoperè Dominus desiderat, ut sancti & perfecti simus; & nobis idipsum multis locis in memoriam revocat, & crebrò inculcat; semel per Apostolum Paulum: *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra*; aliàs per Matthæum: *Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Tum per Apostolorum principem Petrum: *Sancti*, inquit, *eritis, quia ego sanctus sum.* Ingens sanè parentibus gaudium & lætitiam pariunt filii boni, sapientes, & sancti: dicit quippe Salomon: *Filius sapiens lætificat patrem, sicut contrà, filius stultus* & refractarius *mœstitia est matris suæ.* Quare etsi alia nulla nobis adper-

Epist. 85. ad Consentium.

1. Thes. 4. 3. Matt. 5. 48.

1. Pet. 1. 16. Levit. 11. 44. & c. 19. 2.

Prov. 10. 2.

fectionem & virtutem incumbendi suppeteret ratio, quàm ut aliquam Deo voluptatem & delectationem adferremus; hæc profectò una, ad illi toto conatu studendum nos deberet impellere. Gaudium namq; Dei, majorque ejusdem honor & gloria, præcipuum nostrum in omnibus operibus motivum & stimulus sit oportet.

Medium aliud perfectionis est meminisse se adextatum esse in filium Dei. 3. Præter illud tamen, alia quædam media non parū ad hoc nos incitantia & adjuvantia, jam huc adferemus. Causam, cur toties sacra Scriptura nos Dei filios nominet (ut, *Ego vobis ero in Patrem, & vos eritis mihi filios:* quod toties à Prophetis repetitur. Et Apostolus Paulus Ephesiis scribens, *Estote*, ait, *imitatores Dei, sicut filii charissimi.* Joannes verò, *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus*, ut & alibi passim) hanc assignat S. Augustinus, ut nimirum, nostram notantes dignitatem & excellentiam, hac voce expressam, nos ipsos magnifaciamus, majorique super nos cura & diligentia vigilemus. Splendida & pretiosa vestis quàm diligentissimè accuratissimeque custoditur, seduloque cavetur, ne qua illam habes aut contagio commaculet: gemmæ quoque, cimelia, & quicquid demum pretiosum & carum est, quàm fieri potest maxima solicitudine custodiuntur. Ut ergo majori super nos vigilantia excubemus, magnamque nostri ipsorum curam habeamus, toties, inquit Augustinus, à sacris litteris monemur, seriò cogitare, nos Dei filios esse, ipsumque Deum nobis esse Patrem, ut ita nos geramus, sicut talis Patris decet filios, & à sublimibus ac generosis filiorum Dei cogitationibus minimè degeneremus. Suffragatur his Leo Magnus Pontifex, dicens; *Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire: memento, cujus capitis, & cujus corporis sis membrum.* Excellentiam, inquam, tuam perspice: memento, esse te Dei filium, nec nobilitate & generositate ejus, cujus es filius, quid indignum admittas. Quin & Gentium Apostolus, Athenienses ad altiora provocaturus & erecturus, illud ipsum iis in mentem redegit: *Ipsius*, inquit, *& genus sumus* &, *Genus ergò cùm simus Dei.*

Eph. 5. 1. 1. Ioan. 3. 1. Epist. 243 c. 19. Cur filii Dei nominemur. Serm. 3. de nativ. Dom. Act. 17. 28.

4. Verùm applicemus hoc potiùs nobis, uti & priorem illam similitudinem à veste pretiosa petitam, quam adfert Augustinus. Quemadmodum enim quævis macula magnam vesti pretiosæ deformitatem adfert, & eò majorem, quò ipsa pretiosior est: etenim in bysso subtili, & panno aureis filis intertexto, labes aliqua statim, & valde se exerit; at in panno nautico & rudiori ne apparet quidem, &, si fortè appareat, non tanti æstimatur. Ita, nec illis qui in hoc mundo vivunt, peccati alicujus venialis labes videtur, imò subinde nec sceleris mortalis; &, si fortè videatur (quæ nostra in peccatum pronitas est) parùm ea curatur: at in Religiosis, qui charissimi & dilectissimi Dei filii esse debent minima etiam labecula atque imperfectio elucet, inque oculos omnium incurrit;

Venialia Religiosorum plus offendunt, quàm sæcularium.

rit; una, inquam, immodestia ac dissolutio, levis quædam murmuratio, verbum aliquod impatientiam redolens, ac bilem spirans, videntes audientesque hic multùm offendit ac scandalizat; apud sæculares verò vix ullo numero & loco hæc esse solent. Pulveris pedibus insidentis nulla ducitur ratio, sed ejus qui oculos eorumque pupillas obsidet, magna. Mundani velut pedes sunt corporis hujus, quod est Ecclesia, Religiosi autem ut oculi, & eorum pupillæ; ideò quælibet in Religioso imperfectio permagni ducitur, quòd hæc ejus splendorem imminuat, & insigniter ipsum deformet: quare quàm potest accuratissimè & maximè sollicitè is sibi caveat oportet.

Medium aliud perfectionis est cogitare: plus ultra

5. Aliud præterea est quod ad semper progrediendum, & ulteriùs tendendum non parum nos adjuvabit (quod etiam suprà obiter indicavimus) ut cogitemus nimirum, credamusque, multum nobis adhuc viæ restare, & nihil omninò esse, quidquid aut habemus, aut itineris hactenus confecimus. Medium hoc etiam in allegatis initio verbis nobis insinuatur. Cur enim putatis Christum omnibus in genere dixisse, *Estote etiam vos perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est?* Eóne perfectionis ipsi pertingere possumus, quò Pater noster cœlestis pervenit? *Numquid homo,* inquit Job, *Dei comparatione justificabitur?* minimè: ne quidem si multis leucarum millibus ei propiores fieremus: nam quantumlibet appropinquaremus, semper infinitū inter ipsum & nos intervallum intercederet. Ideò verò ad Patris nostri cœlestis perfectionem æmulandā nos adhortatur & invitat, ut intelligamus, in hac virtutis via semper restare, quò ulteriùs tendamus, ac proinde numquam debere nobis sufficere id, quod jam habemus, sed ad id q̃ nobis deest totis viribus enitendum esse.

Mat. 3. 48.

Iob 4. 17.

Nisi perfectionē apponas longè ab ea distas.

6. Communiter SS. Patres docere solent, nec sine ratione, nullum certius haberi à quopiam signū posse, lōgè se adhuc à perfectione abesse, quā cùm se putat jam ad ejus culmen pertigisse. Nam quo quis in mirabili hoc perfectionis itinere longiùs provehitur, eo plus terræ detegit, quantumq; sibi adhuc desit, perspicit. S. Bonavētura rem hac similitudine indicat: sicut quo quis in montem altiùs ascendit, eo plura circumundique loca despectando detegit: similiter quanto quis culmini montis hujus perfectionis fit vicinior, tanto etiam plura sibi videt deesse. Nam uti nobis, dum eminus celsum quendam montē cōspicimus, is cœlum vertice tangere, & nos, ubi in illius summo constiterimus, illud nullo negotio manu tacturi videmur; at postquā longiùs progrediendo, jam cominus ad eum pertigimus, multò cœlum ipsum intervallo altius eo esse comperimus: ita etiā in hac perferfectionis, & cognitionis amorisq; Dei via fieri amat. Tali in sensu intelligit Cyprianus illa Psalmographi verba, *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Proficiamus, inquit, in cognitione Dei, quantum volumus & possumus, nunquam ejus altitudinem assequemur;

Tom. 2. opusc. l. 2. de profect. Relig. c. 6. 21.

Ps. 63. 8. De operibus Christi ad Cornel Pap. in prolog.

mur: intelligamus de divinis rebus quantumcunque voluerimus, remanebit semper plus rimandum & intelligendum: amemus ipsum quantum volumus & possumus, semper supererit quod amemus. Semper ergo in hac perfectionis via suppetit, quò ulterius ascendatur, & qui ad eam jã se putat pervenisse, eamque assecutum, is nimis quam procul ab eadem distat, etsi alioquin se manu cœlum contingere posse credat.

7. Intelligi quoque poterit hæc veritas ex eo, quòd passim in ipsa scientiarum humanarum cognitione fieri videmus: nam sic se res habet, ut quanto plura quis didicerit ac sciverit, tantò meliùs intelligat, quàm multa sibi ad sciendum desint. Unde scitè Philosophus ille dicebat: *Hoc unum scio, me nihil scire.* Et peritissimus ille musices, dolens ajebat, nihil se prorsus in arte sua nosse, quòd quosdam videret campos adeò latè patentes, ut nec ipse voce eatenus extendere, nec ea satis audiri posset. Qui parum sciunt, quia non intelligunt quantum sibi adhuc desit, & quàm innumera restent addiscenda, multa se scire putant. Eodem modo in sci scientia divina usu venit. Servi Dei, qui multum operæ in ea posuere, magnosque progressus fecere, liquidò perspiciunt, quantum tibi ad ejus perfectionem adhuc desit. Atque hæc unica causa est, cur quanto quis majorem in illa processum effecerit, tantò sit humilior. Partim quòd, sicut in reliquis omnibus virtutibus plus indies proficit, ita & in humilitate, majori sui cognitione, & contemptu quotidie crescat: omnes enim virtutes invicem cohæret & connexæ sũt. Partim quia evidentiùs perspicit quid sibi desit: nam, ut majus ad bonitatem & majestatem Dei cognoscendam lumen habet, ita & profundiorem propriæ miseriæ ac nihili cognitionem; eò quòd *Abyssus abyssum invocat*; abyssus, inquam, cognitionis, bonitatis ac magnitudinis Dei, miseriæ nostræ abyssum & profunditatem aperit & ostendit; simul etiam infinitos imperfectionem nostrarum pulveres & atomos, nec non grande iter quod cõficiendum nobis restat, ut ad perfectionis apicem pertingamus, videre nos facit.

Laert. in vita Socrat.

8. Novitius, & nuper incipiens tiro, interdum sibi imaginatur se jam virtutem possidere, quodquàm multa sibi adhuc desint, minimè videt. Ut enim artis pictoriæ imperitus tabulã quampiam videns, eam censet perbellam, nullumque in ea defectum notat; quam si deinde quis artis gnarus attentè consideret, multos in ea errores & defectus observat. sic planè hîc se res habet: quia propriæ cognitionis artem non callet, ideò imperfectiones, quæ animæ tuæ imaginem commaculant, videre non vales: quas alius, quia artis hujus peritissimus est, statim perspicit. Magna igitur hæc omnia in nobis famem & desiderium excitare debent obtinendi ea quæ nobis adhuc desũt, majoreque ad eadem cura & conatu connitendi. Unde B. Hieron. exponens hæc: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam*, eos hîc vocari ait beatos, qui quamvis justissimi sint, nũquam tamen justitiã

Putare se longè jã processisse in virtute est signum longius abesse.

Matt. 5. 6. Hieron.

ſtitiâ ſuâ ſaturantur, nec ſibi ſufficere credunt ea quæ habent, ſed ad majorem virtutem & perfectionem, ceu famelici ac ſitibundi, anhelant, uti anhelabat Propheta ille, qui dicebat, & à Deo precabatur, *Ampliùs lava me*
Pſ. 50. 4. *ab iniquitate mea, & à peccato meo mũda me.* q. d. Non ſufficit mihi, quod à peccatis meis mundus, quòd dealbatus ſim; ſed velim inſuper, ut nivis inſtar, & etiam ſupra nivem, me dealbes. *Aſperges,* inquit, *me Domine hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor*; non modo ſuperficietenus & exteriùs me ablue, ſed etiam interiùs in anima, & perlava. Vnde & nos, precari, & ad Deum clamare oportet, dicentes: Da mihi, Domine, humilitatem majorem, patientiam fortiorem, caritatem ardentiorẽ, plus mortificationis, indifferentiæ & reſignationis, & *ampliùs lava me.*

Caput XVII.

De perſeverantia, quam in virtutum ſtudio nos habere oportet; & quid ad eam comparandam nobis adjumento futurum.

2. Tim. 2. 5. 1. Nemo coronatur, *niſi qui legitimè certaverit,* ait Apoſtolus: quæ
Serm. 8. adfrat. in Eremo. verba S. Auguſtinus exponens, non aliud eſſe ait, *legitimè certare*, quàm cum perſeverantia ad finem uſque decertare, & eum qui hoc fecerit, coronam ac lauream promereri: adfertque communem illam ſententiam, quæ etiam S. Hieronymi, & penè omnium Sanctorum eſt. Iter virtutis & perfectionis *cœpiſſe multorum eſt, ad culmen perveniſſe*, & in eo ad finem uſ- lib. 1. cõt. Iovin. &
que perſeveraſſe, *paucorum*. Sic videmus filios Iſrael magna manu & nu- epiſt. ad Luc. Hiſ.
mero, ſexcenta inquam, teſte ſacra Num. 1. 40. & c. 14. 30.
Scriptura, bellatorum millia, non annumeratis mulierib. & pueris, egreſſos eſſe Ægypto; & tamen è tam numeroſo exercitu duos tantum terram promiſſionis ingreſſos. *Non eſt igitur* Suprà.
magnum, inquit Auguſtin. *inchoare quod bonum eſt; at conſummare, hoc ſolum perfectum eſt.* Nam, ut ait S. Ephrẽ, Exhortat. ad pietatem.
quemadmodum qui domum ædificat, vix ullam in fundamento jaciendo, ſed magnam in ipſamet conſummanda difficultatem experitur; & quo altius ipſa aſſurgit, eo major eſt & labor, & gravior impenſa: ita ſpiritualis ædificii fundamenta jacere & incipere, nullam omnino difficultatem includit; at omnis in perficiendo labor & difficultas ſita ſunt. Vnde parum nobis profuerit benè inchoaſſe, ſi benè non perficiamus: Nam Epiſt. ad Furiam viduam.
teſte Hieronymo, *non quæruntur in Chriſtianis initia, ſed finis. Paulus malè cœpit, ſed benè finivit; Iudæ laudantur exordia, ſed finis proditione damnatur.* Quid huic contulit, fuiſſe Chriſti diſcipulum & Apoſtolum? quid feciſſe miracula? Ita quid tibi profuerit benè incepiſſe, ſi malè conſummes? neque enim incipientibus, ſed perſeveranti promittitur præmium & corona. *Qui* Matt. 24. 13.
perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. In ſummitate ſcalæ, non autem in ejus principio, vel medio, incumbantem Dominum vidit Jacob; ut Gen. 28.
hinc diſceremus, ait Hieronymus, Vbi ſuprà.
ſatis non eſſe benè incipere, & benè pergere, ſi non perſeveremus, & benè con-

Epist. 253 ad Abbat. Garin. consummemus. Et S. Bernardus ait: *Quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? Ideò Paulus ajebat; Sic* *1. Cor. 9. 24.* *currite ut comprehendatis. Ibi tu Christiane fige tui cursus profectusque metam,* *Phil. 2. 8.* *ubi Christus posuit suam. Factus est, inquit, obediens usque ad mortem. Quantumlibet ergo cucurreris, si usq; ad mortem non perveneris, bravium non prehendes.*

2. Idipsum & Christus in Evange- *Luc. 9. 62* lio, singulariter nos commonet: *Nemo*, ait, *mittens manum suam ad aratrũ, & respiciens retrò, aptus est regno Dei*, & alibi: *Memores*, inquit, *estote uxoris* *Luc. 17. 32.* *Loth*. Quid autem uxori Loth factum? Eduxerat & liberabat illam de Sodomis Deus: sed cum jam esset in medio viæ, respectavit, & eo ipso in loco in statuam salis conversa mansit. Quid hoc sibi vult: respondeat tibi *In Psal. 75. super illud, Vovete & reddite.* Augustinus: Sal, inquit, quia omnia sapida reddit & conservat, ideò monet nos Dominus, ut uxoris Loth memores simus, ut, dum perpendimus & recolimus, quid huic acciderit, per hunc salem conservemur, & illius exemplo sapienter, in bono itinere quod cœpimus, perseveremus, nec retro respiciamus, ne & ipsi in statuas salis convertamur; quorum postea exemplo & alii sapiant, ac nostra visâ ruinâ studiosius perseverare contendant. Quàm multos hodie videre est, qui nobis sunt nonnisi ceu quædam statutæ salis, ut scil. illorum aspectu integri conservemur! Alieno itaque malo & impensa sapiamus, nihilque agamus, quo & nostra post alii sapiant, & prudentiam addiscant. *Aug. ser.* Addunt SS. Augustinus & Hieronymus, benè quidem ordiri, sed malè *8. ad frat. in Eremo. In illa Matth. verba; Qui autem perseveraverit.* finire, esse ceu monstrum quoddam formare: nam opera illa & actiones, quæ à bono quidem & ratione incipiunt, sed in malum & meram sensualitatem terminantur, quasi meras esse chimeras & monstra. Cum enim sic agitur, *humano capiti cervicem pictor equinam jungit*, quod sanè per- *Horat. in Arte Poët.* quam monstrosum est: uti & rectè inchoare, at malè finire. Atque hoc est quod retrospicientibus Galatis exprobrat sugillando Apostolus: *Sic* *Gal. 3. 3.* *stulti*, inquit, *estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini. O in-* *Gal. 3. 1.* *sensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati?*

3. Vt autem perseverare, & hanc *Primum perseverantiæ medium.* perseverandi gratiam à Deo obtinere possimus, necesse cumprimis est, solidum virtutum ac mortificationis fundamentum nos antè jacere: nam quia quis bene fundatus nõ est, hinc deficit ac labitur. Vt poma verminosa citò ex arbore decidunt, nec ad maturitatem debitam perveniunt, bona verò & integra in arbore tam diu permanent, quoad plenè maturescant: ita, si virtutes solidas in animo non habeas, si cor tuum vanum sit, si quis præsumptionis, superbiæ & impatientiæ, vel alterius cujusdam affectus inordinati vermiculus introrsum habitet; ille te sensim exedet, succum interiorem depascetur, omnem item virtutis substantiam & robur destruet, denique te periculo præsenti exponet, ne tandem descilcas, & non perseveres. *Optimum* *Heb. 13. 9.* *est ergo*, ut ait Apostolus, *divina gratia stabilire cor*, ipsumque veris solidis-

solidisque virtutibus corroborare.

4. Quomodo autem in virtutibus ita solidari firmarique possimus, ut in iisdem permaneamus & perseveremus, egregiè perdocet Albert. Magnus. Dicit, verum Dei servum tam in virtute fundatum esse debere, & tam firmiter eam in corde ejus radicatam, ut semper in illius manibus sit & liberum, illam pro arbitratu suo, & cum lubuerit, exercere; nullo verò modo in hoc ab aliorum dictis factisque dependeat. Sunt enim nonnulli, qui tamdiu humiles & pacifici esse videntur, quamdiu nullæ superbiendi indignandique occasiones illis occurrunt, & quamdiu omnia ad mentem fluunt: at, ubi se occasio, tametsi minima, obtulerit, statim pacem illam amittunt, & quid sint, ad oculum ostendunt. *Et tunc*, inquit Albertus, *illa pacis & humilitatis virtus, non in ipsis, sed in aliis habitat:* estque hæc virtus aliorum, non tua, quia, cũ ipsis lubuerit, eam tibi & auferre & dare queunt. Hoc scil. est, aliena virtute bonũ esse. Uti & mundani homines, cum ab alio laudantur, vulgò dicere solent, *Excuset me D. V. tua, non mea virtute, sum talis.* Et verè sic loquuntur. *Regnum Dei intra vos est*, ait Scriptura. Non debes proinde aliena virtute bonus & sanctus esse sed ea, quæ tibi propria, & in te sit, quæque ab aliis nequaquam dependeat. Talis non incongruè paludibus quibusdam, in quibus aqua stat, non fluit, assimilantur: nam ut hæ, si aquam non tangas, minimè fætent; at si camarinam moveas, nemo non ad putiscentiam nares occludit: sic & hi, quamdiu non tanguntur, sed suo modo, & ad benè placitum proprium vivere sinuntur, limpida videntur aqua; at vel modicè eos motita atque incita, mox quàm sint terram mephitim exhalaturi, videbis. *Tange*, scilicet *montes & fumigabunt.* Ps. 143. 5

Aliud perseverantiæ medium. *Enchirid. de veris perfectisque virtutib. c. 13.*

Caput XVIII.

Aliud in virtute proficiendi medium suggeritur, ipsæ videlicet exhortationes, & colloquia spiritualia: & quomodo ex iis fructum elicituri simus.

1. Inter alia media, quibus Religiosæ familiæ, ac Societas Iesu quàm maximè gaudet, ad suos, ut in virtute & perfectione progressum faciant, adjuvandos & animandos, non postremum sunt *conferentiæ, colloquia & exhortationes spirituales*; quæ tam in ea ordinariæ sunt, ut peculiari quadam ad easdem habendas audiendasvé regula obligati simus. Unde quædam hîc afferemus, magno tùm nobis, ad majorem ex his fructum colligendum; tum omnibus aliis, quò è concionibus auditis utilitatem & fructum aliquem hauriant, usui futura. Primò, multum quoad hoc juvabit, si non ex usu, consuetudine, & pro forma (ut dicunt) ad eas nos conferamus, sed cum vero fructûs alicujus inde colligendi desiderio. Huc conferet, considerare, quanto veteres illi in eremo Patres se ad Collationes & conferentias illas spirituales, quas inter

ter se aliquando habebant, affectu & desiderio conferrent; quem deinde ex iis fructum ac commeatum spiritualem ad domunculam suam quisque referret. Tali ergo cum affectu & fame ipsi ad illas accedere debemus, ac tum illæ nobis commodum & utilitatem plurimam afferent: *uti, dum quis* magno cum appetitu & fame ad mensam *accedit*, *cibus* quem sumit, salutaris ei esse, & in utilitatem cedere videtur. Et quemadmodum, ut benè notat S. Chrysostomus, eum rectè valere, & sano esse corpore censes, qui bonum habet appetitum, & sapidè avideque cibum capit; ita animam bene dispositam esse ac rectè valere liquidò colligas ex eo, quòd quis magna verbi Dei audiendi cupiditate & fame teneatur: si autem ad illud nec anheles, nec ipsum tibi sapiat; certissimum id argumentum esto, non rectè te valere, cum cibi hujus spiritualis appetitus adeò non te attrahat, ut etiam ejusdem nausea labores.

Hom. 4. & 32. in Genes.

2. Et ut nullum aliud inde commodum sequeretur, saltem ideò ad has conferentias magna cum consolatione, gustu & appetitu nobis eundum esset, ut aliquid de Deo tractari audiremus. Homo quippe natura sua libenter audit, si quid sibi de eo quem insigni amore prosequitur, referatur ac narretur; uti pater, dum de filio suo quis loquitur, gaudere naturaliter solet. Quocirca si Deum ames, volupe tibi erit de Deo loquentem audire. Vnde & Redemptor Jesus ait, *Qui ex Deo est, verba Dei audit*; contra de eo, cui tædio & grave est, verba Dei audire, statim subjungit, *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

Medium primum ad frequentandas conferentias sacras.

Ioan. 8. 47.

3. *Secundò*, ad aliquem ex conferentiis hisce fructum percipiendum, nefas nos est ad eas ex curiositate aliqua conferre, scilicet, ut gestus dicentis, modumque dicendi tantum spectemus, vel inaudita, nova, extraordinaria ibidem audiamus; sed ab omnibus illis animi oculos avertendo, in ipsam eorum quæ dicuntur substantiam, eos conjiciamus. Atque hoc unum de illis est, quæ nos in mundanis sugillamus & carpimus; hocque in causa est, cur hodie multis exiguum è concionibus quas audiunt, fructum hauriant. Quid de eo censeremus ægro, qui, chirurgo veniente ad venam incidendam, illam sibi incidi non permitteret, sed instrumenta ejus duntaxat curiosè contemplaretur, singulaque laudando diceret, *Pro insigne scalpellum! ô scitam novaculam! ô egregiam thecam! ubi facta sunt hæc omnia?* Omitte ista sodes, & venam incidi tibi sine; hoc enim solum tua interest, alia ceu nihil ad te pertinentia, inquirere desine. Tales sunt haud dubiè isti, qui eorum quæ pro concione dicuntur, substantiam & medullam nequaquam curant (qua tamen maximè opus habent) sed verba, dicentisque modum, elegantiam & artē tantum notant. Non insciè proinde homines hujusmodi contuleris cum pistorio cribro, vel incerniculo, quod simliam, pollinem & farinæ florem in agitatione à se excutit, solis paleis & furfuribus intrà se retentis. Esdra sacerdote

3. sti §.

2. Esdr. 10.

cerdote legis volumen populo præ-
legente, tantus omnium audientium,
teste S. Scriptura, motus ciebatur,
tanta ubique in populo audiebatur
comploratio & planctus, dum actio-
nes & vitam priorem ad normam &
amussim legis, quam recitari audie-
bant, admetirentur, ut necesse fuerit
Levitas per populum obire, ad quie-
tem silentiumque populo indicen-
dum, ut suam Esdras lectionem pos-
set prosequi. Hoc scilicet modo ex-
hortationes & conciones audiendæ
sunt, cum confusione, inquam, qua-
dam & compunctione, ut, nimirum,
suam quisque vitam ad eorum quæ
audit trutinam appendat, & conside-
ret, quàm ista longè sit diversa ab eo
quod auditur; & quanto à perfectio-
ne, quæ ibi traditur, adhuc distet in-
tervallo auditor.

4. *Tertium*, quo superius præcep-
tum magis confirmatur, est, ut sibi
quisq; persuadeat, exhortationes has
& colloquia ad eum finem non insti-
tui, ut nova quædam & extraordina-
ria in iis adferantur, verùm trita,
communia & ordinaria, in usus quo-
tidianos incidentia, in memoriam
nobis revocentur, & quidam in no-
bis erga eadem affectus excitetur.
Cum hac cogitatione ad eas nos con-
feramus oportet; ita namque, omni
curiositate seclusâ, majorem longè
ex iis fructum capiemus. Hanc ex-
3. p. constit. c. 1. §. 28. presè ob causam S P. N. has in So-
cietate conferentias & collationes
haberi voluit. In tertia quippe Con-
stitutionum suarum parte, post regu-
las Summario comprehensas ait: *Sit
aliquis qui singulis septimanis; vel singulis
saltem quindenis hæc similiave documē-
ta proponat, ne, quæ nostra naturæ fragili-
tas est, ea oblivioni tradantur, itaque eo-
rum usus & exercitium paulatim inter-
moriatur.* Ubi obiter R. P. Hierony- *Natalis in declarat. Constitut.*
mus Natalis in suis quas ad Consti-
tutiones concepit, declarationibus
annotat, tametsi constitutio disjun-
ctivè decernat, *singulis septimanis, vel
quindenis diebus*, communem tamen
Societatis consuetudinem tum obti-
nuisse, ut ad quindecim dies exhor-
tatio non differatur, sed hebdomada-
tim fiat. Societas itaque meliorem di-
stinctionis partem secuta est, & usur-
pavit. Nemo autem meliùs quàm
Natalis id scire potuit, utpote uni-
versæ propè Societatis Visitator, qui-
que universalem communemque
ejus consuetudinem optimè cogni-
tam habebat. Ordinantur itaque in-
stituunturque istiusmedi exhortatio-
ones, ut ante cognitorum memoria
hoc pacto nobis refricetur: quia e-
nim bonorum facilè obliviscimur,
hinc sæpè ea nobis inculcanda ac
identidem repetenda sunt.

5. Imò tametsi hæc altè, & velut re-
centia memoriæ inhærerent, ad ex-
citandum tamen voluntatis affectum
& desiderium, eadem nobis identi-
dem sunt inculcanda, nosque obliga-
tionis & professionis nostræ, atque
ad quid Religionem ingressi simus, ali-
quando commonendi. Verissima *August.*
quippe est illa S. Augustini sententia:
*Ubi prætervolat intellectus, sequitur tar-
dus vel nullus effectus.* Magis siquidem
voluntas nostra per peccatum de-
pravata & corrupta mansit, ad sequē-
dum bonum, quàm intellectus ad
illud

illud intelligendum. Idcirco eadem nobis sæpius inculcanda, atq; identidem repetenda sunt; uti fecisse constat Apostolum, qui sic Philippensibus scribit: *De cætero fratres mei, gaudete in Domino; eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.* Non deerant Apostolo nova quæ diceret, & novè exquisiteque ea dicere poteratis, qui ad tertium usque cœlum raptus erat: sed ad ea, quæ aliàs iis dixerat, repetenda iterumque dicenda; obligatum potiùs se sentiebat; quod id illis magis necessarium esset, quam nova quæ obruerent, audire. Hoc spectare scilicet debet is, tam qui exhortationes privatim, quàm qui conciones publicè habet, ne id tantùm dicat, ob quod auditoribus videndus ipse sit aut doctior, aut eruditior (hoc enim esset, seipsum prædicare) sed ea solùm quæ plus sint iis fructus & emolumenti allatura. Hoc si & ipsi auditores in audiendo persuadeant, tædiosum ipsis non erit audire & communia & nota, eo quòd illis se opus habere, sibique ea optimo animo dici videant, quoniam hæc, quæ pridem audierant, opere non fuerint executi aut saltem non ea qua deberent perfectione.

Phil. 3. 1.

5. *Quartò* multùm adjuvabit, si quod in exhortationibus dicetur, ita quisque accipiat, quasi sibi soli diceretur; nō verò quasi aliis dictum. Quare non sic ipsi exhortationes has audire assuescamus, uti mundani pleriq; cōciones. Benè, aliàs eximius, quidam ad auditores suos concionator dicebat, Quotquot me auditis, carissimi, estis ceu carptores & præsectores mensales: sicut enim eorum partes sunt, cibos aliis dispertiri, nihil sibi reservare; ita vos, dum dicentem me auditis, apud vos ipsos dicitis. *Quàm insigne & salutare istud punctum est pro Petro! Quàm aptè hoc Ioannem vellicat! ô si hic adesset vicinus meus, quam benè hoc in illum quadraret!* vobis ipsis verò nihil relinquitis. Connivas vos in hoc verbi Dei convivio esse volo, non sectores aut structores. Vnde verè Sapiens, *Verbum sapiens,* ait, *quodcunque audierit sciens, laudabit, & ad se adjiciet: audivit luxuriosus, & displicebit illi, & projiciet illud post dorsum suum.* Simus itaque de numero sapientum, & quisque quod dicitur, sibi dictum existimet, quasi sibi soli diceretur, & ipsum solum non alios concionator alloqueretur. Quod enim aliis benè convenire censes, meliùs forsan conveniet tibi: sed sæpè in oculo alterius videmus festucam, & quam in nostris habemus trabem, neutiquam. Certè, etsi in præsentiarum id in te non sentias, pro futuro tamen usu, cum id tibi necessarium erit (quod forsitan brevi futurum) illud reserva. Quare semper id, velut tibi, & tibi soli dictum admitte.

Eccl. 21. 18.

Matt. 7. 3.

6. *Quintum*, per quod magis, quæ dicta sunt hactenus, declarantur, est, ut omnes intelligant & præsupponant, id, quod in exhortationibus dicitur vel carpitur, non ideò dici vel carpi, quòd hoc illudve vitiū in præsens domi vigeat, sed tantùm ne unquam ibi inveniatur pedemve figat, præmoneri. Medicina enim, quæ morbum prævenit, & ab eo hominē

præ-

præservat, multò est melior, quàm quæ post morbum sanitatem affert. Atque hoc est, quod in exhortationibus his spectamus, juxta illud Sapientis consilium. *Adhibe medicinam ante languorem.* Antequam enim veniat ægritudo, amuletum & remedium, tum ad bonum exhortando, tum malum carpendo, applicamus: ne quis in id post incidat, quod malum esse & periculosum prænovit. Quocirca, insignis foret error, cogitare secum, *Hoc propter talem aut talem dictum est*; multò verò major, expressis verbis id ipsum proferre dicendo. Neque enim hæc eò dicuntur, ut quis in particulari perstringatur ac notetur: nec enim prudentiam id saperet, nec fructum ullum, sed ingens damnum afferret, quod qui faceret, næ is eum qui exhortationes habet, rei malæ & insimularet & condemnaret. Sed enim, etsi ab eo qui prædicat, vel exhortationem facit, hæc sit in vitiorum sugillatione circumspectio & cautio adhibenda, ne quem in particulari concionando palam perstringat; laudabile tamen inprimis & salutare est, audientem ita omnia accipere, perinde ac si propter se, & in sui solius gratiam, ea dicta essent: non quòd existimare debeat, concionatorē singillatim eum designare & exprimere voluisse: in hoc enim (uti diximus) malè faceret; sed unūquemq; ad seipsum reflectendo, & opera sua vitamque, ad eorum quæ dicuntur normam, metiendo, sic secum ratiocinari oportet: *Verè, quidquid ibi dicitur, de me solo dicitur, omnia in me quàm maximè quadrant, hoc mihi inprimis necessarium est; hoc Deus concionatori ad utilitatem & salutem meam inspiravit*, hac quippe ratione permultum ex concionibus fructus colligitur. Ita fecisse Samaritanam illam, cum Domini secum apud puteum ratiocinationem audisset, refert Evangelium: nam magna voce civibus suis inclamavit, *Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumq; feci.* Quando ergo concionator auditores suos de rebus ad animæ salutem spectantibus commonefacit; tunc benè concionatur: & conciones quæ tales sunt, verè placent, & fructum in ipsis creant.

Eccl. 18. 20.

Eccl. 21. 11.

Matt. 7. 1.

7. *Sextum*, noverimus oportet, verbum Dei quendam animæ cibum & nutrimentum esse, quare semper aliquid è singulis exhortationibus & cōcionibus eliciamus oportet, quod in corde nostro conservemus & custodiamus, ut id postea nobis, ad audita executioni mandanda vigorem & robur suppeditet. Vnde S. Greg. in illa Christi verba, *Quod autem in bonam terram, hi sunt qui in corde bono & optimo audientes verbū retinent, & fructū adferunt in patientia*, scribit: Quod sicuti rejectio cibi corporalis è stomacho & vomitus, signum est gravis periculosæq; infirmitatis: pari modo ejus, qui verbum Dei auditum corde non retinet, sed unâ id excipiens aure, per alteram effluere sinit, non rectus animæ status designatur. Propheta regius dicebat: *in corde meo abscondi eloquia tua* Domine, *ut non peccē tibi*, ut per ea ingruentibus resistam tentationibus, iisq; me ad perfectionem & virtutis exercitium animem.

Hom. 15. super Evangel. Luc. 8. 12

Ps. 118. 11.

Quoties contingit, ut quis in gravi tentatione positus, & jam casurus, sententiæ alicujus è sacra Scriptura depromptæ, aut alterius rei bonæ aliàs pro concione auditæ, in mentem revocatione seipsum excitet, corroboret, & non mediocre inde suo in discrimine auxilium sentiat? An non tribus è sacra Scriptura depromptis testimoniis, trinas cacodæmonis
Matt. 4. 3². tentationes, Christus Dominus ceu clypeo trilici, excepit, infregit, elisit?

8. Ex hactenus dictis ad liquidum patebit, quàm illi reprehensione digni sint, qui nonnisi pro forma & consuetudine exhortationes & conciones adeunt; vel dum iis intersunt, dormituriunt; vel (quod in idem recidit) distracti sunt, alia longè animo suo sponte volventes. In Evange-
Marc. 4. 15. Luc. 8. 12. lio legimus: *Venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant*, & ex auditis fructum capiant. Dæmones sunt ceu aves rapaces, semen omne & granum, quod seminatum est, devorantes, ne excrescat. Illud forsan verbum, quod amisisti cum vel dormisti, vel alia quapiam cogitatione distractus fuisti, permultum ad tuum profectum adferre momenti potuisset; & diabolus, qua tibi bonum tuum invidet invidia, omni qua potest ratione impedire satagit, ne istud in te fructum faciat.

9. D. Augustinus proinde verbum Domini comparat hamo, *qui tunc capit, quando capitur.* Vt enim piscis tunc capitur, cum hamum digluties capit; sic, quando tu verbum Dei benè capis, ab eo caperis & teneris. Hanc ob causam tantâ contentione & studio impedire cacodæmon conatur, ne tu illud capias, ne tu ab eo vicissim capiaris, eoque cor tuum inescatum adhærescat. Ea ergo Deo, qua oportet, nos dispositione ad exhortationes & conciones conferamus, & sic verbum Dei audiamus, ut in corde id nostro radices agat & fructificet. Secundum verò monitum illud Apostoli Iacobi, *Estote factores verbi, &* *Iac. 1. 22.*
non auditores tantùm, fallentes nosmetipsos, satis esse rati illud tantùm audire. *Quia si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo: consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit.* Hi propterea non justificabuntur, sed illi tantùm, qui ipsum opere præstabunt: *Non enim auditores legis justi* *Rom. 2. 13.*
sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.

10. In Prato spirituali (cujus libri *Pratum spirituale.*
autor est Ioannes Eviratus, vel secundùm alios S. Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, quique in secundo Niceno Concilio fuit approbatus) res memorabilis refertur, cujus & Theodoretus meminit. Cum sanctæ vitæ vir Eusebius unà cum Ammiano, insigni item sanctitate viro, Librum Evangeliorum legeret, & hæc, legente Ammiano, Eusebius exponeret; cum haud procul inde suam agricolæ quidam terram colerent, *De. 20.*
Eusebius, eos respecturus, alio mente distrahitur, nec ad lectionem Ammiani attenderet. Hic cum inter legendum in locum difficiliorem incidisset, cum sibi ab Eusebio petiit explicari,

plicari. Eusebius, quòd lectioni non attendisset, idem sibi secundò legi petiit. Ex quo facilè collegit Ammianus, alieno eum à lectione animo & mente fuisse, eumque reprehendens, ait, *Non miror equidem, te, quòd delectationem oculis aliquam è laborantibus rusticis caperes, non ita ut oportebat ad verba Evangelica attendisse.* Quam carpentis castigationem audiens Eusebius, ita confusus mansit, ut quoad viveret, omni prorsus oculos suos delectatione privarit, & non modò agro illo, sed & stellis cœli videndis interdixerit. Ex illa siquidem die angustam quandam semitam ingressus, humili se tugurio inclusit, è quo etiam nunquam, quoad vixit, egressus est, sed quadraginta, & eo amplius annis, donec vitam finiit, in hoc suo ergastulo perseveravit. Ut verò ad liberum voluntatis imperium etiam necessitas exterior in eo tugurio perpetuò manendi accederet, ferreum ad lumbos suos cingulum adstrinxit, aliud verò etiam multò ponderosius cervici circumposuit; his dein circulis catenam innexuit, hanc verò solo affixit, ut ita necessariò incurvatus manere cogeretur, nec liberè incedere, nec amplius agrum illum videre, imò ne in cœlum quidem oculos attollere posset. Hoc scilicet se ille Dei servus pacto ob parvam quãdam in advertentiam, & distractiunculam in verbi divini declaratione commissam, castigavit; idque ad probrum & confusionem nostram, qui multas, quas scienter admittimus, distractiones & negligentias, tam parum curamus.

TRACTATUS SECUNDUS.

DE OPERUM ORDINARIORUM PERFECTIONE.

CAPUT PRIMUM.

In eo profectus & perfectio nostra sita est, ut opera, quæ ordinariè & quotidie agimus, benè perfectéq; peragamus.

Deut. 16. 20. JUSTE *quod justum est persequeris.* Præcepit olim populo suo Deus: id est, quæ bona sunt & justa, benè, justè, & prout par est agito. Profectus quippe & perfectio nostra non in rerum actione consistit, sed ut benè ea agamus; uti nec in eo quòd Religiosus sis, sed ut bonus Religiosus. Unde benè Hieronymus ad Paulinum, qui Hieronymum eo nomine beatum prædicabat & magni faciebat, quòd in sanctis illis locis, in qui- *Ep. ad Paulinum de instit. monach.*

quibus redemptionis nostræ mysteria Redemptor Jesus est operatus, moraretur, scribens, ait, *Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis benevixisse, laudãdum est.* Quod adferri vulgò dictum solet, ut eo Religiosi moneantur, ne satis esse existiment, quòd in statu Religioso versentur: nam, uti vestis non facit monachum, ita nec locus, sed bona vita & sancta. In eo ergo res tota versatur, non, ut quis Religiosus sit, sed ut bonus; non in eo, ut Religionis quis exercitia obeat, sed ut benè & prout oportet; in eo, inquam, quod, referente Marco, de
Marc. 7. 37. Christo turbæ dicebant, *Benè omnia fecit.* In hoc *benè* omne nostrum bonum continetur.

2. Illud autem certum & indubitatum est, omne nostrum & bonum, & malum in eo esse, quòd opera nostra vel bona sint, vel mala. Qualia enim illa futura sunt, tales erimus & nos: illa clamant, & ostendunt, qualis nostrùm quisq; sit. Ex fructibus arbor cognoscitur. Nam *homo,* ut ait Augustinus, *arbor est, & opera arboris* fructus, *itaq; ex operum fructu quisq; cognoscitur.* Hanc ob causam Redemptor de hypocritis & pseudoprophetis illis spermologis ait, *A fructibus* operum *eorum cognoscetis eos.* E contrà de seipse loquitur: *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me,* &; *Si mihi non vultis credere, operibus credite,* illa quippe declarant quis sim. Nec verò solùm declarant opera, qualis quisque in hac vita sit, verùm etiam qualis in altera futurus. Tales namque in altero futuri sumus sæculo in perpetuũ, qualia in hoc opera nostra fuerint. Unumquemq; enim Dominus, prout utroque Testamento toties sacra Scriptura refert, secũdùm operas præmiaturus & remuneraturus est. Sic Psaltes, *Quia tu reddes unicuiq; juxta opera sua.* Et Apostolus, *Quæ seminaverit homo, hæc & metet, &c.*

De serm. Domini in monte li. 2. c. 36.
Mat. 7. 16
Ioan. 10. 25.
Ps. 61. 13. Mat. 16. 27. Rom. 2. 6. 1. Cor. 3. 8. Gal. 6. 8.

2. Ad particulatoria verò jam descendamus, videamusq; quænam illa sint opera, in quibus omne nostrum bonum, profectus & perfectio consistat. Nõ alia certè, quàm ordinaria, & quæ quotidie obimus, ut, videlicet orationẽ illam, quam quotidie peragimus, benè peragamus: Examina, quę indies facimus, benè faciamus; Missam benè, & debitè audiamus, vel dicamus; Horas & reliqua pietatis exercitia reverenter attentèq; recitemus, cõtinuò item nos in pœnitentia & mortificatione exerceamus; nostrũ deniq; officium, & ea quæ obedientia & Superiores injũxere, benè exequamur. In his inquam profectus & perfectio omnis nostra sita est: adeò ut si hæc benè perfectèq; pertractemus, perfecti; si malè & imperfectè, imperfecti futuri simus. Hæc itaq; differẽtia est inter bonum perfectumque Religiosum, & aliũ imperfectum & tepidum: non quòd ille plura vel alia agat quàm hic, sed quòd functiones suas majore obeat cum perfectione. Ille proinde bonus & perfectus Religiosus est, quòd illa benè & ritè obeat; hic verò imperfectus, quòd tepidè admodum languideque easdem præstet. Et quo ex his duobus plus quis habuerit, eo perfectior erit imperfectiorve.

3. Semen illud, quod in Evangelio seminator ille seminarat, etsi in se bonum esset, & in bonam terram jactũ; uno tamen loco fructum dedit trigesimum, alio sexagesimum, alio centesimum. Quo triplici fructus allati discrimine, triplicem denotari Deo servientium gradum sancti Patres volunt: Incipientium, Proficientium, Perfectorum. Omnes, quotquot sumus, unum idemque semen seminamus, qui eadem omnes opera exercemus, iisdem omnes regulis vivimus; idem omnes Orationis & Examinum conscientiæ habemus tempus, & ab exortu diei, ad vesperam, ex Superioris præscripto omnes occupati sumus. Verùm in his omnibus homo homini, vide, quid præstat? quantum inter hunc hominem & illum discrimẽ est! quanta inter hunc Religiosum & illũ distantia! Nam in uno hæc ipsa opera quæ seminat, fructũ afferunt centesimum quòd magno cũ spiritu & perfectione illa peragat; atque hic numerandus inter Perfectos: in alio verò afferunt quidem fructum, sed non ita uberem, nempe sexagesimum tantùm; utque hic est de Proficientiũ numero: in alio deniq; nõnisi tricesimũ faciunt; atque hic meritò inter incipiẽtes reputatur. Videat ergo quisq;, in quorũ ipse classe sit: consideret nũ ex illis, qui non nisi tricesimum fructum dant. Atque utinam nullus vestrûm etiam de illorum sit numero, quos Apostolus fidei fundamento nõ nisi lignum, fœnum, & paleas superædificare scribit, quæ ardeant in die Domini. Vide, ne tua vel è vana gloria, vel humano aliquo intuitu facias, ut nimirũ hominibus complaceas, & aliquo apud eos sis loco: hoc namque nihil est aliud, quàm lignũ, fœnum, paleas superædificare, ut minimùm in purgatorio arsura. Sed da operam, ut quæ agis, benè perfecteq; agas; quod si feceris, tunc sanè argentum, aurum, gemmasque pretiosas superædificabis.

Mat. 13. 8, & 23.
Ps. 61. 13. *Mat.* 16. 27. *Rom.* 2. 6. 1. *Cor.* 3. 8. *Gal.* 6. 8.
1. *Cor.* 3. 12.

4. Porrò ex ea, quæ sequitur, ratione, facile perspicietur, omnẽ nostrũ profectum & perfectionem in hoc uno consistere. Ea siquidem duabus in rebus consistit primò, ut agamus id quod Deus nos facere vult; deinde ut eo id agamus modo, quo id ipse fieri cupit; adeo ut nihil aliud extra hæc duo vel petendum vel desiderandũ videatur. Horum primum, ut, scilicet, faciamus ea quæ fieri à nobis Deus vult, jam, per Dei gratiam, in Religione habemus: atque hoc unum de maximis est bonis & consolationibus, quas sub obendientia vivẽtes habemus; esse nos, videlicet, certos, omne quod agimus, & in quo nos occupat obedientia, ipsum esse quod Deus à nobis exigit & requirit. Illud primũ velut principiũ & fundamentum est vitæ Religiosæ, ab ipso Evangelio communique Sanctorum doctrina traditum, sicut latiùs post ostendemus, ubi erit de obedientia loquendi locus. Scriptũ est enim, *Qui vos audit, me audit.* Superioribus obediẽdo, obedim⁹ Deo, ejusq; voluntatẽ facimus; hoc quippe est, quod tunc à nobis fieri Deus postulat. Solũ ergo superest implendũ à nobis secũdũ, ut eo res modo fiant, quo Deus illas fieri desiderat, *benè*, inquam, & cum magna perfectione; hoc namq; modo

3. *p. tract.* 1. *c.* 10. & 12.
Luc. 10. 16.

modo is illas à nobis fieri & peragi cupit. Atque illud est, de quo jam agimus.

NB Chron. Cisterc. 5. S. Bernardus unà cum fratribus suis (ut refertur in Chronicis Cisterciensibus) matutinum officium decantans, multos hinc inde conspexit Angelos, sedulò observantes, & scripto annotantes, quid ac quomodo in choro monachi agerent: vidit autem nonnullorum opera colore aureo, aliorum argenteo, aliorum atramento, aliorum denique aqua dilutâ describi, pro varia cujusque attentione ac spiritu, quo cum aut orabat, aut cantabat; aliorum verò penitus non describi: quia tametsi præsentes quidem ibi corpore interessent, animo tamen & cogitatione procul inde distabant, erantque in res impertinentes distracti. Maximè verò, dum *Te Deum laudamus* cantaretur, eosdem Angelos solicitè obeuntes discurrentesque per singula loca conspexit, ut saltem hymnum illũ devotè & attentè præsentes cantarent, & ex aliquorum, ipsum exordientium, ore, quasdam velut flammas erupisse vir Sanctus conspexit. Videat igitur quisque, qualis & cujusmodi sua sit oratio, num auro, atramento, vel colore aqueo notari digna sit, vel penitus quæ annotetur, indigna videatur. Vide quoque tu, an, dum orationem fundis, igneæ à corde & ore tuo scintillæ prorumpant, an verò oscitationes & dormitantium pandiculationes. Vide etiam, num ibi solùm præsens sis corpore, animo verò in studiis, officio, vel negotiis externis, aliisve rebus impertinētibus verseris & peregrineris.

CAPUT II.

Cumprimis nos ad perfectioni incumbendum animare debet, quòd eam Deus in re admodum facili constituerit.

1. REv. P. Hieronymus Natalis, illustre Societatis nostræ, ob insignem doctrinam & virtutes columen, quando Hispanienses provincias primùm visitatum venit, inter alia plurima salubriter præscripta, decrevit, ut hæc veritas & doctrina identidem Sociis inculcaretur, nempe, *omnem nostri in spiritu profectus & perfectionis cardinem in eo potissimum verti, ut particularia, ordinaria, & quotidie à nobis fieri solita opera, benè ritèq; peragantur.* Adeò ut profectus, & vitæ in melius emendatio, non in eo sita sit, ut opera quædam extraordinaria supererogatoriè assumantur, aliave sublimia altaque officia agantur; sed in eo ut ordinaria Religionis opera, & illa quæ nobis Superior concredidit officia, etsi omnium ea sint infima & contemptissima, perfectè debitoq; modo obeantur. Hoc enim esse, quod à nobis Deus exigit. Quocirca in hoc maximè & oculos & animum intendere debemus, si & illi placere, & perfectionem assequi velimus. Consideremus ergo, & notemus hîc, quàm sanè tenui dispendio perfecti esse valeamus, cùm solùm quotidianis operibus, nulla alia extra ordinem addendo, perfecti esse possimus. Deut. 11.

2. Hoc certè est quod maximæ omnibus consolationi esse decet, & nemi-

neminem non ad sectandam perfectionem maximoperè exstimulare debet. Si enim exquisita aliqua & extraordinaria opera, si mentis excessus, si raptus & contemplationes admodum sublimes, ut perfectus dicaris, à te exigerimus, haberes, quo te excusares, ac diceres: ad tam sublime negotium te evolare nec posse, nec audere. Aut si peteremus, ut quotidiè ad sanguinem usque te cæderes, ut quotidie in pane & aqua jejunares, ut nudipes incederes, perpetuò cilicium gestares; jure obtenderes, pares ad hæc tibi corporis vires non suppetere. At nihil horum à te exigimus, nec in hoc tua perfectio est posita; sed tantùm, *ut quod agis, benè perfecteq́ agas.* Per eadem ergo quæ agis, modò velis perfectus esse potes: Omnis jam impensa facta est; aliud ut præterea adjungas non est necesse. Quis igitur ad perfectionem animum non applicet, viso eam ita facilem & obviam, & veluti in manibus esse, inque re tam facili & expedita consistere? volens Deus, populum suum ad sui obsequium, & legis observantiam animare, his verbis eum alloquitur.
Deut. 30. 11. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, nec procul positũ, nec in cœlo situm, ut possis dicere, Quis nostrûm valet ad cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atque opere compleamus? nec trans mare positũ, ut causeris & dicas, Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos usq́ deferre, ut possimus audire & facere quod præceptum est? Sed juxta te est sermo valdè in ore tuo, & in corde tuo ut facias illum.* Idem omnino de perfectione, de qua in præsenti tractamus, dicere possumus.

3. Hoc quoque suos argumento & ratione ad perfectionem animabat B. Antonius: *Græci,* inquit, *Philosophiam & reliquas scientias comparaturi, longa suscipiunt itinera, vasta trajiciunt maria, maximis se idcirco laboribus, & vitam periculis objectantes:* nos verò quò virtutem & perfectionem (quæ vera & genuina sapientia est) adipiscamur, nulla necesse est pericula adire, nullos labores subire, ne quidem domo pedem efferre, quia domi, quin imò intra nos ipsos illam repetamus. *Regnum Dei intra vos est.* In Luc. 7. 21. rebus enim illis ordinariis & quotidianis, quas agitis, perfectio vestra versatur.

4. Solent ut plurimùm in spiritualibus conferentiis (potissimùm, instante tempore devotioni magis colendæ dedicato. v.g. Quadragesima, Adventu, Pentecoste, vel ipsa votorum renovatione) peti, quanam maximè ratione nos ad hanc renovationem, ad hanc Quadragesimam, ad Spiritum Sanctum recipiendum, aut puerum Jesum recèns natum intra nos recondendum simus dispposituri & præparaturi. Multa tunc à variis media & dispositiones suggeri videbitis, & eas quidem bonas omnes; at optima ratio, cui insistere nos oportet, est hæc ipsa, de qua tractamus; In operibus, scilicet, nostris ordinariis, nos perficere. Aufer ergo & exue imperfectiones, quas in rebus hisce communibus & quotidianis committis, easque quotidie meliùs, perfectiùs, & minùs defectuosè agere

ſtude, atque hæc bona erit, ad quidquid agere volueris, præparatio, vel omnium forſan optima. In hoc ergo potiſſimum oculos intende, reliqua autem omnia media & conſiderationes ad unum iſtud referantur.

Caput III.

Qua in re operum noſtrorum bonitas ac perfectio conſiſtat; & aliquot proponuntur media ad eadē ritè peragenda.

1. Verùm videamus jam, in quo hæc actionum, atque operū bonitas ſita ſit, ut deinde ad media veniamus, quæ nobis ad eadem benè agenda conferent. Paucis dico, in duobus eam conſiſtere. *Primùm*, ut purè ea propter Deum agamus. Rogat S. Ambroſius, quanam de cauſa, in ipſa mundi creatione, Deus ſtatim acres corporales & animalia creaſſet, ea omnia laudando approbârit. Mox enim ut plantas & arbores condidit, ſubjunxit, *Et vidit Deus quòd eſſet bonum*: quin & auribus, & piſcibus, & ſtellis, & ſole & luna creatis, quamprimùm ſubdidit, *Et vidit Deus quod eſſet bonum*. Omnia quidem hæc, mox ut perfecta, & in mundum producta ſunt, Deus laudavit; homo verò conditus cùm eſſet, ſolus illaudatus præteritus videtur: non enim de eo ſtatim dicitur, uti de rebus cæteris, *Et vidit Deus quòd eſſet bonum*. Quid hoc myſterii eſt; quænam rei hujus ratio? S. Ambroſius tibi dicet: Quia omnis reliquarum rerum corporalium & animalium pulchritudo & bonitas in naturali eorum, quam jam habebant viſenſibili conſiſtit, nec ulterior alia in ipſis perfectio invenietur, quàm quę oculis humanis videtur; ideò mox à ſui creatione laudantur tanquam jā conſummata. Hominis verò bonitas & perfectio non in exteriore illa & apparente ſpecie ſita eſt, ſed in interiore, quæ introrſum latet abſcondita. *Omnis gloria* ac decor hominis, qui eſt *filius Regis* (Dei) *ab intus* eſt: atque intrinſecum hoc eſt, quod oculis divinis perplacet. *Homo enim*, ait Samueli Deus, *videt ea quæ parent*, atque ea illi placent aut diſplicent: *Dominus autem intuetur cor*, ejusque intima, finem quoque & intentionem, qua quiſque ſua opera peragit. Atque ideo hominem ſimulatque creavit, nō laudavit, uti reliquas creaturas dum conderentur. Intentio namque bonitatis & perfectionis omnium operum noſtrorum radix eſt & fundamentum. Et ut lapides impoliti in fundamentum conjecti, etſi non appareant, univerſam ædificii molem ſuſtentant: ita & opus intentio.

Lib. Inſtit. virgin. ad Euſeb. c. 3

Gen. 1. 10. 12. 15. 21. 25.

Pſa. 44. 14.

1. Reg. 16. 7.

2. *Alterum*, quod ad operum perfectionem requiritur, eſt, ut quantum eſt ex parte noſtra, omni conatu connitamur, ut bene fiant. Neque enim ſufficit, bonam tuam intentionem eſſe: teque dicere, propter Deum hæc à te fieri. ſed neceſſarium inſuper eſt, ut ea quàm potes optimè facere contendas, quo per ea magis placeas Deo.

Tract. 3. c. 1.

3. Hoc igitur *primum* eſto ad opera tua benè agenda, medium, ſcilicet ea purè propter Deum agere. Id enim benè, & meliori quo poſſumus modo nos ea agere faciet, nimirum *ut hoc*

Primum medium opera noſtra perficiendi. Intentio pura.

hoc pacto per ea Deo magis placeamus; etsi alioquin nec Superiores, nec alii homines nos videant; ita denique, ut ea purè propter Deum fiant. Petebat aliquando S. P. N. Ignatius è fratre quodam suis in rebus aliquantulum segni & negligente: *Frater, propter quē hoc facis?* qui respondit: *Propter amorē Dei*: tum Sanctus Pater: *Equidem promitto, si posthac ita tuo fungi officio perrexeris, egregiè te à me mulctandum: si enim propter homines id ageres, non adeò gravis tua foret negligentia: at cùm id propter tam potentem & magnum Dominum agas, insigne piaculum est, ita tepidè te gerere.*

Secundū medium. Memoria præsentiæ Dei. 4. *Secundum* medium ad hoc, à Sanctis dari solitum, ceu maximè efficax, est, in Dei præsentia jugiter ambulare. Certè Seneca dicebat, hominem virtutis studiosum, sua quæritè agere volentem, debere sibi persuadere, coram venerabili aliquo magnæque auctoritatis viro se versari; proinde ita sua omnia & facere, & dicere debere, uti ea faceret & diceret, si verè ab eo conspiceretur. *Sic vive*, inquit, *tamquam sub alicuius boni viri ac semper præsentis oculis.* (Senec. Epist. 25.) Quòd si hoc ille ad sua bene agenda, satis esse putavit; quanto efficacius ad hoc medium futurum est, in Dei præsentia semper ambulare, semper eum sibi præsentem fingere, imaginando nos ab eo desuper videri? præsertim cùm id non nuda quædam sit maginatio (uti illa Senecæ) sed verè ac re ipsa ita fieri certum sit. Sicut multis in locis id Scriptura nobis indicat, *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* (Eccl. 23. 28. Iob. 34. 21. & c. 31 4. Prov. 5. 21 2. Par. 16. 9.)

5. Sed de hoc exercitio præsentiæ Dei postea peculiari in tractatu loquemur, (Tract. 6.) dicemusque quàm id excellens & utile sit, quanti à Sanctis omnibus habitum, & quantoperè commendatum. In præsens, illud tantùm, quoad materiam nostram, inde mutuabimur, quanti vel ex hac consideratione sit momēti, ordinaria nostra opera benè, & prout cōvenit, obire. Tanti verò id momenti est, ut (sicut eo loco ostendemus) ipsa Dei præsentiæ imaginatio non ad id solū sit fingenda, ut in ea nos detineamus ac sistamus, sed potiùs ut stimulus nobis illa sit ad actiones nostras benè faciendas: adeò ut, si propter intentissimam illam Dei præsentiæ imaginationem, opera nostra negligenter obiremus, & aliquos in iis errores committeremus, non modò non bona, ea futura sit devotio, sed quædam potiùs illusio. Addunt præterea nonnulli, ac docent non aliam Dei præsentiam nos habere debere, nec aliam à sacra Scriptura & Sanctis omnibus tantoperè nobis commendari: quàm ut taliter & tam benè nostra opera peragere satagamus, ut coram oculis Dei illa comparere queant, nihilque in iis appareat, oculis & præsentia ejus indignum: denique velut facta ab eo, qui jugiter eum præ oculis habet. Atque hoc insinuare nobis Johannes in Apocalypsi sua voluisse videtur: (Apoc. 4. 8) sanctorum enim animalium illorum, quæ coram Dei throno stantia & ad ejus mandata excipienda promptissima

ſima conſpexit, proprietates deſcribens, ea intus & foris & in circuitu oculis plena ait fuiſſe; oculos quippe habuiſſe in pedibus, in manibus, in auribus, in labris, oculos denique in oculis. Ut hinc diſceremus, eos, qui Deo perfectè ſervire, ejusque præſentia digni eſſe velint, accuratiſſimè ſpectare & cavere debere, ne quid Dei præſentia indignum committant. Debes, inquam, oculatus eſſe, & oculis plenus intus ac foris, ut videas ſcilicet quomodo opereris, ambules, loquaris, audias, videas, cogites, velis, & deſideres: ut in omnibus rebus tuis nulla ſit, quæ Dei, ante cujus conſpectum verſaris, oculis diſpliceat.

Eccl. 44. 16. Hebr. 11. 5. 6. Eſt hæc optima, in Dei præſentia ambulandi ratio: hinc Eccleſiaſticus, & Apoſtolus, loco ejus quod in Geneſi de Enoch legitur, *Ambulavitque cum Deo* (quod idem eſt, ac *coràm Deo*) *& non apparuit, quia tulit eum Dominus*; dicunt, *Enoch placuit Deo, & translatus eſt in pardiſum*. Ut diſcamus idem eſſe cum Deo, ac coràm Deo ſemper ambulare, & Deo placere, unum per aliud declaretur. In Exodo legitur, Jethro ad generum ſuum Moſen veniente, Aaron & omnes Principes Iſrael conveniſſe, *ut comederent panem cum eo coram Deo*: quod Auguſtinus & Origines ſic volunt intelligi, non quaſi convenerint ut coram tabernaculo vel arca comederent, quia nondum id erectum erat; ſed quòd ad tanta cum pietate, ſanctimonia, & modeſta religioſaque morum compoſitione comedendum & bibendum ac ſe recreandum convenerint, qualis deceret eum qui in Dei conſpectu epularetur; ſedulò cavendo, ne quid eo in epulo eſſet, quod divinos ejus oculos offenderet. Hoc ſcilicet modo juſti & perfecti, in omnibus rebus ſuis, etiam indifferentibus, & ad vitam humanam neceſſariis, coram Deo ambulant. *Juſti*, Pſ. 67. 4. ait Propheta, *epulentur & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia*; ſed coram Deo, ita inquam, ut omnia coram oculis Dei apparere tutò poſſint, nihilque ſit in illis, quod præſentia divina ſit indignum.

Gen. 5. 24. Exod. 18. 12.

7. Hoc item modo compleri multi Sancti dicunt id, quod Christus Redemptor in Evangelio jubet, *Oportet ſemper orare, & non deficere*; & Luc. 18. 1. illud Pauli ad Theſſalonicenſes, *ſine* 1. Theſſ. 5. 17. *intermiſſione orate*: ajunt enim eum ſemper orare, qui ſemper benè laborat. Ita id docet S. Auguſtinus, ſuper illa Pſalmographi verba: *Tota die laudem tuam, Vis*; inquit, *optimum quoddam Dei tota die laudandi medium? En*; *quidquid egeris, bene age, & laudaſti Deum tota die*. Idem dicit S. Hilarius, *Per hoc enim efficitur, ut ſine intermiſſione oremus, cùm per opera Deo placita, & in gloriam ejus ſemper exercita, ſancti cujusque viri vita omnis oratio ſit; ac ſic ſecundùm legem nocte dieq; vivendo, vita ipſa nocturna legis erit & diurna meditatio*. Et S. Hier. ſuper illum Pſalmi verſum, *Laudate eũ Sol & Luna, laudate eũ* Pſ. 148. 3. *omnes ſtellæ & lumen*; interrogat quomodo Sol, Luna, lumẽ & ſtellæ Deum laudẽt? Et ait, *in eo quòd à ſuo officio & ſervitio nõ recedũt*, ſed optimè illo fũguntur, & agunt id propter q̃ creata ſunt; ac p̃inde *ſervitiũ ipſorũ laus Dei eſt*

Super Pſal. 34. concione 2. in fine. Pſ. 34. 28 In Pſal. 1. ſuper illud; Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Adeò

Adeò ut quicunque benè officio suo fungitur, qui quotidiana & ordinaria Religionis opera ritè exequitur, is Deum semper laudet, & semper in oratione versetur. Confirmare id possumus illo Sapientis loco: *Qui conservat, ait, legem, multiplicat* * *orationem; sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate.* Hinc igitur facilè patebit, quanti æstimandum, quantæque perfectionis sit, ordinaria quæ facimus opera, benè facere, cum id quodammodo sit orationem & oblationem multiplicare, jugiter orationi intendere, & in præsentia Dei assiduò versari. Atque hoc inprimis salutare sacrificium, Deoque longè gratissimum est.

Eccl. 35. 1.

* *Vulgata legit oblationem.*

Caput IV.

Aliud benè opera nostra peragendi medium proponitur; ita scilicet illa peragere, ac si aliud præter ea, nobis peragendum non esset.

Tertium medium; Præsens opus solum curare.

1. Tertium benè debitoque modo sua agendi medium est, ita singula sua peragere, perinde ac si nihil aliud nobis agendum esset: ita, inquam, orationem nostram peragere, Missam celebrare, Rosarium & Horas recitare, tamquam si aliud præter hoc agendum non incumberet, & ita de reliquis actionibus singillatim. Quis nos premit? quis instat? Videamus itaque ne quam in operibus nostris confusionem admittamus, neve una res aliam impediat; sed in illâ oculos semper defigamus, quam præ manibus habemus. Verbi gratia, in oratione non cogitemus de studiis, officio, aut rebus agendis: ad aliud quippe hæc cogitatio non refertur, quàm ut orationem illam impediat, & nec illa, nec cætera benè fiant; cum reliquus dies totus officio, studiis, & ministeriis exequendis sit dedicatus. *Omnia, quippe tempus habent;* suum rei cuique tempus demus. *Sufficit diei malitia sua* & labor.

Eccl. 3. 1.

Matt. 6. 34.

2. Hoc porrò medium adeò consentaneum est & rationi conforme, ut etiam Ethnici fidei lumine carentes, ipsum olim docuerint, quo majori reverentia & veneratione cum iis ageretur Diis, quos ipsi ut numina venerabantur. Inde ortum habet vetus illud dictum, *Adoraturi sedeant;* id est, qui cum Diis agere voluerint, id faciant sedendo, id est, cum attentione, & in quiete; non verò leviter, cursim, saltim, perfunctoriè, & negligenter. Plutarchus de honore loquens & reverentia, qua sui ævi sacrificuli ad Deorum aras & simulacra iis litaturi accederent, toto sacrificii tempore adstare solitum ait præconem, qui alta voce eos commoneret, *Hoc age, quod agis;* id est, in hoc quod agis, mente animoque intende, noli aliò sensibus divagari, & ad id unum quod præ manibus habes opus, attende. Hoc igitur medium est, quod hoc loco præscribimus, ut nimirum in eo quod agimus, toti esse procuremus; illud exactè, ex animo, serioque exequi studendo; demum ita unumquodque opus agamus, ac si aliud nihil quod ageremus, superesset. *Hoc age quod agis*, in eo totus esto; id

Paul. Manut. in adag. 1. artic.

est, toto animo, cura, diligentia ad id quod præ manibus habes attende, reliquis omnibus tunc procul amandatis: itaque fiet ut bene omnia tua agas. *Quod nunc instat agamus.* Philosophus quidam probaturus nos ad id solùm quod præsens est intendere, nullatenus verò de præteritis aut futuris laborare debere; hanc sui dicti rationem adferebat, quòd præsentia solùm in nostra essent manu, præteritum verò & futurum minime; illud enim jam abiit, ac proinde non ampliùs in nostra est potestate; hoc an venturum sit, ignoramus.

Aristipp. apud Aelian. lib. 14. var. histor.

3. Vtinam à nobis id ipsi impetrare possimus; utinam ita nostri, & cogitationum imaginatiumque nostrarum simus domini, ut de nulla re alia, nisi quam in præsens tractamus, cogitaremus! Verùm tanta hinc & cordis nostri instabilitas; tanta illinc dæmonis tentantis malitia & versutia, ut illa ipse, ceu instrumento, usus, nobis rerum post agendarum cogitationes & curam ingerat, ut sic impediat & interturbet, quod in præsens agimus. Est hæc solita & ordinaria adversatio nostro, nobisque omnibus in primis noxia & damnosa tentatio: id quippe per eam spectat, ut nullum prorsus opus bene debitoque modo agamus. Idcircò tempore orationis, tibi cogitationes de rebus agendis, muniis, officioque injicit, imaginationique alterius cujuspiam non bene agendæ modos & rationes suggerit; ut, nimirum, orationem, quam tunc obis, minùs bene facias; ejusque loco mille tibi modos, ad rem illã aliã postea benè peragendam repræsentare allaborat, quia scilicet eam modo non facis: ac postea, cum ea agenda jam erit, tibi rursus alius quid suggeret, ut nec illam facias benè. Itaque nos in omni re decipit, ut nihil omnino tandem à nobis benè fiat. Quapropter (*Non enim ignoramus cogitationes ejus*, imò eas penitus perspectas habemus) futurorum & post agendorum cogitationem abjice, deque illis laborare & cogitare jam noli; etsi enim cæteroqui bona ea sint in futurum, non tamen in præsens consultum est de eis cogitare.

4 Quando autem isti tentationi subreptitius hic prætextus accesserit, fore nimirum, ut tibi post fortassis non occurrat id, quod jam menti tuæ se offert; vel ex hoc uno colliges, hanc à Deo cogitationem non esse, sed meram Diaboli tentationem. *Deus enim non est amicus confusionis, sed pacis, quietis & boni ordinis; proinde qui tibi quietem, pacem, & ordinem rerum surripit, non Deus est, sed Diabolus; confusionis, inquietudinis & turbationis amicus. Hunc itaque turbatorem à te repelle, & confide, Deum, si agas quod debes, suo tibi tempore daturum omne id quod tibi conveniet, & quidem abundantiùs & copiosiùs.* Vnde quamvis tibi spiritualium exercitiorum tempore, bona quædam ratio, scitum punctum, aut subtile quoddam argumentum, alteriusve solutio occurrat; noli hoc tunc multum curare; sed à te repelle, tibique persuade, nihil te propterea quòd animo id exturbes, amissurum;

surum; potiùs, majus quid postea & subtilius suggerendum. Scitè huc facit istud documentum S. Bonaventuræ, *Scientia quæ pro virtute despicitur, per virtutem postmodum meliùs invenitur.* Et, R.P.M. Avilæ, *Quando mentem rei alicujus cura importuno tempore occuparit, dicito: Nihil tale mihi nunc Dominus meus imperat, ac propterea de ea cogitare opus non habeo, ac cum id mihi Dominus meus injunxerit, tunc de illo tractabo.*

In specul. discipl. p. 2. c. 7. *Tom. 3. Epist.* NB

CAPUT V.

Alius modus præscribitur; ita, nimirum, unumquodque opus obire, ac si id ultimum opus nostrum esset futurum.

Quartũ medium Quodvis opus credere ultimum fore.

1. QVartum medium, quod sancti Patres ad opera benè agenda suggerunt, est, unumquodque eorum ita peragere, tanquam si id ultimum & supremum totius nostræ vitæ foret. Suggerit id S. Bernardus, dum Religiosis bene exactèque operum suorum agendorum formulam præscribit; *In omni opere*, inquit, *suo dicat sibi ipsi, si modo moriturus esses, faceres istud?* hoccine modo faceres? S. Basilius verò, *semper*, inquit, *ante oculos tuos versetur ultimus dies, cum enim diluculo surrexeris, ad vesperam te ambiguas pervenire; & cum in lectulum ad quiescendum membra tua posueris, noli confidere de lucis adventu, ut faciliùs te possis refrenare ab omnibus vitiis*; multi namque subitò & ex improviso moriuntur. Est hoc efficax medium ad opera nostra bene perfecteque agenda. Vnde legimus & S. Antonium sæpius hoc discipulis suis præceptum inculcasse, ut hoc pacto eos ad virtutem, & ad bene sua peragenda animaret. Hinc & alius canebat,

In speculo monach. *Instruct. ad fil. spirit.*

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum. *Horat. l. 1 Epist. 4.*

Si ita singula nostra ageremus, quasi statim nobis esset moriendum, nec posthac ampliùs liceret operari, longè profectò aliter, majorique perfectione eadem facturi essemus. Quàm enim devotam celebrarem Missam, si scirem certò, illam postremum opus fore, quod in vita essem acturus, nec posthac mihi tempus ullum operandi & promerendi futurum. Quàm seriò attenteque orarem, si nossem hanc ultimam orationem fore, nec exinceps me tempus veniam de peccatis & misericordiam postulandi habiturum. Hac de causa communi proverbio dicitur, *Si non potes orare, ito ad mare*: cum enim mors præsens oculis obversatur, aliter longe & ferventiùs oratio instituitur.

2. Sacerdos quidam Religiosus vitæ sanctimonia singulari, sua quotidie confiteri peccata solebat, ut purgatione hac præmissa, sacro celebrando se disponeret. Hic cum tandem in gravem ægritudinem incidisset, eamque lethalem esse Superior vidisset, monetur ab eo, ut, quoniam pessime jam affectatus esset, peccatorum confessionem ita perageret, quasi brevi moriturus. Hoc audito, æger, manibus in cœlum sublatis, *Benedictus*, inquit, *sit Deus*; *jam triginta & amplius anni sunt*, *Pater*, *ex quo sic mea quotidie peccata sum confessus*,

fessus, ac si statim mihi è vita esset discedendum: quare aliud me facere opus jam non erit, quàm ita me reconciliare ac disponere, tanquam si sacrum essem pro more celebraturus. Laudabiliter haud dubiè Religiosus ille faciebat: nostrum porrò est, ipsius vestigiis insistere, ita, inquam, singulis vicibus confessionem instituere, & sacratissimas Eucharistiæ epulas adire, ac si de vita tunc decessuri essemus; eoque pacto etiam reliqua opera nostra obire. Sic fiet', ut in hora mortis necesse futurum non sit nobis dicere, *ut ultimam & decretoriam confessionem instituamus*; sed tantùm reconciliationem quamdam faciamus, qualis ad Ven. Altaris Sacramentum sumendum est necessaria. Sanè, si hoc modo procederemus, semper mors nos optimè dispositos & paratos inveniret, neque improvisò unquam obrueret. Hæc optima est ad non subitò & inexspectato moriendum præparans & disponens oratio ac devotio. Nam, uti Christus Dominus asseverat, *Beatus*
Matt. 24. 46. *ille servus est quem cùm venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem.* Talem vitam ducebat S. Iob, qui de se confite-
Iob. 14. 14. tur, *Cunctis diebus quibus nunc milito, exspecto donec veniat immutatio mea*, & quotidie mihi persuadeo, diem hunc mihi ultimum illuxisse: *Vocabis me, & ego respondebo tibi*, id est, quo me cumque die vocare dignatus fueris, paratum me & dispositum, ad tibi respondendum, & vocationi tuæ omni momento & hora, qua me appellare volueris, attendendum invenies.

3. Porro unum è certissimis signis, quibus cognoscimus utrùm rationes nostræ cum Deo rectè consistant, est, *si semper paratus & dispositus sis*, ad Deo, quocumque is tempore, & quocumque in opere vocare voluerit prædicto modo respondendum. Non loquor hîc de infallibili quadam signi certitudine (talem enim in hac vita, sine singulari Dei revelatione, habere non possumus, uti Concilium Trid. declaravit) sed tantùm de probabilibus & moralibus conjecturis, quales in vita sua homo Doctorum consensu habere potest. Inter quas certa, evidens, & maximè principalis est illa; si contentus sis, ut hoc spatio temporis, hac in dispositione, isthoc in opere quod facis, mors te opprimat.

4. Vide proinde, num ad instar Iobi, dispositus sis ad Deo, si hoc in momento te vocaret, respondendum, Ad hunc lapidem Lydium te frequenter explora & examina, atque his verbis ex te sciscitare: *Si jam mors te opprimeret, num illam latè exciperes?* Quando igitur circa hoc me examinans & interrogans, comperio gratũ mihi & amicum casum fore, si me Ecclesiæ Catholicæ fidei professorem, hoc instanti, & isthoc in opere mors subitò occuparet; sanè rectè mihi ambulare videbor, & non mediocriter hoc ipsum me recreabit ac delectabit. At dum comperio, nolle me, ut mors me hoc in opere, negotio, dispositione, & occupatione distentum invaderet; sed paulululum adhuc vellem exspectarij, donec ea quæ mente agito, & molior, meque distrahunt, absolvam; non est hoc bonum & benè dispositæ mentis argumentum; sed

ſed potius evidens indicium, de meo in virtutibus profectu eatenus remiſſius me ſolicitum fuiſſe, nec uti bonum Religioſum decet devixiſſe. Nam, ut ait Thomas à Kempis, *Si bonam haberes conſcientiam, non multùm timeres mortem*: at quia tantopere eam metuis ob hæc & illa adhuc aliter, quam agis, expedienda, id verò ſignum eſt, conſcientiam tuam rei alicujus te arguere, & ad rationem Deo reddendam te indiſpoſitum eſſe, *ſatius eſſet peccatum timeres, quàm mortem*. Oeconomus, qui rationes ſuas benè compoſuit, adeò non timet rationem dati & accepti à ſe exigendam, ut etiam hoc optet, velit & ſupplicãdo inſtet. Contra, cujus rationes turbatæ ſunt, nec ſatis ſibi conſtant, is metuit, & ſi quando eæ à ſe exigendæ ſunt, ſe quoad poteſt, ab iis reddendis excuſat, & procraſtinationem efflagitat.

Lib. 4. c. 5. vitæ. 5. B. P. N. Franciſcus Borgia, bonũ Religioſi exercitium id fore dicebat, quater & vicies per diem in moriẽdi, neceſſitate bene apprehenſa ſe conſtituere ac tum demũ benè cũ illo agendum, quando quotidie cum Apoſtolo dicere poterit, *Quotidie* (& conſequenter etiam hodie) *morior*. Quocirca unusquiſque à ſemetipſo rationes repoſcat, ac frequenter ſe in hoc puncto examinet; & ſi videat, minimè ſe ad mortem uti dixi diſpoſitum eſſe, & nolle ab eadem in tali articulo occupari; ille in bono ſtatu, ad conflictum illum ineundum, & aleam illam ſubeundam ſe ponere ſatagat, neque fingat ſe à Domino petere, ut aliquot vitam ſuam diebus ad hoc proroget; ipſum verò hos ſibi concedere. Sed tempus illud quod nunc eſt datum utiliter expendat & quamdiu id durat, ita vivere allaboret, ac ſi ſibi ſtatim eſſet moriendum. Beatus ille, qui taliter vitam inſtituit, qualis ipſe in mortis hora volet inveniri.

1. Cor. 15. 31.

6. Eſt hoc inter alia, quæ proximis proponere pro concione ſolemus, utiliſſimum, ut videlicet tali vitam modo inſtituant, quales in hora mortis ſuæ cupiunt inveniri, nec ſuam in futurum converſionem & pœnitentiam differant. Nam, ut ait venerabilis ille vir, *Dies craſtina planè incerta eſt; & unde ſcis te ad craſtinum eſſe perventurum?* Et Magnus Gregorius: *Qui pœnitentibus veniam ſpopondit, peccantibus craſtinã diem non promiſit*. Dicere vulgò homines ſolent, & rectè quidem, morte nihil eſſe certius, at ejusdem hora nihil incertius. Plus etiam dicit Redemptor Ieſus in Evangelio: *Et vos eſtote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet*. Quo loco etſi principaliter intento ſenſu de die judicii, etiam de Ieroſolymæ everſione loquatur, nihil tamen obſtat, quo minus etiam de mortis, cuique homini ſubeundæ hora hæc verba intelligamus: in ea ſiquidem particulare de unoquoque noſtrum judicium peragetur; quæque in illo feretur ſententia, in univerſali non retractabitur, ſed tantùm confirmabitur; & dies mortis cuique proprius, analogiam magnam habet cum Ieroſolymorum everſione. Dicit igitur Chriſtus, horam illam non modo incertam eſſe, & te neſcire quando

Thom. à Kempis.

Hom. 12. in Evangel.

Luc. 12. 40.

quando ventura sit; sed etiam quo non putabis momento adfuturam; & fortè tum, cum minùs de ea eris sollicitus, ut in somno, vel longè alia cogitabis, ut si opus aliquod agens repente concidas. Atque eum in sensum scribit Apostolus, (*Theß. 5. 2*) *Sicut fur in nocte, ita veniet.* Et in Apocalypsi sua (*Apoc. c. 3. 3.*) Ioannes: *Veniam ad te tamquam fur, & nescis qua hora veniam ad te.* Fur, ut veniat, eam exspectat horam, qua domestici minùs de ejus adventu cogitant, ut si domo egressi sint, vel etiam altùm dormiant, quare hac ipsa comparatione docet nos Christus, quomodo cautè nos geramus, ne nos ex improviso & incautos mors opprimat. (*Luc. 12. 39.*) *Hoc autem,* inquit, *scitote, quoniam, si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam;* ac quia horam nescit, utrùm in prima vigilia, an nocte media, an demùm sub auroram venturus sit; hinc semper vigilat solicitus, ne domum is perfringat, suaque diripiat: sic & vos, inquit, semper vigilare, & omni tempore paratos esse oportet, quia, qua hora non putatis, mors aderit.

7. Notant hîc SS. Patres, singularis cujusdam misericordiæ Dei argumentum fuisse, quod incertam & incognitam nobis mortis horam reliquerit, ut nimirum semper parati essemus, & nunquam non ad eam dispositi. (*August. in Psal. 14. in illa verba.* Misericors & miserator. *Greg. hō. 13. sup. Evan. & lib. 2. Moral. c. 10.*) Si enim ejus horam certò homines nossent; hæc illis securitas & certitudo maximæ negligentiæ, plurimorumque peccatorum esset occasio. Si enim modò, quando & de ea sunt incerti, & horam ejus prorsus ignorant, tam incautè negligenterque vivunt, quid facerent cognito tam cito se morituros non esse? Ideò, inquit S. Bonaventura, (*De profect. religios. lib. 1. c. 17.*) voluit Deus mortis diem nobis incognitum esse, ut res hasce temporales parvi duceremus, nec iis nos immergeremus, cum singulis horis, imò momentis, eas amittere possimus: uti diviti illo avaro apud S. Lucam (*Luc. 12. 20.*) comminatus est Dominus, dicens: *Stulte hac in nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parasti, cujus erunt?* Sed, ut corde & animo tantum anhelemus ad divitias, quæ perpetuò sunt duraturæ.

8. Æquum igitur erit, ut quæ aliis prædicamus, ea etiam nobis ipsis prædicemus, inque utilitatem nostram convertamus, uti insinuat Apostolus, *Qui alium doces, teipsum non doces?* (*Rom. 2. 21.*) Vna de communissimis cacodæmonis tentationibus, quaque is hominibus sæculum amantibus imponit, est, quòd claram hanc & manifestam addò veritatem eos celet, sic ab illorum oculis eam removendo, ut illius penitus obliviscantur, deque ea minimè cogitent, persuadendo, satis illis ad utrumque temporis superesse postea fore ut & se emendent, & vitam in melius commutent. Neque verò soli sæculares ita falluntur, sed eadem quoque tentatione non paucos Religiosos decipit seductor, dum illos inducit, ut profectus sui spiritualis curam de die in diem differant, ac dicant, *Postquam hac aut illa studia absolvero, quando hoc munere defunctus fuero, ubi huic negotio extremam manum*

ac finem imposuero; tunc demum exercitia mea spiritualia, pœnitentias & mortificationes seriò disponere incipiam. Pro miserum te! Si verò mediis in studiis emori te contingat, quid tibi proderunt litteræ? quarum causa in virtute elanguisti, nisi, ut eæ ceu palea sint & fœnum, quæ tanquam pabulum in altera vita ignem magis accendant, ut ait Apostolus? Quare aliquam etiam inde nobis ipsis utilitatem hauriamus, quodque aliis, ut inde proficiant, suggerimus, nobis prius suggeramus & dicamus: *Medice cura teipsum*, hoc ipse tibi remedium applica, quod aliis consulis, cum tute non minùs eo indigeas.

De profect. religios. lib. 1. c. 27.

Luc. 12. 20.

1. Cor. 3. 12.

Luc. 4. 23

Rom. 2. 21.

Caput VI.

Aliud medium priori affine, opera sua benè faciendi; scilicet nonnisi in diem præsentem intentionem figere, nec ulteriùs.

Quintũ medium Præsens tempus curare.

1. QVintum medium, nos ad opera quotidiana benè perfectèque agenda permultum animans & excitans, est, ut tantùm de præsenti die soliciti simus. Etsi verò medium istud à superiori minimè differre videatur, ab eo tamen multùm discrepat, uti è sequentibus liquidò patebit. Inter alia, quæ permultos in via virtutis segnes & languidos reddere solent, & inter tentationes, quibus hunc languorem inducere dæmon conatur; non postrema est isthæc, quòd hanc iis cogitationem de se injiciat: *Quid? Tene tot annis, tam cautè tam circumspectè, tam exactè, omnibus in rebus posse vivere, semper ut te mortifices, ac coerceas: cupiditates tuas omnes & affectus refrenes velle tuum ubique, etiam perpetuò, abneges, voluntatem denique tuam omnibus in rebus compescas?* Hoc diabolus, ceu rem valdè difficilem & permolestam, depingit, negatque hoc vitæ genus esse quodeatenus & tam diu queat extendi.

2. Ita sanè P. N. Ignatium, quando Manresam se contulit, ibidem summam vitæ austeritatem sectaturus, inter alias tentationes, quibus eum tum oppugnavit, hac, de qua loquimur, non mediocriter exagitavit, dicens, *Qui fieri potest*, Ignati, *ut vitam hanc tam asperam, per septuaginta quos victurus es, annos perferas?* Huic tentationi hoc, quod tractamus, medium ex diametro oppono & dico, cum eodem sancto viro: Non est quod de multis annis multisve diebus, sed de uno præsenti duntaxat hodierno labores. Est autem medium hoc debilitati nostræ infirmitatique quàm maximè proportionatum. Quis enim non se animet, & non conetur, ut vel uno die benè vivat, & pro virili sua allaboret, ut opera sua benè fiant? Modum hunc nobis in examine particulari modo dictus S. P. N. præscribit, in quo, uti infra Tractatu Septimo dicetur, non plus quam in mediam diem, & illa elapsa in alteram mediam diem bona proposita nos concipere jubet, ac dicere: *Ab hoc tempore usque ad prandium saltem modestè me geram, silentium servabo, vel patientiam præferam.*

Lib. 1. c. 6. Vita.

ram. Hac quippe ratione facile & leve tibi redditur, quod fortasse difficile ac durum foret, si absolutè & generaliter præsumeres, dicendo: *Nunquam extra debitum tempus loquar, aut semper restrictè modestè, compositè, & recollectè me geram.*

3. Hoc certè medio utebatur ille Monachus, de quo in Vitis Patrum legitur. Qui cum à gula ita tentaretur, ut jam inde ab exortu diei dirissimè eum torqueret fames, viribus dejiceret, vixque ferendo malo par esse videretur; ille tamen generosus, ne sanctam monachorum consuetudinem, *Non comedendi nisi post tertiam à vespere seu meridie horam*, transgrederetur, hac cautela utebatur, sic summo manè secum loquens: *Vt ut esurias, grandéne quid fuerit, ad usque tertiam diei horam expectare? quæ cum venerit, sumere refectionem poteris.* Vbi verò jam hora illa advenisset, dicebat: *Certè, vim mihi jam inferam necesse est, nec ante sextam comedam: sicut enim ad tertiam usque cibo potui abstinere, ita & ad sextam usque potero*, itaque se intermedio illo tempore exercebat. Cum ergo jam sexta hora venisset, panem suum aquæ immergebat, dicens, *Interim dum panis maceratur, horam nonam exspectem oportet: quandoquidem enim hactenus jejunus exspectavi, nolo ob duas vel tres, quæ adhuc restant, horas, fratrum consuetudinem infringere.*

Horâ nonâ jam decursâ, tandem aliquando, & quidem nonnisi dictis antè orationibus suis, cibum sumebat. Cum multis ad modum diebus cõtinuò fecisset, brevibus hisce intervallis ac spatiis sese sanctè decipiens; tandem die quadam, cum se horâ Nonâ jam ad capiendam refectionem composuisset, tetrum quendam fumum è sportula, in qua panes suos asservabat, surgentem, & per cellulæ fenestram foras erumpentem, conspexit: quo signo haud dubiè significabatur spiritus ille diabolicus, à quo assiduè tentabatur, atque ab eo tempore rabiosam & caninam illam famem, & falsos illos corporis defectus ac deliquia ampliùs non sensit: quin etiam ita est confirmatus, ut continuos postea duos sine cibo dies traducens, vix famem sentiret. Ita scil. & illius victoriam, quam de hoste suo reportarat, & quam sustinuerat tentationem, Dominus dignatus est remunerari.

Ep. 2 ad Al... Gari...

Ps. 1... v. 9... 112.

4. Diximus autem, nec sine causa, medium hoc imbecillitati nostræ quàm maximè esse proportionatum; quia id nos, ceu infirmos & debiles & ideò ad modica solùm sufficientes, ipsa totius molis in partes gestione, paulatim quodammodo sublevat & erigit, ne labore totius quasi semel & simul ferendi oneris deterreamur. At, si generosi & fervidi essemus, ingentique erga Deum amore incensi, minimè necesse nos esset hoc adminiculo paulatim animari & confortari, ut labor & difficultas nobis minor videretur. Verus enim servus Dei nec longum respicit tempus, nec multos annos; verùm omne, *quo Domino servitur*, tempus illi nimis quàm videtur breve, & labor

Vbi supra 4.13

quem

quem impendit parvus. His ergo adminiculis & subsidiis talis minimè opus habet, ut paulatim ad altiora erigatur. Egregiè id demonstrat S. Bernardus: *Verus justus*, inquit, *non ad annum, vel ad tempus diurnum, instar mercenarii sed in æternum divino se mancipat famulatui*, sine ullo, inquam, termino, atque ardenti quadam cum voluntate. Audi vocem talis justi dicentis: *In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me. Inclinavi cor meum ad faciẽdas justificationes*, legem & consilia *tua in æternum. Non igitur ad tempus justitia eius manet, non aliquanto tempore, sed in sæculum sæculi.* Et quia absolutè, ac sine ullo certo termino Deo famulari statuit, atque ad hoc sese obtulit, nec limitando dixit, *Ad annum aut triennium isthoc faciam*: sed in æternum hinc & præmium ejus interminabile erit, & æternùm duraturum. Sempiterna itaque justi esuries sempiternam meretur refectionem.

Ep. 253. ad Abbat. Garinum.

Ps. 118. v. 93. & 112.

5. Hoc in sensu explicat S. Bernardus illam Sapientis sententiam, *Consummatus in brevi explevit tempora multa*: id est, verus justus exiguo tẽpore, paucisque vitæ diebus multos quodammodo vixit annos; tantùm namque amat Deum, & tanto ei serviendi tenetur desiderio, ut, etsi centum, atque etiam centies mille annos vivendo transigeret, semper tamen magis magisque illius obsequio se impenderet: quare ob hoc desiderium ac propositum, cui sola impotentia deest effectus suus, tantum meretur, ac si toto illo tempore ita viveret. Deus namque illum, juxta ejus desiderium ac propositum, præmiabitur. Hi sunt verè viri fortes, & mascula pectora, ad instar Iacob, qui ob ardentem, quo Rachelem suam prosequebatur, amorem, septem, ac rursus septem, annorum famulatum, quem ejus habendæ ergò famulari debeat, flocci pendebat, *Videbantur illi* (dies à patre Rachelio Labano pacti) *pauci dies præ amoris magnitudine.*

Vbi suprà Sap. 4. 13.

Gen. 29. 20.

Caput VII.

Aliud proponitur medium, assuescere scilicet benè perfectèque sua munia obire.

1. Magnus ille, & priscus Philosophus Pythagoras, discipulis & amicis suis ad virtutem adspirantibus, isthoc, quo hæc illis facilis & suavis redderetur, consilium suggerebat: *Vnusquisque*, inquit, *vestrûm optimam vitæ rationem sibi seligat; ne verò vos perterreat, quod hæc laboriosa, salebrosa, difficilis initio appareat; postea namq; consuetudine & usu ipso facillima & suavissima fiet.* Est sanè medium hoc quàm maximi momenti, & omnibus nobis usurpandum, non tàm quòd à Naturæ lumine ac Philosopho illo magno sit depromptũ, quàm quod id ipsum S. Spiritus, uti modò ostendemus, consuluerit, & cumprimis sit ad id, quod spectamus, efficax & conveniens.

Sextum medium. Consuetudo benè operandi.

2. Bonam, Deo laus, vitæ rationem jam multi selegimus, aut, ut meliùs dicam, ipse nos Dominus ad e-

Joan. 15. 16. eam selegit. *Non vos*, inquit ipse, *me elegistis, sed ego elegi vos.* Ob quam ipse gratiam sit in æternum benedictus, & in sæculum sæculi superexaltatus. Cæterùm in hac ipsa vita & statu, in quo nos Deus Optimus Max. posuit, habere locum potest & Magis & Minus. Potes namque perfectus Religiosus esse, potes & imperfectus & tepidus, prout tua futura sunt opera. Si ergo eo in statu proficere, perfectionemque assequi velis, assuesce omnia Religionis opera benè perfectèque agere; assuesce orationem, & reliqua tua exercitia spiritualia, seriò & rectè obire; assuesce in obedientia & regularum observantia exactus esse; assuesce parva ac minuta magnifacere; assuesce denique secretiori recollectioni, mortificationi, modestiæ, silentio; nec te terreat, quòd in principio quamdam in his difficultatem sentias: postea namque, per consuetudinem & usum, omnia non modò facilia, verum & admodum suavia, dulcia, sapida experieris: nec gratiis Deo agendis satiari poteris, quòd hisce te rebus assuefecerit.

3. Hanc nos Spiritus Sanctus doctrinam in multis sacræ Scripturæ locis docet. In Proverbiis quippe dicit,
Prov. 4. 11. *Viam sapientiæ monstrabo tibi*, id est, ego te docebo sapere in cognitione Dei (id enim in Scriptura sacra, teste
Bernard. S. Bernardo, significat sapientia. *sapientia*, scilicet, *est sapida* Dei *scientia.*) Docebo itaque te, inquit, viam & modum, quo saporem & gustum è Dei cognitione, amore, & servitio capere condiscas. *Ducam te per semitas* virtutis & *æquitatis; quas cùm ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum.* Porro via hæc *semitæ* vocatur nomine, quòd virtus in principio, ob nostram in malum propensionem, difficilis sit, & angusta quædam semita videatur: at, postquam arctos illos tramites & primas angustias jam pertransierimus, viam quandã latam, spatiosam & commodam alacres ingrediemur; quin imò sine offendiculo ac remora ulla curremus. Sub hujus metaphoræ ambagibus peregregiè Spiritus sanctus ostendit, quamvis initio aliqua in hac virtutis ac perfectionis via difficultas occurrat, non propterea animo cadendum: quia postea non modò difficultatem nullam, verùm etiam magnam vice versa consolationem, voluptatem & delectationem, ut pòst dicturi sumus, experiemur. Dicitur enim, *Quia modùm laboravi, & inveni mihi multam requiem.* I- Eccl. 51. 35.
dem alibi repetitur: *In opere ipsius exiguum laborabis, & citò edes de generationibus illius.* Idem quoque monet S. Eccl. 6. 20.
Paulus, *Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ*, & non facilis modò fit, sed & dulcis ac sapida, uti etiã in omnib' artib' & studiis tũ liberalibus, tũ mechanicis & experimur ipsi & in alii clarè videmus. Constat enim, quàm tironi initio litterarum studia difficilia & amara sint, quàm sæpè necesse sit violenter eum illuc adigere, & ut studeat, compellere, ut vulgò in Proverbium abierit, *litteras homini cũ sanguine in-* Heb. 12. 11.

ne instillari. At postmodum quotidiano exercitio & usu assiduo, ubi aliquem in iis profectum fecit, & jam scientiæ nonnihil acquisivit, adeò illi hæc placere incipiunt; ut unica & sola ejus voluptas ac recreatio sit studiis assiduè intendere. Pari modo se res habet in via virtutis & perfectionis.

Li. 1. de Consider. ad Eugen. 4. Egregiè id declarat S. Bernardus, explicans illa Jobi verba, *Quæ priùs nolebat tangere anima me, nunc præ angustia cibi mei sunt*. Nosse, inquit, vis, quanta sit consuetudinis & exercitii potentia & vis, audi: *Primùm tibi importabile videbitur aliquid; processu temporis, si assuescas, judicabis non adeò grave; paulò post & leve senties: paulò pòst nec senties: paulò pòst etiam delectabit*, ut dicere cum Jobo possis, Quod ante abhorrebat anima mea, & ne quidem bonis adspicere oculis poterat, sed horrorem mihi movebat & nauseam: jam cibus, alimētum, & esca mea est, tum dulcis, tū sapidissima palato meo Ergo talia omnia sunt, prout iis se quis assuefecerit. Ideò, nimirum, difficile tibi ac molestum videtur, pro exemplo, *Additiones* seu circumstantias, & documēta in Oratione & Examine præscripta in societate nostra observare, quia parvū eorū usum & cōsuetudinem habes: ideo tantam in imaginatione tua recolligenda, difficultatem sentis, quin illa, simul ac experrectus fueris, cùm item orationi insistendum est, pro libitu quocumque vult divagatur; quia nunquā tibi in hoc violentiam intulisti, nec ei recolligendæ refrænandæve, ne quid aliud cogitet, quàm de quo instituēda meditatio est, assuevisti: idcirco etiam silentium & solitudo tristitiā tibi ac melancholiam generant, quia parum ea usurpasti. *Cella* enim, inquit Thomas à Kempis, *continuata dulcescit, parum frequentata amarescit*: quare eam frequenta, familiaremque tibi redde, & paulatim svavis & jucunda fiet: nam & idcircò sæcularibus difficilia & molesta videntur tum oratio tū jejuniū, quòd iis non assveverint, qui antequā tentaverint ejusmodi opus, jā impossibile sibi cōclamârunt. *Thom. à Kemp.*

Eccl. 51. 35. Eccl. 6. 20. Heb. 11. 11.

5. Davidem suis Saul armis induerat, ut iis indutus parvus cum Philisthæo Gigāte duellum iniret; sed, quia nullum armorum usum & consuetudinē habebat, idcirco in eis procedere nequiit, sed protinus exuit: Postea verò cùm arma sibi familiaria, quotidianâ eorum tractatione fecisset, valdè commodè cum iisdem confligere potuit. Quod verò hîc de virtute & bono dico, idē de vitio & malo intelligendum; nēpe, si à parva quadā consuetudine trāsversum te abripi sinas, futurum ut malum increscat, majoresq; indies usu vires acquirat, ut postea nonnisi difficillimè aliquod ei remedium queat adhiberi, imò toto vitæ tēpore tibi sit adhæsurum. Si jā inde à principio opera tua assuevisses benè agere, quàm te jā opulentum & divitē invenires, quanto jam in gaudio & voluptate viveres, viso, virtutē & bonum tam tibi facile & dulce redditum esse. Vide, quàm ille jucundam lætamque vitam agat, qui jurandi consuetudinem penitus aut non habet, aut dedidicit: quantaque facilitate & levitate tot peccata mortalia evitet. Igitur ab hoc ipso tem- *1. Reg. 17. 38.*

temporis articulo bonam consuetudinem indue: præstat enim seriò, quàm nunquam. Et seriò satage, ordinaria quæ facis opera, benè facere; cùm tanti tua id referat, imò & ad hoc à temet impetrandum, si quidē necesse fuerit, particulare examen applica de nulla namque te meliùs tuum instituere examen poteris, sic fiet, ut benè ea obire, leve & jucundum tibi sit futurum.

CAPUT VIII.

Quantum Religiosi intersit, in via virtutis, non segnescere aut delassari.

1. EX suprà dictis haud difficulter intelligi poterit, quanti referat Religiosum in cœpta devotione semper vegetum se conservare, inque piis Religionis exercitiis continuò ingenti cum fervore procedere; adeoque omnem à se teporem, ignaviamque quàm longissimè excutere: in quam si se abripi semel sinat, ex ea postmodùm egerrimé eluctabitur. Potest quidem efficere Deus, ut ad primos fervores & perfectionem denuo revertatur; sed hoc miraculi & prodigii instar haberi solet. Præclarè hoc ostendit S. Bernardus ad Richardum Abbatem Fontanensem, ejusq; Religiosos (in quibus scilicet hoc Deus miraculum fecerat) scribens: Cum enim hi tepidum & ignavum vitæ genus eatenus sectati essent; eos ipse admonitione sua ad vitam insigniter fervidam & perfectam traduxit, & in viros alios commutavit. Itaque, summa quadam cum admiratione, animique sui gaudio, hanc eis mutationem congratulatus, sic ait, *Digitus Dei est iste. Quis dabit mihi ut transeam, &* cum Moyse *videam visionem hanc magnam. Nec enim minùs mira, minusve jucunda ista promotio* & miraculum *est, quàm* quod in rubo illo ardente, incombusto tamen & inconsumpto, Moyses conspexit. *Rarissima avis in terris est, qui de gradu, quem fortè in Religione semel attigerit, vel parum ascendat. Multo faciliùs reperies, multos sæculares converti ad bonum, quàm unumquempiā de Religiosis transire* è vita tepida & remissa *ad melius,* vitamque fervidam ac perfectiorem.

Epist. 96. ad Abb. Fontan.

Ep. ad pleben Hippn 137.

Serm. in fest. Apost. Petri & Pauli

Thre & 5.

2. Ejus rei hæc est ratio: quòd sæcularibus non tam continua & frequentia ad vitam bonam adsint remedia, quàm Religiosis. Hinc, dum fervidam & efficacem aliquam concionem illi audiunt, dum repentinam & infortunatam vicini, aut amici sui, mortem conspiciunt; novitas hæc terrorem quendam & admirationem in iis ciet, eosque ad vitæ emendationem & mutationem impellit. At si Religiosus, qui isthæc remedia tam continua habet & assidua, tantam, inquam, Sacramentorum frequentiam, tot spirituales exhortationes, tot de rebus divinis meditationes, tot de morte, judicio, inferno, gloria cœlesti agendi cogitandique exercitia; omnibus his non obstantibus, tepidus & languidus sit, quæ spes concipi potest, fore ut vitam is in meliorem mutet? Jam enim aures ejus hujuscemodi res assiduè audiendo occalluerunt: atque ita illud ipsum per quod & juvari ipse deberet,

ret, & quo alii juvantur ac moventur; ipsum nihil penitus movet, nec ullam in ejus animo impressionem relinquit.

3. Hic item sensus est notissimæ hujus sententiæ S. Augustini; *Ex quo Deo servire cœpi, quomodo difficilè sum expertus meliores, quàm qui in Monasteriis profecerunt; ita non sum expertus pejores, quàm qui in Monasteriis ceciderunt.* Asserit quoque Bernardus, quàm paucissimos illorum qui in Religione ceciderunt & prolapsi sunt, ad eum denuò gradum & statum reverti, in quo antè fuerunt, sed eos semper in pejus ruere, ac deteriores fieri. Quos etiam, inquit, deplorat Jeremias Propheta, dicens, *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* quo nam antiqua illa pulchritudo & decus evanuit? Nam *qui nutriebantur in croceis* & purpureis lectulis, qui, inquam, à Deo in oratione tam raris & suavibus deliciis perfundebantur, quorumque omnis conversatio in cœlo erat, & cum cœlestibus, *amplexati sunt stercora*, & jam fœdissimarum voluptatum luto se & cœno oblectant.

Ep. ad plebem Hippon. 137.

Serm. 3. in festo Apostol. Petri & Pauli.

Thren. 4. & 5.

4. Adeò ut communiter loquendo nulla, aut certè parva admodum, de iis concipienda spes sit, qui in Religiosa vita jam deficere & obtorpescere incipiunt. Quod sanè maximoperè nos deberet terrere. Hujus paradoxi ratio est illa, quam jam antè obiter indicavimus: quòd, nimirum, illis remediis ac medicinis ægrescant morbumq; contrahant, quibus meliùs habere, ac vires suas aut restaurare, aut conservare deberent. Si ergo, per quod alii curantur ac sanitatem recuperant, hi invaletudinem contrahant, pejusque habeant, quæ quæso eorum juvandorum ac profectûs spes erit? infirmus ille, in quo nullum medicamenta, quæ sumit, effectum sortiuntur, sed qui per eadem deterius habet, pro desperato & deposito tractatur. Hinc etiam est quòd peccatum & lapsum Religiosi alicujus tanti faciamus, tantumque abominemur, in sæcularibus verò vix eadem notamus. Quando medicus in dudum ægriente, debili, & morbido, aut virium deliquium, aut magnam pulsus debilitatem notat, parum ea curat; quia hæc ordinariam ejus dispositionem innuunt, nec deteriore in statu ægrum hujusmodi collocant; at quando in homine robusto & benè sano talia nevè notantur, ut malum & sinistrum signum habentur: tale enim symptoma nihil est aliud, quàm malignus quidem humor prædominans, qui sit vel mortis, vel gravis cujusdam morbi præsagium. Eodem planè modo hîc se res habet: si sæcularis quis in gravia peccata incidat, ea non sunt talia symptomata, quæ de vitæ illius, utpote valde remissæ & negligentis conditione, multum deterant, eamque probrosam reddant; quippe semel tantum illic in anno peccata confiteri opus est, & tot inter peccandi occasiones huc illum impellentes talis homo habitat. At si Religiosus aliquis tam crebra Sacramentorum sumptione, tam frequenti oratione, tot sanctis exercitiis communitus & sustentatus quasi in paradiso impingat, certum id est & virtu-

tis insigniter attritæ, & infirmitatis jam radicatæ argumentum. Unde in eo casus est sanè urgens causa cur meritò timeamus.

5. Verùm non eò hæc dico, ait S. Bernardus, ut animum despondeas, qui te talem lapsarium esse persentis, præsertim si statim resurgere velis (quo enim conversionem diutius differes, eo tibi isthæc difficilior redditur) sed idcirco, ut non pecces, non cadas, non deficias. Si tamen aliquis cadat, *advocatum bonum habemus IESVM, Pontificem scientem compati infirmitatibus nostris* qui potest quod ipsi minimè possumus: *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis, sed etsi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Iesum Christũ justũ.* Nemo proinde desperet aut diffidat; si enim ex toto corde ad Deum se convertat cum divinæ semper paratæ dum vivimus gratiæ præsidio, misericordiam haud dubiè consequetur. Si enim Petrus Apostolus tot annis eruditus in Christi schola, tantisque ab eo favoribus cumulatus, tàm graviter nihilominus cecidit; &, post gravem hunc lapsum (Domini, inquam, & magistri sui abnegationem) ad tam sublimem & eminentem evectus est statum, quis desperet? *An forsan in sæculo,* ait Bernardus, *magis tu peccasti, quàm Paulus? & hîc in Religione magis quàm Petrus? Hi tamen quia commissorum eos pœnituit, & pœnitentiam egerunt, non modò veniam illorum sunt consecuti; verùm etiam ad eminentem quandam sanctitatem & perfectionem evecti.* Hoc tu imitare, & non ad priorem statum modò, sed etiam ad maximam pertingere poteris & redire perfectionem.

ubi suprà.

1. Ioan. 2. 1.

CAPVT IX.

Quanti intersit, Novitios novitiatus sui tempus benè impendere, inq; eo assuescere Religionis exercitia benè perfectèq; obire.

1. EX hactenus dictis satis colligere possumus, quanti referat, Novitios in Religione aliqua tyrocinii sui tempus benè utiliterque impendere, & eo durante consuescere ad Religionis illius exercitia bene, & prout oportet, exequenda. Quod documentum proportione quadam omnibus iis etiam servire poterit, qui iter virtutis in quovis genere vitæ ingredi incipiunt. Prima Magistri Novitiorum in Societate nostra Regula satis id declarat, quamquam brevibus verbis, attamen talibus quæ non nobis duntaxat, sed omnibus in genere Religiosis dicuntur: Ait itaq; Regula sis *Novitiorum præfectus rem esse magni momenti sibi commissam intelligat.* Cujus rei duæ rationes, eæque maximè substantiales ibidem assignantur: Prima est, quia *ex prima Novitiorum institutione* & educatione, *pendet majori ex parte eorundem* in posterum *profectus* & provectio. Altera, quia ab ea tota *spes Societatis nostræ in Domino,* atque adeò bona Religionis omnis constitutio & salus, dependet. Ut verò particulariùs hasce rationes declarem, dico primò: A prima illa institutione & habitu, quem in novitia-

vitiatu suo quis contrahit, totum ejus deinceps profectum aut defectum, communiter loquendo (ut superiori capite declaravimus) dependere. Si enim quis, tirocinii sui tempore durante, tepidè & negligenter profectus spiritualis negotium egerit, tepidus & negligens tota vita manebit; neque enim putandum, majori eum postmodum cum fervore & accuratione processurum; quia non est credibile, illam mutationem & meliorationem pòst secuturam; quin potiùs multæ sunt rationes, quæ eum in meliorem nequaquam mutandum, nos credere jubeant; quod ut meliùs perspiciatur, particulatim hic novitium quempiam compellare placet, rationes ponderando, iisque ipsum convincendo.

2. *Multùm tibi, charissimè, hoc in tirocinii tui decursu suppetit temporis, ad unum tui in spiritu profectum seriò attendendum; multaq; hîc sunt media, non parvo tibi hac in re adjumento futura: huic enim uni rei Superior, & qui cum eo sunt, liberti aliis ferè negotiis, sedulò invigilant, hocque præcipuum eorum officium & pars est, Religioni utilia membra formare. Plurima modò aliorum habes exempla, non alii rei, præterquam uni soli perfectioni Novitiorum intendentium. Neque enim parum ad profectum animat & incitat, versari assiduo inter tales, qui de nulla re alia laborant; adeò ut, quamvis quis vecordissimus & pigerrimus sit, si modo alios in spiritu assiduè videat proficere, suo è veterno cogatur exsurgere. Habes jam cor ab omni occupatione liberum, nullimq; rei uti studiorum, regiminis procurandi &c. tractatione implicitum (quin ut apparet) virtutis avidum: nec ullam occasionem, quæ tibi in hoc impedimento sit, quin imò multas, quæ auxilio maximo esse possint. Si ergò jam, cùm ad hoc solum hîc versaris, nec aliud habes cui intendas; non proficis, nec ullam tibi virtutem colligis; quid tum, obsecro, futurum, quando cor tuum oppignoratum negotiis, & in mille partes dissectum & distractum fuerit? Si modo in tanta à negotiis vacatione, in tantis commoditatibus, & sumptuum subsidiis, tuam orationem & examina non benè peragis; additiones tibi à S. P. N. exercitiis adscriptas negligis, reliquaque spiritualia exercitia perfunctoriè ac segniter obis; quid erit, quando postea sexcentis studiorum, & deinde negotiorum, confessionum excipiendarum, & concionum habendarum & fortè regiminis curis distrahêris? Si modo tot exhortationibus, colloquiisque spiritualibus, tot exemplis, stimulis, & impulsibus, non proficis; quid facies, quando variæ occasiones & impedimenta ingruent, quæ te disturbent? Si modo, in ipso conversionis tuæ initio, quando, nimirum, ipsa rerum novitas majorem in te devotionem & fervorem debebat excitare, teporem præfers & torporem; quid postea futurum, cùm aures ad omnia, quæ te movere & adjuvare possent, occalluisse senties? Adhæc, si modo, quando passiones circa instituti tui res primùm incipiunt pullulare, & prava inclinatio nondum vires acquisivit (quod adhuc velut suo in semine & exortu sit) vix tibi, ob par-*

vam, quam in eo sentis, difficultatem, sit animus eidem resistendi; quomodo postea ei resistes, aut expugnabis, ubi hæc radicata profundius erit, & magnas longo usu & consuetudine vires acquisierit, illam enim exuere tibi morte gravius videbitur.

Doroth. Doctrin. 2. 3. Egregio id declaravit exemplo B. Dorotheus. Quidam de priscis illis eremi Patribus in agro quodam cypressis omnigenis (quarum aliæ majores, aliæ parvæ, aliæ mediocris longitudinis erant) consito cum discipulis suis inambulabat, horum uni Pater mandavit, ut harum cypressorum unam evelleret, & ille mox unam de minoribus facilè evulsit. Tum Abbas, Illam etiam (paulò major hæc erat) evelle: quam quidem alter evulsit, sed majori contentione & labore, atque adeò ambabus connisus manibus & corporis rigore. Ad aliam porrò quamdam evellendam, opus habuit socio. Aliam prægrandem, ne omnes quidem, collatis in unum viribus, ulla arte evellere potuerunt. Tum subjunxit senex; *ita planè se habet res, fratres, in animi paßionibus extirpandis; principio namque, quando firmas radices nondum egerunt, facili negotio edomantur & evelluntur; ac vel minimus, quem adhibueris, conatus ad hoc sufficit: at postquam ipsa consuetudine longè lateq; radices, & fibras jam emisêre: difficile tibi erit eas extirpare, & non sine magnis conatibus; ne sic quidem scio, an eo poteris pertingere.*

4. Hinc facilè patet, quàm gravi in errore & tentatione diaboli versetur is, qui suum profectum procrastinat, & se postea suas sperat passiones mortificaturum, ac facilè speraturum id, quod jam ob parvam ingruentem difficultatem, aggredi ex inertia non audet. Si, quando minor est difficultas, eandem superare non audes, quomodo, cùm major erit, audebis? Si jam, cùm passio tua adhuc leunculus imbecillis est, metuas & ignavescas; quid fiet, ubi in vastam cruentamque creverit belluam? Quapropter id tibi persuadeas velim, te, si jam initio intepueris & elangueris, etiam postea tepidum & torpentem futurum. Si modò bonus non sis Novitius, nec bonus discipulus; non eris bonus veteranus, nec bonus operarius. Si jam in obedientia & regularum observantia negligens fueris, post etiam multò eris negligentior. Si jam in spiritualibus exercitiis torpidus & segnis sis, eaque imperfectè, ac velut frustillatim obieris, tota quoque vita imperfectus & veteramentarius manebis. Totum in eo est, ut videas, quam modò formam & plicam induas: hæc enim tibi perpetua erit. In fermento aptè beneque inserendo, fere omnis sita pinsendi ars.

5. Unde Bonaventura, *Formam quamprimò quis recipit, vix deponit: & qui disciplinam in novæ cõversationis initio negligit, ad eam postmodum difficilè applicatur.* Valdè ægrè quis in senio applicat se rei, cui in adolescentia nõ assvevit. *Proverbium est*, ait Salomon, & quidem proverbium Spiritus sancti; *Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Quod S. Joanni Climaco occasionem dedit In specul. disciplin. Prov. 22. 6. De inan. vita fuga grad. 1.

dit dicendi, Periculoſum cumprimis, & meritò timendum eſſe, ſiquis tepidè & languidè viam ſpiritus auſpicetur: id enim certiſſimum futuræ ruinæ eſſe argumentum. Hac de cauſa permagni refert, aliquem à principio ſe aſſuefacere virtuti & exercitiis ſpiritualibus benè perfecteque exequendis. Quod ut omnes faciamus hortatur nos Spiritus S. per Ieremiam, *Bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua*: qualis enim tunc fuerit, talis etiam poſtea manebit, virtusque ei & bona opera facilia fient; ſin minùs magnam in iis difficultatem experietur. *Quæ enim in juventute tua non congregaſti, quomodo in ſenectute tua invenies?*

Thren. 3. 27.

Eccl. 25. 5.

6. Ex prima hac ratione deducitur ſecunda: Si enim univerſus Religioſi hominis in futurum profectus à prima ejus inſtitutione & formatione pendet; ſequitur & univerſum Religionis bonum ab ea dependere. Religionem quippè non conſtituunt nudi domorum aut templorum parietes, ſed tota Religioſorum congregatio, ſeu perſonæ adlectæ, cum igitur ii, qui modo in novitiatu verſantur, ſint qui poſtea totam Religionem conſtituent, juſtiſſima cauſa fuit, cur Societati noſtræ ſatis non fuerit Collegiorũ ſeminaria (in quibus noſtri in litteris juxta ac virtute proficerẽt) inſtituere; verũ etiã ſolius virtutis ſeminaria & ſcholas erigi, in quibus uni abnegationi mortificationique propriæ, & ſoli verarum ac ſolidarum virtutum exercitio toti incumberetur, utpote, potiori & majoris momenti fundamento, quam ipſæ ſunt litteræ. Huic autem ſtudio ſerviunt Domus Probationis, quæ, (ut ait B.P.N. Franciſcus de Borgia) Novitiis ſunt ceu *Bethleem*, quod interpretatur *domus panis*. In illis enim panes bis cocti, & reliquus ille commeatus comparatur, qui navigationi, & gravibus periculis, quæ nos manent, futurus ſit opportunus. Hîc noſtra *meſſis* & Autumnus eſt, in quo à Deo creditur mundus eſſe creatus, ut eſſet unde homines confeſtim haberent, quo victitarent: hic tempus abundantiæ; hîc anni fertilitatis; quibus tibi in annos famis & futuræ ſterilitatis de victu proſpicere & providere debes, uti fecit ſapientiſſimus Patriarcha Ioſeph, cui paria ſi Ægyptii intellexiſſent, non tam citò profectò ſua frumentum domo per venditionem ejeciſſent, quod Ioſeph providè congregabat, & in horrea regia recondebat, ut adveniente tempore Rex haberet, unde ſubditos paſceret, & eorum poſſeſſiones ſibi acquireret. O, ſi adverteres quanti tua interſit, benè proviſum, inſtructum & communitum domo Probationis te egredi; profectò tam citò iſtic egredi non deſiderares; ſed dolores potiùs, dum ex ea dimittereris, cõſideran, quã parũ à virtute & mortificatione inſtructus inde emigres.

In ſpecul. diſciplin.

Prov. 22. 6. De inan. vitæ fuga grad. 1.

Epiſt. ad Societ.

Gen. 41. 48.

7. Hinc B.P. Franciſcus ſolitus erat dicere, illos qui novitiatu celeriter egredi aut cupiunt, aut geſtiunt, ſatis indicare parum ſe ſapere, nec intelligere, quàm ſe neceſſe ſit benè inſtructos inde emigrare; adhæc oſtendere, parum ſe de reliquo itinere ſolicitos eſſe, cum tam parum curent,

rent, quòd improvisi & commeatu sufficienti destituti istinc egrediantur. O quàm ab hisce diversum sensum habuit S. Pater noster! quàm ille nos putavit divites & instructos è Novitiatu egressuros! id enim ipse in Constitutionibus supponit. Cùm enim novitiis duos probationis & experimentorum annos assignasset, ut in illis suo hi profectui ita studeant, nullos ut alios libros tractare, nullique studio, præterquam uni illi, quod ad majorem sui abnegationem, & ad magis crescendum in virtute & perfectione dirigitur, vacare fas sit; supponit eos hinc tam spirituales & fervidos, tam mortificationis & recollectionis amantes, tam orationi rebusque spiritualibus addictos egredi, ut frænis eos quibusdam compescendos putet. Ea propter ipsos, dum jam ad Collegia emittuntur, seriò monet, ut primos illos fervores tempore studiorum nonnihil temperent ac moderentur, deque orationis ac mortificationis studio aliquid remittant. Præsupponit itaque S. P. N. Novitios tanta cum luce Deique cognitione, cum tanto mundi contemptu, tam pios & devotos, tamque interiùs erga spiritualia affectos Probationis domo exire, ut hoc monito & cautela eos coercendos & refrenandos putarit. Tu itaque talis inde excedas satage, ac tempus illud tam pretiosum benè impende, quia forsan in omni reliqua vita simile tibi tempus ad in spiritu proficiendum, & divitias spirituales comparandas

4. p. Const. c. 4. §. 2.

& coacervandas non obtinget. Ne hoc inutiliter tibi effluere sinas, nevé unum ejus punctum amittas, *Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat.* Eccl. 14. 14.

8. Vnum è majoribus beneficiis, quibus Dominus eos dignatur, quos in florenti & tenera ætate ad Religionem vocat, illud est (pro quo etiam maximæ ei sunt gratiæ agendæ) quòd is vitæ flexus ad virtutes religiosamque disciplinam capessendam accomodatissimus sit, & facilè flexilis. Nam ut arbusculam in principio, cum adhuc tenella est, facilè flectere & curvare potes, ut ex ea tandem insignis & procera fiat arbor: at, si eam liberè excrescere sinas, ubi in curvam, inflexam & distortam arborem creverit, citiùs eam franges quàm inflectes: qua forma etiam semper deinceps mansura est: ita perfacile est, quempiam in ætate tenera quamlibet ad virtutem flectere, bonoque applicare, cui si à teneris assueverit, ipsum deinde facillimum sentiet, atque in eo semper perdurabit & perseverabit. Si lana rudis adhuc & intexta tingatur, color, quem imbibit, nunquam deperit. Vnde S. Hieronymus, Quis ad primævam albedinem reducet pannum coccineum, qui in lana penitus immersus sit? aut quis expiabit odorem, Epist. ad Lætam lib. 2. Epist. 15.

Quo semel est imbuta recens? servabit odorem Testa diu, Horat. lib. 1. Epist.

Hoc etiam nomine regem Iosiam dilaudat Scriptura, quòd à puero Deum sequi cœperit, *Cùm adhuc puer esset,* 2. Par. 34. 3.

esset, cœpit quærere Deum patris sui David.

9. Humbertus vir sanctimonia illustris, & Fratrum Prædicatorum Magister Generalis, refert, Religiosum quemdam, post aliquot à morte sua dies, alteri Religioso socio suo, illustrem & lumine cœlesti refulgentem apparuisse, eique è cella evocato, ingentem hominum albis indutorum, & splendentium multitudinem ostendisse; qui quasdam cruces insignes in humeris ferentes, supplicantium ritu ad cœlum properabant: post paulò aliam processionem multò priore splendidiorem & pulchriorem ei ostendisse, in qua quotquot procedebant, crucem pretiosam maximè & sublustrem manu, non autem humeris, uti priores, præferebant. Deinde & tertiam processionem illi oblatam, duabus prioribus incomparabiliter insigniorem; hujus autem agminis cruces, pulchritudine & decore aliorum priorum crucibus antecellebant: & has ipsimet non humeris, aut suis manibus deferebant, sed ducem quisque habebat Angelum, à quo & conducebatur, & crux gestabatur, ipsi verò eum læti & hilares sequebantur. Visionem hanc miratus Religiosus, petiit à socio, qui hanc sibi spectandam obtulerat, sibi declarari. Is ergo quam primùm eam declarans, primos, quos viderat cruces in humeris gestantes, esse ait illos, qui in ætate provecta Religionem erant ingressi: secundos verò, qui eas manu gestabant, eos, qui in juventute eam inierant: postremos demum, qui tam lætè agiliterque incedebant, eos, qui in ætate puerili vitam Religiosam auspicati, mundo vale dixerant.

TRA-

TRACTATVS TERTIVS.

DE RECTITVDINE ET PURITATE INTENTIONIS, QVAM IN OPERIBVS habere oportet.

CAPVT PRIMVM.

In operibus nostris vana gloria in primis fugienda.

Recta intentio est valde curanda.

1. NIHIL æquè nobis in Constitutionibus & regulis nostris commendatur, & inculcatur, quàm ut rectam in omnibus nostris operibus intentionem habere satagamus. Hanc enim ob causam singulis propè pagellis aut regulis verba illa, *Ad majorem Dei gloriam*; *Majus Dei obsequium semper intuendo* (quod idem est) inculcata repetuntur. Adeò scilicet S.P.N. hocce majoris gloriæ & honoris divini desiderium, cordi suo profundè infixum insculptumque habebat, tamque omnia sua ad hunc finem agere assuetus erat: hinc tam sæpè id ore scriptisque repetiit, atque identidem iteravit, *Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Hoc semper ejus veluti symbolum fuit, hoc omnium ejus operum anima quodammodo ac vita, quemadmodum in Vitæ illius historia refertur. Vnde meritò etiam ejus imagini subscripta & addita hæc inscriptio, *Ad majorem Dei gloriam.* Hæc ejus insignia sunt, hæc epigraphe, hoc symbolum, in hoc denique universa illius vita & heroica gesta velut compendio continentur, ut majoribus affici laudibus & præconiis, tam paucis verbis, non posset. Hæc porrò & nostra insignia, inscriptio & symbolum esse debet, ut velut legitimi bonique filii, Patri nostro per omnia assimilemur.

Matt. 12. 34. Luc. 6. 45

Intentio est oculus animo.

2. Nec sine ratione tantoperè id ipse nobis commendat: quia omnis noster profectus, & perfectionis summa, in operibus quæ agenda sunt, sita est: & quo hæc futura sunt meliora perfectioraque, hoc & nos meliores perfectioresque futuri sumus. Tanto verò plus opera nostra sunt habitura bonitatis ac perfectionis, quanto intentio nostra rectior & purior, eorumque finis sublimior erit & perfectior. Hæc quippe operibus suum dat Esse, juxta illud Christi in Evangelio, *Lucerna corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Quo loco per oculum

Matt. 6. 12.

oculum Sancti intentionem intelligunt; utpotè quæ antè intendendo intuetur & prævenit id, quod agere vult: per *corpus* verò, ipsum designari volunt opus, quod secundum directionem intentionis consequitur, quemadmodum universum corpus juxta ductores oculos gubernatur. Dicit itaque Dominus, omnem ab intentione, quam habemus, operibus lucem & splendorem accedere; &, si finis & intẽtio operis fuerint bona, bonum etiam opus fore; sin mala, etiam opus fore malum; si deniq; finis altus & perfectus, tale & opus futurum.

Greg. lib. 38. Moral.

3. Illud ipsum etiam indicare voluit Apostolus Paulus, dum ait; *Si radix sancta, & rami*, id est, qualis futura radix, talis erit arbor, ejusque fructus. Ex arbore enim radicem habente malam quis alius sperari fructus potest, quàm verminosus & insipidus? at, si radix sana sit & bona, bona quoque erit arbor, & fructum dabit bonum. Sic operum bonitas perfectioque in ipsa intentionis, quæ est velut radix, puritate consistit. Itaque quo hæc sinceriora erunt ac puriora, eo futura sunt meliora & perfectiora. S. Gregorius in illa verba Iobi: *super quo bases illius solidatæ sunt*, commentatus, ait, quẽadmodum totius ædificii materialis fabrica quibusdam inniti solet columnis, hæ verò suis basibus & fulcris; sic omnem vitam spiritualem virtutibus inniti, virtutes autem ipsas in pura rectaque cordis intentione fundari.

Rom. 11. 16.

Intentio est radix operis, item basis.

Iob. 38. 6. Lib. 18. Moral. c. 23.

4. Vt autem in hoc argumento rectè & ordine procedamus, primò de vitioso fine, quem in operibus nostris evitare debemus, ne ea videlicet ob vanam gloriam, aut alios respectus humanos faciamus, tractabimus; deinde de bono rectoque fine & intentione, qua ea agenda sunt, agemus. Primò namque *à malo declinare* nos oportet, ac dein quod *bonum* est *agere*, juxta illa Prophetæ, *Diverte à malo, & fac bonum.* Ps. 33. 15.

5. Omnes verò Sancti unanimi sensu nos commonent, ut à vana gloria maximè caveamus; quia, in quiunt, ipsa velut subdolus & subtilis quidam fur est, quæ incautos nos invadere, bonaque opera nostra deprædari solet: quæque tam clanculariè & simulatè in animam irrepit, ut sæpè ante, quam sentiatur & percipiatur, nos deprædata sit ac exspoliarit. S. Gregorius eam esse dicit ceu latronem dissimulantem, qui quidem viatori se per viam associans, eâdem cum ipso via pergere se mentitur; postea verò cum ille nihil minùs cogitat, ac magis securus est, rem simul & vitam eripit. *Equidem fateor*, inquit sanctus ille Pontifex ultimo Moralium capite, *mihi, dum meam in horum librorum scriptione propositam initio intentionem excutio; uni Deo placendi causa laborem hunc omnem à me susceptum videri; quoddam tamen in ejus progressu, hominibus placendi desiderium, nec non vanam quandam in hoc delectationem & complacentiam, adeò inadvertenter & clanculò subintrasse comperio, ut nesciam quomodo & via subirrepserit; hoc tamen videam, post-*

Vana intentio cavenda.

Cap. ult. Moral. & lib. 9. c. 13.

quam jam provectus in eo sum longiùs, opus hoc à pulvere & palea vanitatis tam purum non esse, quàm, cum primùm illud sum aggressus: scio quippe, bona me illud intentione, & Deo purè placendi desiderio initio scribere cœpisse; jam verò adverto non tam id purum & defæcatum esse, atque dum auspicarer. Illud, inquit, *hic nobis usu venit, quod comedentibus. Comedere quippe incipimus ex naturæ necessitate & fame; tam verò subtiliter gula & delectatio dein subingreditur, ut, quod ex necessitate ad naturam sustentandam, vitæque conservationem cœpimus, post ex delectatione, voluptate, ac gustu perficiamus & absolvamus. Ita in hoc Religioso statu non rarò ipsum prædicandi officium, aut aliud quid simile, cum intentione quidem animarum juvandarum ordimur, postmodum tamen ipsa subingreditur vanitas, & hominibus in eo placere & gratificari, aut ab ipsis æstimari, magnifieri ac celebrari quærimus: quæ illicia & præmiola si defuerint, tandem aut in eo segnescere, aut saltem non libenter, sed invitè illud agere videmur.*

Caput II.

In quo malitia vanæ gloriæ consistat.

Quid sit vana gloria. 1. Vitii hujus malitia multiplex est, Vna in eo propriè consistit, quod homo vanè gloriosus se per eam gloriam & honorem evehere gestit, quæ soli Deo propria est. *Soli Deo honor & gloria*, qui ipsemet testatur quod alteri eam dare nolit, sed sibi soli reservare. *Gloriam meam alteri non dabo.* Vnde sic Deum alloquitur Augustinus: *Quicunque laudari cupit per id quod tuum donum est, & in eo quod agit bonum; non tuam, sed suam gloriam quærit: hic fur est & latro, & dæmoni similis, qui tuam furari gloriam voluit.*

1. Tim. 8. 17.

Isa. 42. 8. & 48. 11

Cap. 13. solilo-quior.

In operibus cunctis Fructus & Gloria: illũ nobis concessit, hanc sibi reservat.

2. In omnibus Dei operibus duo notanda sunt; primò fructus & utilitas, deinde honor & gloria ex his operibus resultans, ut scilicet, ipse operis auctor & artifex, propter ipsum laudetur, æstimetur & honoretur. Ordinavit igitur Deus in hac vita, itaque id fieri vult, ut omnis operum suorum fructus cedat homini, at tota gloria uni sibi. *Vniversa propter semetipsum operatus est Dominus*, Et: *Creavit Dominus omnes gentes in laudem, & nomen, & gloriam suam*: hinc etiam omnia creata nobis ejus sapientiam, bonitatem & providentiam assiduè deprædicant, & enarrant. Ideò etiam cœli & terra plena esse dicuntur gloria ejus. Vnde, dum quis in operibus bonis gloriam & honorem hominum quærit, eum, quem Deus in operibus bonis ordinem posuit, pervertit, Deoque injuriam irrogat; dum scilicet cupit, ut homines, qui in Deo laudando & honorando semper esse deberent occupati, in se uno deprædicando & æstimando occupentur; dum etiam vult & procurat, ut hominum corda, à Deo condita ut essent ceu vasa, quæ Dei ejusdem gloriam & honorē præ plenitudine eructent, suo unius honore & æstimatione repleantur. Hoc est,

Prov. 16. 4.

Deut. 26. 19.

Ps. 18. 2. Isa. 6. 3.

est, corda humana Deo furari, ac propria quodammodo domo & habitaculo ea expellere. Ecquæ igitur major dari iniquitas potest, quàm & honorem Dei, & hominum corda furari: & ore quidem dicere, ut Deum unum respiciant, animo verò & corde velle, ut, suos à Deo oculos avertendo, eos in vos conjiciant?

Vera & perfecta humilitas.

3. Verus humilis in nullius rei creatæ corde vivere cupit, sed in solo Deo, nec ut sui quisquam meminerit, sed solius Dei; nec ut ipse hominum sermo sit, sed unus Deus in omnium ore versetur, suo denique corde omnes hunc solum excipiant & perpetuò retineant.

Vanæ gloriæ gravitas.

4. Vitii hujus, quod tam sanctæ virtuti opponitur, gravitatem & malitiam hæc etiam similitudo & comparatio liquidò demonstrabit; si qua mulier conjugata sese comeret & ornaret, quo alteri cuidam, præterquam marito, complaceret; nemo non videt, quantam hac ratione conjugi suo injuriam irrogaret: sic qui opera bona, quæ sunt velut quædam ornamenta, quibus animam nostram adornamus & insignimus, facit, ut alii, præterquam Deo, qui ejusdem sponsus, & maritus est, placeat, insignem illi injuriam faciet.

Alia similitudo declarans malitiam vanæ gloriæ.

5. Adhæc cogita, quam turpe foret & probrosum, si quis nobilis se ideò magni faceret, quòd exiguum levemque laborem in Regis alicujus gratiam subjisset, qui priùs nobilis hujus causa magnæ cum infamiæ, cum periculo variis in casibus sese exposuisset: quàm etiam infamè futurum, si nobilis hic propterea apud alios se ob hasce inanias, & puerile hoc facinus, Regis causa assumptum jactaret & gloriaretur? Quam hoc omnibus iniquum & indignum videretur! præsertim si & Rex sine ulla ejus opera que hæc omnia peregisset, & universum hunc laborem impendisset; tantillum verò id, quod nobilis ille fecisset, nonnisi magno Regis cum auxilio, favore, & auspicio, magnisque ante illectus beneficiis, & post, eisdem acceptis, præstitisset. Singula ergo hæc sibi quisque nostrûm applicare poterit, ut confundamur; tum, quòd ob ea quæ agimus, nos magni faciamus, & evanescamus; tum verò magis, quòd ob opus aliquod nos ipsi jactemus, & apud alios gloriemur; cum, si quæ nostri causâ Deus præstitit, & ea quæ nos ejus ergo præstare tenemur, invicem comparemus, pudor sit quòd tam pauca agamus.

6. Vitii hujus malitia inde quoque patet, quòd Theologi & Sancti id inter septem illa vitia computent, quæ vulgò mortalia nominantur, etsi magis propriè capitalia dicantur; quod reliquorum peccatorum ceu capita sint & principia. Alii quidem octo vitia capitalia numerant, & primum esse dicunt superbiam, secundum vanam gloriam: Verùm communis Sanctorum sententia, & ab Ecclesia recepta, nonnisi septem capitalia vitia recenset, quorum primum esse vanam gloriam, ait S. Thomas, superbiam autem omnium septem esse fontem & radicem,

Climac. de vana gloria.

2.2.q.132 art.4.

Eccl. 10. 15. juxta illud Sapientis, *Initium omnis peccati est superbia.* Vt ut autem sit, ex hac ipsa lite satis apparet grauitas vanitatis in ambitione honoris.

Caput III.

De damno, quod vana gloria secum trahit.

Christus damnis deterret nos ab ambitione. 1. Qvantum damni vanæ gloriæ vitium secum trahat, manifestè nobis in Evangelio declarat Redemptor his verbis: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est.* (Matt. 6. 1.) Nolite imitari Pharisæos, illos hypocritas, qui omnia sua eò faciebant, ut ab hominibus viderentur, extollerentur, & æstimarentur: quia omnem operis vestri fructum amittetis, *Amen dico vobis, receperunt hi mercedem suam.* Voluisti ab hominibus omnibus magni fieri, & æstimari, hocque desiderio ad opus perficiendum motus fuisti; igitur & illa tua futura est merces, tuum præmium, nec est quod aliud in altera vita speres. Ah miserum te, qui tuam mercedem jam recepisti, nec aliud habes quod speres. Vnde S. Iob: *Spes hypocritæ peribit*; (Iob. 8. 3.) ejus, inquam, qui illo intuitu sua est operatus, ut ab aliis magni fieret & dilaudaretur. Egregiè id declarat S. Gregorius; quia omnis æstimatio, humanæque laudes, & applausus, quos tantùm spectabat, jam unà cum vitæ halitu, exspirarunt. *Non ei placebit vecordia sua.* Quam te, ait Gregorius, deceptum & illusum invenies tum, cùm, apertis oculis & jam defæcatis, clarè perspicies, te eo, quo regnum cœlorum comparare potuisses, nonnisi vanam quandam hominum laudem, & inanem comparasse plausum, dicentium, Quàm benè hoc dixit, quàm egregium id ejus facinus! *Qui pro virtute quam agit, humanos favores desiderat, rem magni meriti vili pretio venalem portat; unde cœli regnum mereri potuit, inde minimum transitorii sermonis quærit.* Quæ major illusio & fatuitas dari cogitarive potest, quàm multum laborasse, permulta bona opera fecisse, & post, se ab omni mercede vacuum reperire! Hoc significare voluit Propheta Aggæus dicens: (Agg. 1. 5.) *Ponite corda vestra super vias vestras: seminastis multum, & intulistis parum; comedistis, & non estis satiati; bibistis, & non estis inebriati; operuistis vos, & non estis calefacti; & qui mercedes congregavit, misit eos in sacculum pertusum.* Quod postremum ex alia versione sic legitur, *Misit eas in dolium perforatum*: in quod si quis vinum aut alium liquorem infundat, perinde facit, ac si in terram eum effunderet: sic in vanæ gloriolæ captione idem est, lucrari & perdere, struere & destruere: lucrum quippe & jactura hîc in eodem sunt gradu. *Quare ergo appenditis argentum in panibus, & laborem vestrum non in saturitate?* Cum autē opera isthæc faciatis, cum laboretis, cum sudetis; tali illa modo facite, ut fructum ex iis aliquem capiatis, non verò ut illum penitus amittatis.

2. Tria

In Constitut. Monast. c. 11. 2. Tria proinde S. Basilus hinc colligit damna, quæ vitium vanæ gloriæ nobis adfert. *Primum* est, quòd *Tria damna vanæ gloriæ.* illa nostrum corpus laboribus & operibus bonis nos faciat atterere, affligere, & delassare. *1. Corpus frustra atterit.* *Secundum*, quod operibus jam factis, nos illis privet ac frustretur, dum omni nos præmio & *2. Præmio spoliat.* mercede spoliat. *Vitium quidem hoc*, inquit Basilius, *non facit, ut minimè laboremus (neq; enim istud tam grave & damnosum foret, præmio frustrari, nullo ante labore impenso) sed exspectat, donec ipsi nos defatigaverimus, & bona opera faciendo, sudaverimus, ac tum demum illa nobis surripit, præmium & palmam iis debitam prope è manibus extorquendo.* Unde id ipsum piratæ assimilat in insidiis clanculò latenti, & exspectanti donec navis, pretiosis mercibus onusta portu sese efferat, ac tum demum ipsam invadenti: neque enim tunc piratæ navem adoriuntur, cùm vacua portu egreditur, ut aliunde merces convehat, sed exspectant dum onerata & plena redeat. Sic infernalis illa deprædatrix, vana inquam gloria, nos observat bonis operibus graves & onustos, ac tum nos explicat & deprædatur. Neque *3. Supplicium accersit.* verò satis illi est mercedem & præmium omne nobis extorsisse, nisi etiam (*tertium id damnum est*) faciat, ut, præmii & coronæ loco, supplicium ac tormenta promereamur. Bonum enim in malum, virtus in vitium, propter vanum & malum finem, quem illi præfigis, convertitur: itaque fit, ut è bono semine malum colligas fructum, & inde pœnam merearis & supplicium, unde cœleste gaudium ac præmium decerpere poteras ac promereri. Hæc porrò omnia efficit vana gloria tam blandè, suaviter & tectè, ut non solùm ob insignem hanc jacturam, quam facit homo, non contristetur & angatur; verùm etiam ex ea voluptatem sentiat, adeoque hæc illi grata sit: ut, quantumvis ei apertissimis rationibus identidem id demonstres, & verò etiam ipse videat totum se succum pietatis deperdere, ita tamen humanæ laudis & plausus œstro agatur, ut eum plausum unicè concupiscere, & ab illo dementatus & fascinatus esse videatur.

3. Idcircò S. Basilius vanam gloriam nuncupat *dulcem spiritualium exspoliatricem, jucundum animarum nostrarum hostem.* Inde est, inquit, quòd hocce vitium tam multos suavitate & blanditiis, quas includit, inescet & illaqueet. Etenim *dulce quid imperitis humana gloria est*, ideoque hi præ aliis decipiuntur. S. Bernardus sic ait, *Time sagittam: leviter volat, leviter penetrat; sed dico non tibi non leve infligit vulnus, cito interficit. Nimirum sagitta hæc vana gloria est.* Ipsa pulvisculus est & subtilis, & exiguus, sed sublimatus. *Ibid.* Vana gloria est similis dulci veneno. *Serm. 6. sup. Psal. Qui habitat.*

4. Cùm S. Pachomius quodam in loco monasterii, cum aliis gravibus monachis, consideret; ecce monachus quispiam duas parvas attulit storeas, quas ea die contexuerat, easque propè cellam suam, ex opposito S. Pachomii, collocavit, ut eas is cómodè videre posset, existimans se ab eo, ob diligentiam dilaudandum, quòd, cùm ex regulæ præscripto stoream quisque quotidie unam contexere *Surius in vita.*

xere juberetur, duas ipse ea die texuisset. Intelligens vir sanctus id eum è vanitate fecisse: Patribus sibi assidentibus, suspirans & magno quodam doloris sensu ait: *Videte, quæso, fratrem hunc, qui à prima luce in seram noctem cùm laborarit & sudarit, universum laborem suum diabolo consecravit, hominum existimationem præferens Dei gloriæ* Hunc ergo ad se vocatum egregiè corripuit, eique in pœnitentiam injunxit, ut, cùm ad orandum fratres convenissent, ipse eòdem ingrederetur, duas storeas humeris gestans, altaque inclamaret voce, *Patres & fratres mei carissimi, orate, quæso Deum pro misero hoc peccatore, ut mei misereatur, quòd pluris duas hasce storeas quàm regnum cœlorum fecerim.* Præcepit adhæc, ut, cùm fratres ad refectionem sumendam collecti essent, ipse duas has storeas in humeris habens, toto mensæ tempore in refectorii medio consisteret. Neque verò hic substitit pœnitentia. Pòst eum cellulæ cuidam includi, & à nullo mortalium visitari mandavit; jussitque ibi solum ad quinque menses agere, nec aliud illi interim in cibum dare voluit, quàm aridum panem & aquam, addito sale, ibidemque duas eum quotidie storeas in solitudine, ita ut à nullo videretur, contexere, & quidem stomacho jejuno.

Gravis vanæ gloriæ Pœnitẽtia.

5. Quo è facto pariter ad utilitatem nostram, colligere ac discere possumus, quàm gravibus veteres illi Patres pœnis in leves culpas animadverterint; ut & quantâ animadversiones has subditi humilitate & patientiâ susciperent, quantamque ex iis utilitatem caperent.

Caput IV.

Vana gloriæ tentatio non incipientes solùm, verùm etiam in virtute proficientes invadit.

1. S.Cyprianus de tentatione illa, qua cacodæmon Redemptorem Jesum secundo loco impetivit, illi ad pinnaculum usque templi sublato dicens: *si filius Dei es, mitte te deorsum*; agens, exclamat, & ait, *O execrabilis diaboli malitia! putabat malignus, quem gula non vicerat, vanâ gloria superari.* Hinc eum inducere conatur, ut per aera volare incipiat, ut sic toti populo foret spectaculo & admirationi. Putabat, scilicet, sibi cum Christo Domino tam feliciter negotium successurum, quàm cum aliis antè successerat; & experientiâ noverat, & jam sæpè probarat, ait Cyprianus, se, quos aliis hactenus tentationibus superare non potuerat, per vanæ gloriæ & superbiæ tentationem tandem expugnasse; ideoque, postquam eum gulâ frustra tentarat, jam per vanam gloriam, velut acrius intentans telum, remque expugnatu difficiliorem, adoritur. *Neque enim facile est* (addit idem sanctus) *laudibus & applausu hominum non delectari.* Ut paucissimi reperiuntur, quibus gratum sit malè ab aliis audire, & probris affici; ita etiam quàm rarissimos est invenire, quibus gratum non sit benè audire, & laudari. Ex quibus apparet, hanc vanæ gloriæ tentationem,

Cyprian. Vana gloria quibus id sidietur. Mat. 4. 6.

nem, non ſolorum incipientium & Novitiorum eſſe; ſed & veteranorum, & eorum qui perfectionis ſtudio tenetur; quin imò illam horum magis eſſe propriam.

De interemption. Patrum qui erant in Sina, adfert Sur. 14. Ianuar.

2. S. Nilus Abbas, Joannis Chryſoſtomi olim diſcipulus, refert, veteres illos & rerum peritos Patres, aliter Novitios ac tyrones, aliter veteranos & adultiores inſtituere ac formare conſveviſſe. Novitios quippe docebant, temperantiæ & abſtinentiæ aſſiduè & in omnibus incumbere: qui enim à gula ſe vinci & transverſum abripi ſemel ſineret, hunc à luxuria carnali haud difficulter ſupplantandum verè & prudenter aſſerebant. Nam qui imbecilliori reſiſtere hoſti nequit, quomodo potentiori reſiſtat? quique hoſtem intra caſtellum recipit per abundantiam quomodo intus non periclitabitur? At ſeniores iidem commonebant, ut contra vanam gloriam & ſuperbiam identidem maximèque decertarent, & contra eam omni ſe contentione communirent. Quemadmodũ nautæ per mare navigantes, ſibi diligentiſſimè cavent à ſcopulis & ſirtibus portui vicinis: ſæpè namque videmus, eos, qui longiſſima navigatione fœlicem auram habuere, in portu periclitari: ita plurimi, cùm totum propè vitæ curſum felicem habuerint, ſecundo velut vento in virtutibus progreſſi, omnes ingruentes tentationes expugnando & ſuperando; tandem in fine, haud procul à portu diſtantes, ſuperioribus confiſi victoriis, & ſumma velut in ſecuritate agentes, quòd ſuperbierint, & negligentiùs ſe geſſerint, triſte fecêre naufragium. Ut navis, quæ tanto per mare circuitu rimas hactenus non egit, nec ſuccubuit, ſæpè in ipſo portu deficit, & naufragium facit: ſic ſe res habet, in hac vana gloria; ideo eam Sancti non inſcitè vocant *tempeſtatem in portu*: alii verò eam aſſimilant homini, benè quidem compactam, inſtructam, & mercibus omnigenis onuſtam navem habenti, ſed eam dein terebra perforanti, per quam aperturam paulatim penetrans aqua eam fundum petere cogit.

Vana gloria est tempestas in portu, & vanè glorians Navis perforata

3. Hæc itaque cauſa erat, cur priſci illi Patres incipientibus & Novitiis non præciperent, ut à vana gloria ſibi caverent, quòd hæc ipſis cautio minimè neceſſaria videretur: qui enim jam nuper è mundo veniunt, & ſanguine decurrente deformes, eò quod peccati vulnera adhuc hiantia, & nondum penitus obducta habeant; uberem ſui humiliandorum & confundendorum materiam ac ſegetem ſemper ſecum deferunt. Unde his potiùs conſulendum, ut ſe in abſtinentia, pœnitentia, & ſui confuſione quàm maximè exerceant. Veteranis autem, qui ſuæ delicta juventutis multis jam lacrymis, & diurnis ſuſpiriis expiarunt, magna vitæ ſeveritate ſe Deo reconciliarunt, & ſeriò hactenus virtutum exercitio incubuerunt, id genus monita prorſus ſunt neceſſaria. Incipientes igitur, qui ſolidas virtutes non habent; at paſſionibus, malisque inclinationibus adhuc pleni ſunt, quiq; nondum ſatis peccata ſua, & quòd Dei hacte-

nus

nus immemores vixerint, planxerunt; nullam penitus vana gloria se efferendi, quin potiùs insignem dolendi & erubescendi occasionem nisi insipientes sint, habent. Itaque confundantur & se humilient citissimè, qui cum plurima, ob quæ demissè de se sentiant, habeant adeò sunt vecordes, ut ob rem unam quæ eminet, & quam probè se egisse putant, superbiant & insolescant.

4. O quàm fœdè decipiuntur qui tales sunt! Si vel unico vitio aut defectu laboraremus, is satis esse deberet ad nos conscendendos & humiliandos: ut enim quid bonum dicatur, nihil desit oportet; ut autem malum dici possit, sat est si vel unum desit, juxta illud receptum vulgo dictum: Bonum non nisi ex integro, malum ex quovis defectu. Miserabile verò est hoc in nobis, in quibus planè contrà accidit: etsi enim tot malis & erratis scateamus, hæc tamen, ut humiliemur, minimè sufficiunt; sed si vel unum punctum, quod bonum nobis esse videtur, habeamus, id satis est ad nos efferendum, & ut ab aliis æstimari & magnifieri velimus. Atque hinc vanæ gloriæ malitia & versutia elucescit, cùm ipsa nemini omnino, cujuscunque sit conditionis, parcat, atque etiam sine ullo fundamento & causa hominem adoriatur. Unde S. Bernardus: *Ipsa est*, inquit, *in peccato prima*, ad nos supplantandum, *in conflictu postrema*, id est, post omnia demum expugnanda. Quapropter, fratres mei, inquit S. Augustinus, adversus hoc vitium pariter omnes armemur, & ad ipsum superandum junctis animis accingamur, uti Davidem fecisse colligimus, cùm diceret, *Averte oculos meos ne videant vanitatem.*

De ordin. vitæ & morum instit.

in Ps. 118.

Caput V.

Ab hoc vanæ gloriæ vitio sibi specialiter cavere debent, quibus ex officio incumbit proximis opitulari.

1. Tametsi cura necessitasque hujus vitii vanæ gloriæ declinandi, omnibus in genere hominibus incumbat, uti pluribus jam anteostendimus; qui tamen nostro vel ex officio, vel ex instituto, animarum salutem procurare & promovere debemus, particulari quadam necessitate ad circumspectè provideque nos hic gerendos obstricti sumus. Nostra siquidem munia ac ministeria sublimissima, evidentissima, totique orbi quàm maximè manifesta sunt; & quanto ea majora magisque spiritualia sunt, tanto ex una parte majus periculum subest, & ex altera gravius nostrum delictum foret, si nos ipsos in iis quæreremus, & hominum laudem & plausum captaremus. Ea quippe re efferremur & gloriaremur, quam Deus ipse maximi facit & æstimat, ipsis, inquam, gratiis & donis spiritualibus. Unde S. Bernardus: *Væ, qui benè de Deo & sentire & eloqui acceperunt, si quæstum æstiment pietatem; si convertant ad inanem gloriam, quod ad lucra Dei acceperunt erogandum; si alta sapientes, humilibus non consentiant.* Væ, inquam, illis, quibus datum est clarè de rebus divinis & spiritualibus tum sentire, tum loqui, sacras

Curam animarum gerentibus magis vitanda ambitio.

Ser. 45. in Cant.

sacras Scripturas intelligere, & cum plausu ad concionem dicere, si id, quod illis est ad animas Deo lucrandas, Deique gloriam & honorem extendendum ac dilatandum concessum, totum in seipsis quærendis, hominumque commendatione captanda impendant. *Paveant quod in Propheta Osea legitur: Dedi eis argentum, multiplicavi eis aurum, quæ fecerunt Baal,* nimirum ex eo sibi honoris & gloriæ idolum conflando.

Ose. 2. 8.

2. Huc S. Gregorius applicat illa Apostoli verba ad Corinthios scribentis, *Non sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed, sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur*: quem ipse locum bifariam exponit. Duobus, inquit, modis potest quis Dei verbum adulterare. *Primus* est, quando scripturam divinam aliter intelligit & exponit, quàm reipsa sonat, falsos & adulterinos ejus sensus, proprii spiritus judicio procudendo; cùm legitimus Scripturæ maritus & auctor ipse sit Spiritus Sanctus, isque verus ac germanus ejus sensus, quem ipse Ecclesiæ per Sanctos Patres ac Doctores ejus declaravit. *Alter* verbi Dei corrumpendi & adulterandi modus est is, qui ad propositum nostrum propriè facit. Hæc inter verum legitimumque conjugem & adulterum differentia est, quòd ille generare & habere filios intendat, hic verò suas duntaxat è concubitu furtivo voluptates & delectationes spectet. Pari modo, qui per verbum Dei, & officium quo fungitur, non tam quærit spirituales Dei filios gignere, (is namque finis est, ob quem id institutum est, juxta illud Apostoli, *Per Evangelium ego vos genui*) quàm suam delectationem, propriam consolationem, plausum acclamationemq́; vulgi, iste verissime verbum Dei adulterare censendus est. Qua de causa sancti Patres vanam gloriam etiam *spiritualis luxuriæ* nomine insigniunt, ob magnam, videlicet, voluptatem quæ ex ea percipitur, quæ quidem tanto carnali major est, quanto magis anima corpori antecellit. Non itaque carissimi verbum Dei adulteremus, sed nihil aliud in omnibus ministeriis nostris spectemus, quàm purum divinæ Majestatis honorem & gloriam, secundùm illam Christi Domini de seipso sententiam, *Ego non quæro gloriam meam, sed ejus qui misit me Patris.*

Li. 22. *Moral. c.* 17.
2. *Cor.* 2. 17.
Ambitio est adulteratio Verbi Dei.
Prædicatio verbi Dei duplex.
1. *Cor.* 4. 15.
Vana gloria spiritualis fornicatio est.
Ioh. 8. 50.

3. Relatu dignũ est & à nobis meritò imitandũ heroicũ facinus quod de Joab, exercitus Davidici Præfecto, narrat Sacra scriptura. Hic cum Rabbat Ammonitarum metropolim, in qua Rex ipse regniq; proceres commorabantur, obsidione sua ad eas angustias redegisset, ut ea jam certò potiturus videretur & occupaturus, nuncios ad Regem suum Davidem misit, quibus eum, quo res essent loco, certiorem fecit, & ut in castra quamprimùm veniret, urbemq; invaderet & expugnaret, invitavit. Cujus facti hanc ipse dat rationem, *Ne, cùm à me vastata fuerit urbs, nomini meo ascribatur victoria*, & sanè, uti suaserat, res illa gesta fuit cum Davidis gloria. Parem & nos Deo in omnibus operibus & ministeriis nostris fidelitatem debemus, nec unquam velle, ut fructus & animarum conversio, fe-

2. *Reg.* 12. 29.
Egregiũ facinus declinantis gloriam.

lixq; negotiorum successus nobis, sed omnia uni Deo ascribantur: *Non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Soli Deo, qui in cœlis habitat, *gloria* omnis est attribuenda: ita namque cecinerunt Angeli, *Gloria in altißimis Deo.*

Psal. 113. 9.

Luc. 2. 14.

4. S. Thomas Aquinas, ut vitæ ejus historia prodit, toto vitæ tempore nunquam sic à vana gloria fuit titillatus, ut ad culpam aliquam pertingeret: nec unquam sibi vanè ob excellentem scientiam, ingenium angelicum, aliaque dona & gratias à Deo datas complacuit, vel se extulit. Sanctus quoque P. N. Ignatius, ut accepimus, etiam multis ante obitum annis, ne leviter quidem inanis gloriæ tentatione afflatus fuit. Anima quippe ejus adeò erat à luce cœlesti, qua perfusus erat, illustrata, tantaque sui ipsius cognitio & contemptus in eo vigebant, nullum ut vitium minus, quàm hoc vanæ gloriæ pertimesceret.

Exemplũ S. Thomæ. Surius.

Et S. Ignatii. Lib. 5. c. 3 vitæ.

Nostrum est ejus exemplum imitari, atque erubescere & confundi, quòd in rebus etiam vilibus & parvis, ab inani vanæ gloriæ flabro nos abripi sinamus: Ecquid erit, cùm tibi singularem quandam doctrinam inesse, cùm in illis quendam celebrem te concionatorem evasisse, cùm excellentem animarum fructum facere videbis? quid, quando ob hæc à Principibus, Prælatis, atque adeò mundo universo, celebraberis, & magni fies? Necesse proinde est, ut in rebus minutis hominum laudes & præconia parvi facere, & nullis humanis respectibus moveri assuescamus in minoribus constituti officiis, ut id postea in majoribus, cùm necesse fuerit, facere noverimus.

CAPUT VI.

Aliquot contra vanam gloriam remedia proponuntur.

1. S. Bernardus serm. 14. in Psal. *Qui habitat*, hunc versum ejus, *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*, exponens; ostendit, quemadmodum horum animalium alia dentibus, alia afflatu, alia unguibus nocent, alia rugitu suo consternant: ita diabolum, invisibilem alioquin omnibus hisce modis hominibus nocere solere; atque adeò animalium proprietates diversis tentationibus & vitiis, quibus dęmon nos oppugnat, accommodat. Ad basiliscum veniendo sic loquitur, De basilisco res mira & inaudita refertur, tale scil. eum visu venenũ homini afflare, eum ut enecet: quam dein ipse proprietatem vanæ gloriæ scitè adaptat, juxta illa Domini verba, *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*: perinde ac si diceret, cavete ab oculis basilisci. Notandum verò, quòd eum tantùm serpens regulus interficere dicatur, quem ipse prior conspexerit; at, si à te ipse priùs conspiciatur, adeo tibi damnum non inferat, ut ipse tuo è conspectu emori dicatur. Sic à vana gloria nullos alios, ait, perire, quam cæcutientes & negligentes, ab eaque conspici gestientes, nec ipsam priùs in facie intueri sustinentes, considerando

Ps. 90. 13.

Primum Remediũ nosse vanitatem gloriæ humanæ.

Plin. lib. 8. c. 21. & lib. 29. c. 4.

Matth. 6. 1.

Vana gloria est basiliscus Prævisa, non nocet. Non prævisa, nocet.

rando

rando scil. quàm vana, fallax, inutilis sit vana gloria. Si enim hoc modo hunc vanæ gloriæ basiliscum primò intueremini, minimè vos ille perimeret, nec ullum detrimentum inferret; sed ipsum penitus opprimeretis, itaq; destrueretis, ut in fumum abiret.

Vana gloria noscitur in se ipsa.

2. Hoc itaque primum adversus vanam gloriam remedium esto, Ut ipsi primò hunc basiliscum intueri procuremus, attentè, inquam, & seriò consideremus, & examinemus, ipsam hominum opinionem & æstimationem nihil esse præter pauxillum venti & vanitatis; cùm ex ea nihil nobis accedat, aut decedat, nec propterea futuri simus meliores, quòd ab iis laudemur; nec deteriores, quòd nos maledicant & persequatur. S. Chrysostomus in illud Psalmographi, *Quoniam tu benedices justo*, scribens, egregiè hoc declarat, & his verbis animari ait justum, qui ab impiis exagitatur, & calumniis proscinditur, ne, videlicet, animum propter eas despondeat, sed eas contemnat & rideat. Quid enim illi omnium omnino hominum explosio & despectus noceat, si ipse Angelorum Rex illi benè dicat, eumque dilaudet? Sicut contrà, non benedicente Deo, nec laudante, nihil illi proderit, quāvis alioquin totus terrarum orbis ejus laudum præconem agat, & deprædicet. Quam in rem adfert exemplum S. Jobi, qui etsi sederet in sterquilinio, ulceribus putiscentibus, plagis, lanie, vermibus scatens, ab amicis simul ac inimicis, nec non à propria conjuge vexatus & irrisus; illis omnibus tamen longè fuit beatior. scilicet, *quoniam Deus ei benedicebat*; nam, maledicentibus licet & calumniantibus hominibus, benè de eo Deus sentiebat, hocque de eo testimonium dabat, *Erat vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam.* Atq; unica hæc Dei de eo opinio, faciebat eum verè virum magnum; hominum verò ludibria, & mundi totius explosio, ne hilum quidem illi demebant. Concludit itaque Chrysostomus, in id solum tota nobis contentione & viribus incumbendum, ut à Deo & coram Deo magnifiamus & æstimemur; nam hominum æstimatio nihil nobis aut demit, aut addit; proinde eorum judicium parum nobis curandum. Dicebat Apostolus Paulus, *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die*, id est, ab hominibus: iis placere non concupisco, sed uni Deo, is namque meus est judex: *qui autem me judicat, Dominus est.*

Ps. 5. 15. Item ex opposito suo, quod est calumnia.

Iob. 2. 3.

Iob. 1. 1.

1. Cor. 4. 3

De informat. Novitior. Vtilitas opprobriorum præ vana gloria.

3. Aliud his adjungit S. Bonaventura: dicit enim: Non te conturbent tibi maledicentes aut obtrectantes: quod enim de te dicunt, aut verum est, aut falsum, Si verum, haud mirum, id eos audire dicere, quod tu ausus es admittere; si falsum, nihil tibi nocere poterunt. Si nihilominus propter hoc iracundiæ indignationisque motus sentias, æquanimiter id feras, uti qui ferro candenti sibi cauterium inuri patitur: nam sicut cauterium plagam persanat, pari modo calumnia hæc occultam quandam, quæ in te fortasse latet, superbiam curabit & auferet.

Secundũ remediũ tacere de seipso.
Serm. de exerc. monast.
Inform. mula: honestæ vitæ.

4. Alterum, huic malo permultum conducens, medium nobis suggerunt SS. Basilius, Gregorius, Bernardus, atque omnes generatim sancti scriptores; diligenter scil. nobis cavendum esse, ne qua verba loquamur, quæ in nostram laudem & commendationem possint tendere: *Nihil unquam de te loquaris, quod laudem importet; quantumcumq; sit familiaris ille cum quo loqueris, imò plus labora celare virtutes quàm vitia*: Hac in parte exactus & circumspectus admodum fuisse dicitur R. P. M. Auila: unde si quando aliquæ utilitatis & ædificationis causa, ei qui cum loquebatur, aliquid ædificatorium piumque enarrandum putabat, quòd sibi aliàs contigerat; id velut de tertio quodam ita referebat, ut alter illud de Auila dici minimè intelligeret.

M. Auilæ Humilitas.

Ferdinãdus Triciùs Ep. Auriensis postea Salmanticens.

5. Episcopus in Hispania de S. P. N. Ignatio, sibi olim Parisiis familiari, nobis narravit, quòd aliquando, cùm de oratione ageret apud alios, ejusq; usum doceret & suaderet à nonnullis rogatus, quonam modo ipse orationem instrueret; respondèrit; *Hoc non dicam, sed id tantum quod de ea scire vestra interest: hoc namq; caritatis & necessitatis est, illud vanitatis*. S. quoque Franciscus ita se hac in parte cautè gessit, ut non solùm aliis patefacere nõ auderet gratias, &, quibus à Deo perfundebatur, delicias, verũ etiam quoties ab oratione surgebat, tanta dissimulatione & moderatione, tum in verbis, tum in reliquo corporis gestu & compositione uteretur, ut quod in corde ejus latebat, exteriùs nemo notare posset.

S. Ignatii modestia.

S. Francisci dissimulatio.

Tertium medium, Occultare bona opera.

6. Tertium medium est, ut satis nobis nõ sit nihil dicere, quod in laudem & commendationem nostri cedat, sed insuper bona quæ agimus opera, quoad ejus fieri poterit, supprimamus, juxta illud Domini in Evangelio monitum, *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito.* & *Te faciente eleëmosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua*, perinde ac si diceret, Ne ipse quidem eam erogans (si fieri posset) id nosse deberes: *Cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava*; id est, majorem quàm aliàs, hilaritatem & serenitatem vultus, ac velut in die festo, præ te feras; *ne videaris hominibus jejunans*. Nam, teste S. Hieronymo, Palæstinis sollemne fuit, in festis diebus caput inungere. Quoniam ergo magna vitii hujus subtilitas est, idcirco Redemptor tantoperè jubet ut ipsum caveamus & declinemus, opera nostra in abscondito faciendo, ne omnem eorum fructum amittamus, neve iste vanæ gloriæ fur ea nobis surripiat. Sic solent, inquit, Gregorius, viatores, quas secum ferunt pecunias, occultare: si enim eas in apertum proferant & ostentent, iis prædo insidiabitur & deprædabitur. Atque hujus occasione adducitur quod Ezechiæ Regi Judà contigit: qui quòd domus suæ thesauros Regis Babylonii legatis ostendisset, illis postea per eos est spoliatus, qui eos Babylonem avexerunt. Huic quoque rei benè quadrat similitudo à gallina vulgo petita, quæ, quia ovo posito glocitat, ipsum amittit; ita contingit iis, qui

Mat. 6. 6.
Matt. 6. 3.
Matt. 6. 17.
4. Reg. 20. 17.

cùm

cum bonum aliquod opus fecerunt, quamprimum cupiunt id ab aliis videri, quædam quoque interdum proferunt verba, è quibus id aliquis emunctis naribus subolfaciat.

Lib. 2. Moral. c. 9. Quartũ remediũ cõtra vanam gloriam: occulta opera manifestis adjicere.

7. Verus Dei famulus ab hac vanitate tam procul abest, ait S. Gregorius, ut contentus non sit in eo opere, quod hominibus jam cognitum esse potuit, consistere, (quoniam ejus remunerationem & mercedem se jam accepisse putat) sed etiam alia iis opera, quæ homines lateant, superaddere studeat: *Iam enim*, inquit, *de bonis suis quasi retributionem sibi factam æstimat, nisi eis & alia quæ ab hominibus nesciantur adjungat.* S. Hilarion, ut refert Hieronymus, tantam ad se hominum multitudinem assiduè confluere, & ob plurima, quæ patrabat miracula, magni se ab omnibus fieri videns, maximopere indolebat, & suam infelicitatem indies deplorabat. Lacrymarum verò & tristitiæ insolitæ causam sciscitantibus discipulis, respondebat Hilarion, *Videtur Deus mihi jam in hac vita, fratres rependere parva illa quæ ei obsequia defero, hac hominum æstimatione.* *In ejus vita.*

Quintũ remediũ, De laude humana dolere.

8. Est hæc alia ratio, & novum quoddam medium, inprimis ad istuc hoc à nobis vitium propulsandum. Cave, ne ab hominibus magni fieri & æstimari velis; cave ne id, quod fecisti fortasse boni, hac tibi mercede Deus in hac vita retribuat. Sic enim facere solet, uti ex iis, quæ diviti epuloni ipse respondit, colligere licet. *Fili, inquit, recordare, quia recepisti bona in vita tua.* *Luc. 16. 25.* Hæc item, inter cæteras, causa est, ob quas consulunt Sancti, ut singularitates & extremitates omnes remis velisque fugiamus. Quoniam extrema, præter communem consuetudinem & inusitata sunt; hinc inprimis notantur, multisque & cogitandi & obloquendi materiam præbent. *Qui facit quod nemo, mirantur omnes.* Hæc quemdam vanæ gloriæ & superbiæ spiritum producere solent; & inde aliorum contemptus & despectus enasci consuevit.

Sextum remediũ. Fugere singularia.

Gerson. & Guliel. Paris.

Septimũ medium, in apertis pura intentio.

9. At, quoniam opera nostra bona non semper abscondere possumus, ac cum primis nos, quibus ex officio incumbit iisdem proximum jurare, aliud hoc remedium esto, ut nostram in iisdem intentionem rectificare studeamus, cor, videlicet, nostrum ad Deum sustollendo, omnesque nostras cogitationes, verba & opera, uti mox ostendemus, ei offerendo & deferendo: cumque post hos conatus nihilominus vana gloria subrepere tentat, dicamus ei, ut suadet R. P. M. Avila, *Serius venis; jam opus totum Deo dedicatum & transscriptum est.* *Tom. 2. epist. fol. 59.* Utile quoque fuerit respondere, quod aliàs S. Bernardus, quando illi prædicanti hæc vanæ gloriæ cogitatio incidit, *Hem, quàm bene dicis, Bernarde!* respondit, *Nec propter te cœpi, nec propter te desinam.* *In vita S. Bernardi.* Neque enim ob vanæ gloriæ metum bona sunt opera intermittenda; id namque gravissimus foret error, & mera deceptio; sed aures nobis sunt ad laudum humanarum præconia obturandæ, ut eas nec audire, nec curare videa-

Vanæ gloriæ metu bona opera non sunt omittenda.

videamur. Ita nos S. Chrysostomus cum mundo agere vult, ut pater quispiam discretus cum parvulo filio: parum hic laborat, utrùm ab eo laudetur, an vituperetur, & contumeliosis nominibus appelletur; imò ridet, quia puer est, & quid agat, nescit. Sic nostrum est, laudes mundi, & ea quæ homines dicent, parum morari: in hoc enim mundus instar pueri est, & nescit, quid dicat. Majus aliquid dicebat magnus ille Indiæ Orientalis

Lib. 6. c. 19. vitæ. Apostolus S. Franciscus Xaverius, nimirum, *eum, qui peccata & imperfectiones suas, & quod verè ante oculos Dei est, attentè consideraret, si quando ab hominibus laudatur, cogitaturum ab illis se rideri, & laudes has & applausus ceu veras contumelias & injurias irrogatas habiturum.*

Vltimũ medium. Cognitio sui.

10. Concludamus ergo cum isto, & sit ultimum remedium, suiipsius vera cognitio, antidotum adversus hanc vanæ gloriæ pestem præsentissimum, si enim nos ipsos profundè penetraremus, & perfectè perspiceremus, videremus haud dubiè, nihil nobis inesse, ob quod vanè gloriemur; at permulta, ob quæ confundamur & nos humiliemus: quia erroribus & sæpè peccatis plenissimi sumus: & si non solum mala & peccata nostra, sed etiam opera, quæ nobis optima justissimaque videntur, benè, & ad libellam consideremus & examinemus, plerumque nimiùm quantum materiæ & occasionis nos humiliandi, erubescendi, & confusionis reperiemus. Vnde S. Grego-

Lib. 6. Moral. c. 11. ut sæ- rius (quod & variis in locis repetit) sic loquitur, *Omnis humana*, nostra *justitia*, quidquid, inquam, commu- *pè, inquit, diximus lib. 17. c. 10. lib. 9. c. 18.* niter nos à parte nostra, & habemus, & facimus, si in divinæ justitiæ statera appensum, *districtè*, & in rigore *judicetur, injustitia esse cōvincitur: si enim remotâ pietate discutimur, opus nostrum pœna dignum est quod remunerari præmiis præstolamus.* Ac propterea S. Iob semper *se vereri*, & timidè ac circumspectè omnia sua agere testatur, ob culpas, nimirum, & imperfectiones, quæ in illis, quando quis sedulò non advigilat, nec super seipsum excubat, intercurrere, seque immiscere solent. *Verebar*, inquit, *omnia opera mea.* *Iob. 9.* Quæ cum ita sint, quid est quòd superbiamus & inflemur? quid vanâ gloriâ efferimur? cum, si accuratè vesperi nos examinemus, & rationem tota die actorum exigamus, magnam in nobis miseriarum, peccatorum, & culparum in loquendo, operando, cogitando commissarum, omissorum item bonorum plurimorum: ac, si quod, per Dei gratiam bonum egimus, id à nobis ut plurimum superbiâ, vanâ gloriâ, socordiâ & negligentiâ, aliisque id genus nævis & imperfectionibus, quas novimus, multò etiam pluribus quas ignoramus, quas tamen subesse minimè dubitamus, aspersum & coinquinatum esse. Nos ipsos itaque ingrediamur, & quid simus, inspiciamus; pedes nostros, ipsam, inquam, operum nostrorum turpitudinem intueamur, & statim omnis vanitatis ac superbiæ typhus, qui in cordibus nostris exsurgit, omninò detumescet.

CAPUT VII.

De bono fine & intentione in operibus nostris habenda.

Purificādas esse intentiones nostras.

1. OStendimus, quomodo in iis quæ agimus, vanitas, & omnes intuitus humani fugiendi sint; atque hoc est à malo divertere: nunc de fine & intentione quæ in iisdem habenda, *Majore*, inquam, *Dei honore & gloria*, tractabimus. Huic proposito S. Ambrosius adaptat id, quod naturalium rerum scriptores de aquila scriptum prodidere; hæc scilicet explorare volens pulline spurii sint, an verò aquilina stirpe digni & legitimi, eos ex ungue suspensos tenere in aëre, solaribusque radiis, exponere consuevit: tunc, quicumque oculo irretorto, & non connivente obtutu intuentur, eos ut legitimos agnoscit, in nidum reponit, educat, & esca conquisita, ut prolem minimè spuriam, nutrit: at, quos ad solare jubar connivere perspicit, eos ut degeneres ex alto præcipites dejicit. Pari modo in hoc, veri legitimique Dei filii esse deprehendemur, si verum *justitiæ solem*, qui Deus est, fixè intueamur, ad ipsum, scilicet, quidquid agimus dirigendo; sic, inquam, ut unicus omnium operum nostrorum finis & scopus sit, Deo placere & gratificari, atque in iis sanctissimam ejus explere voluntatem. Optimè his consonat, quod Redemptor Iesus in Evangelio dixit, *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.*

Lib. 5. Hexam. c. 18. & lib. de Salom. c. 2.

Matt. 12. 50.

2. Quidam, de priscis illis eremi cultoribus, ad singula, quæ auspicabatur, opera, paulisper tacitus subsistebat; rogatus verò quid ageret, respondebat: *Opera ipsa ex se nihil valent, nisi bono fine & intentione fiant, proinde, quemadmodum sagittarius, ut scopum feriat, parumper ante subsistit, oculos colligens, & in illum visu collineans; sic & ego, antequam opus bonum aggrediar, ipsum ordino, & intentionem meam ad Deum, (qui omnium operum nostrorum, & scopus & finis esse debet) dirigo: atque hoc est quod ago illo tempore, quo ante opus me quietum videris subsistere.* Hoc & nos agere par est. *Pone me ut signaculum super cor tuum.* Atque ut jaculator, quo meliùs & certiùs scopum attingat, oculum sinistrum occludit, & solo dextro collimat, quò scil. visus sit collectior, nec sparsus à linea recta distrahitur, atque ita à scopo aberret: simili modo sinister respectuum humanorum & terrenorum oculus nobis claudendus, at dexter duntaxat, bonæ scil. rectæque intentionis, aperiēdus est: atque ita fiet, ut scopum hunc, & ipsum ejus centrum, cor inquam Dei, simus tacturi. *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.*

Vitæ Patrum.

In communi purificatur intentio per brevem collectionē ante op9.

Cant. 8. 6

Cant. 4. 9.

3. Vt verò clariùs loquar, & ad particularia singillatim descendam, dico, nobis connitendum esse, ut actualiter omnia nostra opera ad Deum referamus & dirigamus. In hac autem oblatione locum habet Majus & Minus. *Principio ergò, manè* cum è lecto surgimus, diei totius cogitationes, verba, & operationes sunt

In specie purificatur intētio, Manè.

sunt Deo offerendæ, ipseq; rogãdus, ut hæc omnia in honorem & gloriam suam admittere dignetur, ut, cum postea vana gloria se ingesserit, verè respondere possimus, *Sero venis, jam alteri hoc opus transscripsi.* Præterea, satis nobis esse non debet, actualiter Deo, dum manè surgimus, offerre, & ad eum referre quidquid eo die acturi sumus, sed etiam assuescamus oportet nullum omnino opus per diem auspicari, quantum quidem fieri potest, quod non priùs actualiter ad majorem Dei gloriam retulerimus. Sicut faber murarius & latomus, dũ aliquid construunt, regulam, amussim & perpendiculum ad manum habent, & ad singulos penè lapides atq; laterculos, quos collocant, ipsum consulunt; pari modo nos, quidquid agimus, ad hanc voluntatis & majoris gloriæ Dei libellam & normam dirigamus & componamus oportet. Ad hæc, ut satis non est, semel initio regulam adhibere; sed tamdiu eam applicat, donec tandem saxum rectè locetur: sic minimè nobis sufficere debet, semel sub initium, opera quæ facimus, Deo dedicasse, sed etiam interim dum iis occupamur, sic ea faciamus, ut semper ea Deo offeramus, dicendo, *Propter te Domine istud ago, quia tu id mihi præcipis, quia hæc est voluntas tua.*

Item initio cujusque operis.

Caput VIII.

Declaratur quo modo actiones nostras magna rectitudine & pura intentione faciamus.

1. Vitæ spiritualis Magistri declaraturi, qua ratione opera nostra perfectissimâ & purissimâ quadam bonæ intentionis formâ imbuere possimus, subtili & scita hoc ipsum similitudine ostendere solent. *Sicut*, inquiunt, *Mathematici numerorum, mensurarum & ponderum tractatores semper abstrahunt à materia*, id est materiam ipsam seu naturam rerum numerandarum &c. parum curant, sed de solis corporum quantitatibus & figuris laborant; de materia, nimirum, ex qua illa constant, sive aurum ea sit, sive argentum, vel alia quælibet, nihil omninò disputantes, quod horum consideratio ad eos nequaquam pertineat, sed ad Physicos & naturæ indagatores: ita Dei famulus in iis, quæ aget, operibus id potissimùm spectare debet, ut unius Dei voluntatem faciat, ab omni materia præscindendo; non intuendo, inquam, sine ea ex auro, an creta, id est, non respiciendo, an huic officio applicetur, an illi; utrum hoc ei mandetur, an aliud: in eo namque profectus & perfectio nostra sita non est, sed in solo Dei beneplacito exequendo, ejusque gloria in eo quod acturi sumus, quærenda. Præclarè hoc ostendit S. Basilius, idque juxta Apostoli Pauli doctrinam: *Victus ac ratio vivendi hominis Christiani unum scopum sibi propositum habet, nempe gloriam Dei; sive enim cibum capessitis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite; inquit in Domino verba faciens Paulus.*

1. Mediũ rectificãdi intentione est sub Dei beneplacito singula acceptare.

Orat. 16. de ingluvie & ebrietate.

1. Cor. 10. 31.

2. Idipsum pulchrè nos docet Dominus, nam interim dum Christus Domi-

Docet hoc me-

diū Mag. noster Christus. *Ioan. 4. 31.* Dominus, ex itineris labore defatigatus & defessus cum Samaritana loqueretur, & discipuli in oppidum proximum abierant cibos empturi, quòd prandii hora jam effluxisset, & seriùs esset: ideoque allatis jam cibis, hortarentur Magistrum dicendo, *Rabbi manduca*; respondit ipse, *Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis*. Quærentibus inter se, *Nunquid aliquis attulit ei manducare?* subjecit ei Dominus, *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me*, quibus verbis brevissimè formam rectificandarum intentionum præscripsit. Hic itaque in omnibus, quas acturi sumus, rebus, noster esse debet cibus; quando enim in litterarum studia incumbis, quando confitentibus aures præbes, quando doces, quando ad populum verba facis, cibus tuus non sit ea, quæ è scientia, studiis, prædicatione capitur, voluptas: hoc enim esset relicto croco amplexari lutum; at cibus, voluptas, & delectatio tua, Christiane, maximè Religiose vel spiritualis, esse debet, *quòd in his Dei voluntatem exequaris, cupientis, ut istbæc facias*. Hoc item tuus esse cibus debet, cum domesticis officiis occuparis. Adeò ut eundem cibum & refectionem habeat janitor & infirmorum curator, quem concionator & professor; ac proinde tam tu tuo contentus esse debes officio, quàm ipse suo: quia hujus causam tu æquè habes ac ille, quæ est voluntatem Dei facere, cum boni instar Mathematici, vel ingeniarii artificis in opere materiali sistere non debeas, sed potius in ejus forma; quod in hoc voluntatem Dei exequaris. Quapropter semper cum ore, tum corde, hæc volvenda nobis sunt verba: *Propter te Domine, & propter gloriam tuam, & quia ita cupis, hoc facio.*

1. Mediū rectificā. di intentione est sub Dei beneplacito singula acceptare.

Orat. 16. de ingluvie & ebrietate. 1. Cor. 10. 31.

Docet hoc me-

3. Nec antè hoc intermittere exercitium, aut quiescere debemus, quàm eò perveniamus, ut ita opera nostra faciamus, (ut ait Apostolus) *servientes sicut Domino, & non hominibus*: & donec sic ea faciamus, ut in iis semper actualiter Deum amemus, & in animo lætemur, quòd hic Dei voluntatem faciamus: adeò ut quid operaturi, amare potiùs quàm operari videamur.

Constanter hoc medium est retinendum. *Eph. 6. 7.*

4. Obvia quidem, sed egregia similitudine id declarat P. M. Avila. Materfamilias dum filio suo aut marito peregrè venienti impendit obsequium, aut cibos apponendo aut lavando pedes, simul & illi famulatur & diligit, gaudet, exultat, & voluptatem capit ex eo, quod illi impendit, obsequio & refocillatione. O si nobis daretur ita quoque opera nostra facere lætantes! Vtinam absconditum hunc in agro thesaurum inveniremus, ex una parte quidem tam manifestum & patentem, ex altera vero tam tectum & occultum! Quam tunc spirituales essemus! quàm in spiritu & rebus interioribus proficeremus! Hæc vera & certissima est alchymia, illa ab hominibus disputata ars, qua præparamur, ad purissimum, ex ære & ferro &c. metallis vilibus, aurum conflandum: licet enim opus ex se

Tract. 6. c. 4. & tract. 8. c. 4.

sit vilissimum, hoc modo fit sublimissimum maximique valoris.

5. Demus igitur posthac operam, ut quidquid egerimus, purissimum sit aurum, um adeò facilè, & vix ullo negotio id facere possimus. Illa est enim verissima ars incrustandi cuncta auro, ut in Salomone, cujus industria in Sancto sanctorum, & templo Salomonico omnia erant vel ex auro, vel auro cooperta: sint omnia nostra pariter, ut esse debent amor Dei, vel propter amorem Dei facta, & ecce cuncta erunt inaurata à nobis.

3. Reg. 6. 19 & 21.

Caput IX.

Causa cur aliquando distrahamur, & parum proficiamus, non sunt exteriores occupationes; sed quòd eas prout oportet, non aggrediamur & peragamus.

Remedium primum contra inquietudinem negotiorum, est voluntatis div. agnitio.

1. Ex jam dictis facilè patebit, cur aliquando per exteriores occupationes distrahamur, nec in spiritu proficiamus, causam non tam in ipsis consistere occupationibus, quàm in nobis ipsis, quòd aliquam ex illis utilitatem nobis decerpere, & eas, prout deberemus, agere nesciamus. Nullus ergò rei hujus culpam occcupationibus suis ascribat, sed sibi uni, qui fructum ex iis colligere nescit. Nucem frange; neque enim externum putamen comestioni est natum, sed interior nucleus. Si in exteriori operis superficie & cortice hæreas; & corpus atteres, & spiritum extingues. Qui introrsum latet, nucleus & medulla, ipsa, inquam, Dei voluntas, in cunctis negotiis tuus sit cibus oportet. Considerationis itaque dentibus hanc testam frange, & exteriore cortice abjecto, intrò ad medullam penetra; sicut grandis illa Ezechielis aquila, quæ interiora petens, cedri medullam eduxit, in cortice superficiali minimè subsistens. Ezech. 17. 3. *Holocausta medullata offeram tibi*, ajebat psaltes, hoc est, Deo offerendum, est quod interius in occupationibus latet, atque ita anima tua jugiter proficiet, & semper accrescet. Ps. 62. 15.

Remedium 2. contra eandem est oratio.

2. Martha & Maria sorores sunt; una non turbet, nec impediat alteram; sed invicem adjuvent. Oratio conducit & subvenit, ut exterior actio benè fiat, & actio prout par est facta orationi adminicula præstat, quasi invicem sorores. Si itaque te in actione turbatum & inquietum sentis, causa est, quòd Maria, oratio inquam, te non adjuvet. *Martha, solicita es, & turbaris erga plurima.* Turbatur Martha, quòd soror Maria ipsi non opituletur. *Dic ergo illi ut me adjuvet.* Da operam & cura, ut Maria, quæ est oratio, tibi opem præstet: & videbis turbationem omnem statim cessaturam. Luc. 10. 46.

3. Remedium distractionum in negotiis contemplatio.

3. Sancta illa Ezechielis animalia suam singula manum sub ala habuisse dicuntur: ad insinuandum, viros spirituales manum actionis sub ala contemplationis continere, unam ab alia non separando, quòd inter operandum contemplentur, & contem-

templando operentur. Sic veteres illos Ægypti monachos tradit Cassianus, quamvis manibus operarentur, mentem tamen semper in Dei contemplatione intentam habuisse; manibus quidem officium Marthæ, corde verò Mariæ partes adimplendo. Præclarè hoc ostendit S. Bernardus his verbis: *Hoc maximè curant spiritualibus exercitiis dediti, taliter se circa exteriora occupare, ut devotionis spiritum non exstinguant; unde licet extrinsecus bonorum operum exercitiis fatigentur in corpore, intrinsecus tamen reficiuntur in mente.* Adeò, ut exterioribus occupationibus interior recollectio & devotio minimè impediatur, at potiùs adjuvetur; illæ enim intellectum non penitus occupant, sed ita liberum esse sinunt, ut interim nihilominùs de Deo rebusque divinis possit cogitare. Vnde quidam de antiquis nostris Patribus Hieron. Nætalis vir admodum spiritualis, dicere solebat, duobus hominum generibus in hac Religione se invidere: primò Novitiis, quòd nulli alii rei, præterquam uni spirituali profectui, vacent & intendant: deinde fratribus domestica officia obeuntibus, quòd liberam & exoneratam studiis & curis mentem habeant, ut tota die orationi possint intendere.

Cassianus

Serm. ad solitar.

4. Refert Climacus, se in cocum monasterii cujusdam incidisse, qui esto magnis multisque occupationibus distineretur (erat enim ingens Monachorum isto in Cœnobio numerus, utpote qui ad triginta supra ducentos facilè pertingeret, præter hospites peregrè indies adventantes) animum tamen intus mirè recollectum & in Deo defixum habebat, insuper, donum lacrymarum obtinuerat. Quem admirans Climacus, sciscitatus est quomodo in tanta tamque assidua occupatione & actione tantam sibi mentis quietem parare potuisset? qui primum tergiversatus, tandem acriùs urgenti, respondit, *Nunquam me credidi hominibus servire, sed Deo, semperque me indignum censui, cui requies ulla & operis intermissio concederetur. Hic verò ignis materialis mihi ob oculos versans, assiduè mihi lacrymas excutit, deque ignis æterni acerbitate meditari cogit.*

4. Remedium, Ascensio mentis in Deum ex negotiorum materia.

5. S. Catharinam Senensem parentes (uti ejus in Vita refertur) importunioribus precibus ac minis urgebant ut matrimonium iniret: eò verò eorum processit persecutio, ut omnem ei locum secretum & cubiculum, in quo mentem cum Deo conjungeret, ademerint, eamque domesticis ministeriis jugiter occuparint, servam etiam rem culinariam tractantem à culina amoverint, inque ejus locum filiam surrogarint: ut hoc pacto illi commodum & ad orandũ, & reliqua sua spiritualia exercitia obeunda, tempus & locum eriperent. Sed ipsa à Spiritu sancto edocta, secretum quoddã intra cor suum conclave, & cellam spiritualem sibi construxit, secumq; statuit nunquam ea egredi, quod & præstitit, ita quidem, ut, cum in primo, quod habebat, cubiculo aliquando intus ageret, aliquãdo inde egredi cogeretur, ex hoc tamen spirituali conclavi nunquam

Catharinæ Senẽsis ascensio & cõtemplatio utilis in negotiis.

egrederetur; ac primum illud parentes quidem abstulerint, secundum hoc auferre ei nemo potuerit. Cogitatione quippe sibi fingebat, videre se *in patre suo Iesum Christum, in matre genitricem virginem Mariam; fratres, & reliquos domesticos, Apostolorum ac discipulorum Domini personam repræsentare.* Itaque magna quidem hilaritate & diligentia ministerium injunctum adimplebat: in culina quippe famulares hasce partes agens, semper de sponso suo Iesu Christo cogitabat, ei se famulari existimans, Deique præsentia ubique fruebatur, & cum eo in Sancto sanctorum versebatur. Vnde & ipsa sæpè suo confessario, multis temporalibus & exterioribus occupationibus distento, vel aliquò iter facturo suadebat, ut cellam sibi quamdam intra cor construeret, è qua nunquam exiret. Id ipsum & nos imitemur, & officia exterioresque occupationes adeò nos non distrahet, quo minùs semper contemplationi, ascensionique ac orationi intendamus, ut ad eam non mediocre etiam subsidium sint allaturæ.

Caput X.

Quàm fructuosum & utile sit, eo, quo diximus modo, opera sua peragere.

Ars diu vivendi.

Iur. illud Isa. c. 38. 10. Ego dixi: in dimidio

Lib. 35. Mor. su. per istud Iob. 42. Mortuus est plenus dierum.

Sap. 4. 13.

1. OPera eo, quo dictum est, modo facta, dicuntur *opera plena*: quiq; sic vivunt, dicuntur in Scriptura sacra, ut S. Hieron. & Gregor. docent, *vivere dies plenos*, & *pleni dierum* esse: & quidem, etsi vitæ suæ curriculum citò finiant, & juvenes demoriantur, juxta illud Sapientis, *Consummatus in brevi explevit tempora multa.* Quomodo verò quis parvo tempore simul diu vivere, & multos explere annos queat? Nostin' quomodo? Faciendo opera plena, & dies plenos vivendo. *Et dies pleni invenientur in eis.* Secundus hic locus elucidat primũ. Ab exortu diei in vesperam usq;, & à vespera in auroram diei sequẽtis, bonus Religiosus & Dei servus, plenum viginti quatuor horarum diem vivit, quod eum totum divinæ voluntati adimplendæ impendat. Comedere quippe, interquiescere, necessarium corpori somnum indulgere, non sunt illi instar operum quibus non mereatur: sed hæc omnia ad majorem Dei honorem & gloriam refert ac dirigit; ideoque ea obit, quòd hæc ab ipso Deus fieri velit; neq; enim comedit, ad voluptatem ex cibo captandam, pecudum ac brutorum more; & tantum abest, ut suam in hisce rebus consolationem & recreationem quærat, ut is etiam carere vellet, si vellet Deus, ejusque foret beneplacitum. Idcircò ingemiscit intra se. *Vtinam Domine sine cibo, sine somno, sine his recreationib. & animi relaxationib. homo posset vivere! Vtinam te semper amare! Vtinam ad hasce corporis miserias opus non haberet recurrere! De necessitatibus meis & miseriis his erue me; ut in te tuoque amore semper conquiescam. Sed video id non esse præsentis vitæ.*

Ps. 72. 10

Piorum desideria ad Deum aspirãtia.

Ps. 24. 17.

2. Cæterùm miseriam hanc patienter quidem justus fert, at non sine dolore. Doceant nos Iob & Regius Propheta:

pheta, quomodo corporales has necessitates sustinuerint. Ille dicet, *Antequam comedo, suspiro* Hic verò, *Potum meum cum fletu miscebam*; &, *Lavabo per singulas noctes lectum meum, & lacrymis meis stratum meum rigabo.* Ipsum & nos facere oportet, & cubitum cōcessuri lacrymas profundere, ac dicere, Ah Domine, quid necesse me est tam diu hîc sine tui recordatione esse? *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est!* quamdiu hæc mea captivitas durabit? quando hoc tandē exilio liberabor? quando servitutis hujus jugum à collo meo excutietur? *Educ*, quæso, *de custodia animam meam.* quando tandem, Domine, è carcere corporis hujus me educes, ut totum me tibi mancipem? ah, quando id fiet? quamdiu illa hora differtur? Hæc, scilicet; sunt opera plena, & dies pleni; atque hoc pacto justus, etsi brevissimo tempore, diu tamen vivit, paucique vitæ dies, multi sunt anni meritorum. At qui benè non est operatus, nec vitæ dies debitè impendit, tametsi longo tempore vixerit, multorūque sit annorum, dierum vacuus mori dicitur. *Habui menses vacuos*; quòd dies & annos vitæ incassum, ac sine ullo merito effluere siverit: vnde dicere non immeritò potest, *Dies annorum meorum pauci & mali sunt.*

Iob. 3. 24. Ps. 101. 10. Ps. 6. 7. Ps. 119. 5. Ps. 141. 8.

Vacuus dierum quis. *Greg. lib. 35. Moral. c. 15. Iob. 7. 3. Gen. 47. 9.*

3. S. Hieronymus super illa Ezechiæ Regis ex morbo jam convalescentis apud Isaiam verba, *Ego dixi in dimidio dierum meorum, Vadam ad portas inferi*; notat, sanctos & justos dies suos complere; uti Abraham, dē quo legimus, *Mortuus est in senectute bona, & plenus dierum*: sceleratos verò semper in medio dierum suorum mori: imò ne quidem eatenus pertingere, prout testatur Propheta, dicens, *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos*: quòd vitæ suæ annos absque ullo merito, & in vanum, effluere passi sunt. Ideoque centum annorum peccatorem, *centum annorum puerum* Scriptura vocat, eumque maledicendum pronuntiat. *Quoniam*, inquit, *puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit*, eò quòd non viri, sed pueri instar vixerit. Hinc peccatores mors semper immaturos & præcoces tollit: hinc veniente jam morte, hi optando dicere solent. *Vtinam mihi vel annus unus ad pœnitendum concedatur!* Eodem prorsus modo in tepidis & torpentibus Religiosis se res habet: qui quamvis à multis annis Religiosum habitum induerint, paucos tamen vitæ religiosè ductæ dies numerabunt.

Malorum brevis vita & desiderio. *Is. 38. 10. Gen. 25. 8. Ps. 54. 24. Isa. 65. 20.*

4. In Annalibus Minorum refertur, Religiosus quidam sanctus, rogatus ab alio, quot in Religione annis vixisset, respondisse, Ne uno quidem momento; quod insolens responsum cùm alter miraretur, nec intelligeret; subintulit Dei famulus: *Non ignoro, me abhinc septuaginta quinque annis Minorum habitum induisse; at quanto tempore operibus Religiosus fuerim, planè ignoro*: Faxit Deus, ut nullus nostrûm id possit dicere in veritate, quod sanctus ille vir dicebat ex humilitate. Neque enim tam Religionis & vitæ multi spectandi sunt anni, quàm bona vita. *Multi*, inquit à Kempis, *numerant annos conversionis, sed sæpè exiguus est fructus emendationis.* Po-

Exempla brevis vitæ. *3. part. lib. 8. c. 27. histor. Minor. de F. Gerardo de Florent. laico.*

tiores sunt pauci bonæ vitæ dies, quã multi tepidæ & negligentis; quia coràm Deo non tam numerantur & æstimantur anni vitę, quàm anni bonæ vitæ, uti nec multi anni Religionis, sed ii duntaxat, quibus quis bonus ac fervidus Religiosus vixit. Præclarum hujus rei exemplum suggerit Scriptura sacra. De Saule quippe sic ait:

1. Reg. 13. 1. *Filius unius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset: duobus autem annis regnavit super Israel*, cùm tamen certum sit quadraginta eum annis regnasse. Ita quippe S. Paulus in Actis Apostolorum testatur.

Act. 13. 21. *Et exinde postulaverunt Regem, & dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de tribu Benjamin, annis quadraginta.* Quomodo ergo in libris Regum Israel nonnisi biennio is regnasse dicitur? Ratio est, quia in Annalibus & Chronicis Dei, alii ejus non computantur anni, quàm quibus benè vixit; unde nònnisi biennio universim regnasse dicitur, quòd illo solùm tempore regnarit, ut bonum Regem decuit. In Evangelio quoque

Matt. 20. ii, qui post alios in vineam laboratũ venerunt, esto unâ duntaxat laborassent horâ, præpositi tamen fuere iis, qui summo manè ad laborem accesserant; ea siquidem hora tantum, vel etiam amplius, promeruere, quàm qui diei totius pondus & æstum tolerarant. Ad hanc itaque regulam te dimetire, & hinc dispice, quanto tempore sic in Religione vixeris.

mensurã vitæ. 5. Egregiè omnia hæc declarat Eusebius Gallicanus dicens: *Solemus*, inquit, *annos nostros & temporum spatia, quibus nunc vivimus, supputare: non te fallat, quicumque ille es, numerus dierum, quos hîc relicto corporaliter sæculo consumpsisti. Illum tantùm diem vixisse te computa, in quo voluntates proprias abnegasti, in quo malis desideriis restitisti, quem sine ulla regulæ transgressione duxisti, illum diem vixisse te computa, qui puritatis & sanctæ meditationis habuit lucem.* Ex his igitur diebus, si potes, annos tuos conficito, & secundùm hoc, tempus, à quo Religionem inisti, metirę; & time ne tibi dicatur, qđ Episcopo Sardensi in Apocalypsi dictum legitur: *Scio opera tua*, inquit Deus, quæ licèt ignorent homines, mihi tamen liquidò patent: *quia nomen habes quòd vivas, & mortuus es.* Christiani quidem nomen habes, sed non opera; Religiosi diceris nomine, à Religiosi tamen operibus nimium quantum distas; opera tua non respondent nomini, quod geris. *Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo*, sed vacua; non sunt, inquam, plena Deo, sed eo vacua, at teipso plena. Etenim in iis omnibus teipsũ quæris, tua scilicet commoda, honorem & æstimationem propriam. Super nos ipsos ergo excubemus (*esto vigilans*) demusque operam, ut opera nostra & dies plena sint, ut sic in pauco tempore vivamus diu, multumque coram Deo promereamur.

CAPUT XI.

Pluribus rectitudo & puritas intentionis quàm in operibus nostris habere debemus, declaratur.

1. DOcumentum valdè utile dari solet iis, qui cum proximo agunt, Aurea gula ad obtinen-

dam puram intentionē.

agunt, quonam ſcilicet modo ſuis in operibus & miniſteriis ſe ſe gerere debeant; ex quo ſimul evidenter perſpicietur, quàm pura noſtra eſſe debeat intentio in iis quæ agimus, quamque nudè ſimpliciterque in his Deus nobis quærendus ſit: Eſt igitur hæc communis Eccleſiæ, Doctorum ac Sanctorum Patrum Hieronymi, Gregorii, & Chryſoſtomi doctrina, uti ſuo loco videbimus, docentium: *Si quando opus auſpicaris, ut aliquod ex eo proximo commodum, cùm generale, tum privatum ſequatur, oculos tuos non tam in fructum & bonum operis ſucceſſum præcipuè intendas oportet, quàm ut per ipſum Dei Optimi Maximi voluntatem perficias.* Unde, cùm confitentibus aures damus, cùm verbo Dei populum paſcimus, cùm in ſchola alios docemus; non tam curare debemus, ut ii quibuscum agimus, quorum confeſſiones excipimus, quos pro concione docemus, convertantur; vitam emendent, & fructum aliquem inde capiant; quàm ut hoc in opere divinam voluntatem adimpleamus, ipſumque quàm poſſumus rectiſſimè, ad Dei beniplacitum peragamus.

Effectus, bonus operationis, præſertim in cura animarum, eſt Dei opus. 1. Cor. 3. 6.

2. Nam optatus talis operis ſucceſſus, ut nimirum alius quis per id vitam emendet, & fructum ex concione noſtra reipſa & effectivè conſequatur; non ad nos, ſed ad Deum ſpectat, efficere. *Ego plantavi*, inquit Apoſtolus, *Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit.* Id eſt, plantare & rigare ipſi poſſumus, uti hortulanus; ſed ut arbuſta creſcant, arbores fructum proferant, non hortulani eſt, ſed Dei ſolius opus. Animarum fructus eſt, ut peccato emergant, ad Deum convertantur, in virtute creſcant, in perfectione proficiant; hoc ut fiat, Deo curæ eſt: neque verò operis noſtri valor & perfectio ab eo dependent. Hanc itaque intentionis puritatem noſtris in operibus habere procuremus: ita namque intentio noſtra futura puriſſima eſt, ſummaque animi pace perfruemur.

Trãquillitas eorũ qui Dei volũtatē, potius, quã opus ipſum intendũt.

3. Nam qui ſuis in operibus ſic ſe gerit, minimè turbatur animoque cadit, cùm ſucceſſus & fructus, quem ſuo opere ſpectabat, caſu aliquo ei aut interturbatur, aut impoſſibilis omninò redditur: neqve enim finem & conſolationem ſuam in eo collocabat, ſed ut Dei voluntatem per hoc exequeretur, ipſumqve qvàm poterat optimè, ad Deo complacendum, peragerer. At, ſi, dum concionaris, confitentes audis, vel alia cum proximo negotia tractas, in fructum & vtilitatem, ex bono hoc opere ſecuturam oculos potiſſimùm conjicias, & ea præcipuus tibi ſit in operando finis; tunc, ſi caſu aliquo deſiderii tui effectum præpediri contingat, maximè turbaberis, imò aliquando non modò omnem animi pacem, ſed & patientiam amittes; qvin & vlteriùs progredieris.

Lib. 5. c. 2. vitæ.

4. Pulchro id exemplo vel ſimilitudine oſtendit S. P. N. Ignatius. Noſtisne, inquit, quo pacto in noſtris erga proximum miniſteriis gerere nos oporteat? *perinde*, inquit, *ac Angeli cuſtodes erga illos, quos ſua fidei commiſſos à DEO gubernandos ſuſce-*

Angeli cuſtodes

infelici custodia non anguntur, sed curāt studiosam.

sceperunt, quibus etsi, quantum possunt consulant, moneant, tueantur, gubernent, illuminent, & ad bonum agendum opem ferant; hi tamen si libero suo arbitrio abutantur, si rebelles, & ad monita inspirationesq; sint contumaces; nullatenus propterea anguntur Angeli vel contristantur, ullamve molestiam sentiunt, nec quidquam de beatitudine, qua Deum intuentes perfruuntur, deperdunt; sed illud Ieremiæ identidem repetunt,

Ier. 51. 9. *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Sic nos, omni quidem quâ possumus ratione, procurare necesse est, ut proximum è statu peccati educamus, & illi pro virili nostra prosimus; si tamen, postquam officio nostro debita accuratione functi fuerimus, infirmus ipse in morbo suo maneat, nec curari sustineat; non est quòd animi pacem amittamus, aut pusillanimes efficiamur.

Exempla, & testimonia pro cura operationis, non effectus.

5. Discipulis à prædicatione læto hilarique animo redeuntibus, quòd miracula patrassent, & dæmonia expulissent, respondit Redemptor, *In hoc nolite gaudere: gaudete autem quòd nomina vestra scripta sint in cœlis*, quasi

Luc. 10. 20. diceret: A successu rei (etsi æquè prospero atque hic Apostolorum) gaudium tuum pendere non debet Christiane; vide potiùs, num tales sint operationes tuæ in se, ut ob eas nomen tuum libro vitæ inscribi mereatur, vide num in officio tuo facias ea, quæ te facere oportet; & in hoc gaudium ac consolationem tuam constitue: etenim felices successus, conversiones, & miracula ad nos minimè pertinent, &, quod tibi dabitur præmium & gloria, non secundùm successus admetietur, sed tantùm prout operatus eris, sive convertantur homines, sive non. Quod clarè ex ipso contrario patebit: *quid enim tibi profuerit*, ut Christus ait in Evangelio, Mat. 16. 26.

multum in proximo fructum fecisse, & *universū orbē* prædicationib⁹ & fūctionib⁹ tuis *convertisse*, si ipse te nō ut oportet gessisti, si salus tua ꝓpria perdatur? pari modo, si quod debes feceris, etsi nullus alioquin hominum convertatur, non propterea minus tuum futurum est præmium. Infelix profectò esset Apostolus Jacobus, si ab hac re ipsius præmium dependisset, suumque ipse in eo gaudium collocasset; quia nonnisi septem aut novem in universum in tota Hispania Christo asseruisse dicitur. at non propterea minùs reliquis Apostolis promeruit, nec minùs iis Deo placuit filius tonitrui.

Aliud solatium eorum qui operationi, non rei ipsi intendūt.

6. Adhæc, aliam non parvam cōsolationem, quæ ex dictis consequitur, habemus; videlicet quòd non solùm à nobis rationem non reposcet Deus, an multum fructus fecerimus, an parum; verùm ne quidem, an prolixam concionem habuerimus, & lectionem prolixam. Hoc quippe Deus nobis non præcipit, nec in eo meritum nostrum situm est: at Deus id solum jubet, & à me exigit, ut faciam à parte mea quod possum, secundùm talentum quod ab eo accepi, ut, si parum receperim, parum præstem; si multum, multum. Atque hoc ipsi sufficit. *Omni cui multum datum est, multum quæretur ab eo*, cui parum, parum Luc. 12. 48.

etiam exigetur. Egregiè id pertractat S.Chry-

Homil.41 sup.Gen. S.Chrysostomus, de talentorum parabola loquens. Rogat enim, ecquænam sit causa, quòd servus qui duo tantùm talenta superlucratus erat, eodem afficiatur honore, quo is qui qvinqve fuit superlucratus? Patrefamilias enim talentorum inter servos distributorum rationem repetente, is (ut in Evangelio refertur) qvi qvinq; acceperat, accedens ait, *Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum*; cui deinde *Matt.25.21.* Dominus; *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Cum autē etiam accessisset is qui duo acceperat, dixissetq; *Domine duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum*; ei iisdem illis, qvibus qvinqve superlucrādi, Dominus verbis respondit, idemque omninò præmium est pollicitus. Quæ, inquā, hujus rei est causa? quærit Chrysostom. & Respondet. *Meritò*, inquit, *augmentationem & imminutionem non vel hujus diligentia, vel illius negligentia fecit: sed concreditorum quantitas.* nam priori quinque talenta data sunt, quibus eadem adaugere, & alia quinque superlucrari posset, alteri verò duo tantùm. *Nam quoad diligentiam ambo pares fuerunt, proinde & eandem* mercedē & *dignitatem nacti sunt.* Ita Chrysostomus.

Non fructus operis sed diligētia operantis à Deo spectatur 7. Est hoc certè inprimis utile, & maximæ nobis cōsolationis punctū, quòd omnibus id rebus, officiis & ministeriis adaptari possit: si enim hic tantūdem laboret, & eandem in re sibi commissa diligentiam adhibeat, quam ille in sibi commissa; tantum haud dubiè promereri potest quantum ille, etsi tantum reipsa non præstet. Verbi gratia: si tantùm ego laboris conatusq; non optimæ, & parùm ad plausum factæ concioni impendā, quantum tu plausibili & elaboratæ; fieri potest, ut tantum ego meæ, quātum tu tuæ, & fortasse etiam amplius, promerear. Quod etiam locum habet in studiis, etsi studiosus ille sit stupidus, tu verò subtilis; ille parùm addiscat, tu multum; fieri potest, vt plus ille promereatur sua parva scientia, quàm tu tua magna. Idem est in omnibus officiis manualibus: nam etsi meum ego ministerium tam exqvisitè non expleam, quam tu tuum; viresqve ac talentum meum eò non pertingant, quò tuæ; fieri tamen potest, vt plus ego isto pauxillo promerear, qvàm tu tuo multò. Hæc consideratio conducet, vt nec illi vanâ gloriâ insolescant, nec hi animum despondeant ac deficiant.

8. Idem quoque sentit S. Hieronymus in eandem parabolam scribens; *Illum, qui de quinque talentis decem fecerat, & qui de duobus quatuor, Dominus simili recipit gaudio: neq ue enim considerat lucri magnitudinem, sed studii voluntatem*, diligentiam, caritatem, qua opus peragitur. Unde Salvianus, *Oblata Deo*, inquit, *non pretio, sed affectu placent.* Atque hoc est quod significat paucis his verbis Gregorius, *Deus non respicit quantum, sed ex quanto:* plus animum, quam opus: qvo fit vt plus Deo qvis placere possit minus faciendo, quàm alius qvilibet plus agendo, si modò majori opus suum fecerit affectu. In qvo Dei nostri

S.Hieron. Parva magnis æquiparantur affectu donantis.

Lib.1. ad Eccles. Cathol. tom.3. Bibliot. SS. Patrū

nostri magnitudo in primis relucet: nullum enim opus, quantumvis maximum, coram oculis ejus magnum est, nisi, qvo perficitur, amor sit magnus. Quia qvi bonis nostris opus non habet, illi nec divitiæ, nec aliud qvidlibet potest accrescere. *Porro si justè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Aliud verò non qværit aut æstimat, quàm ut ametur, & ex parte nostra ipsi seriò agamus quantum agere possumus. Cernere id ad oculum est in duobus nummulis quos vidua illa Evangelica in gazophylacium templi conjecit. Cùm enim haud procul ab eo Redemptor Jesus sederet; videbat Pharisæos & opulentos sua in id donaria mittentes, quorum hic argenteum, ille aureum forsan obtulerit; veniente verò paupercula qvadam vidua, & æra minuta duo in arcam dimittente, ad suos discipulos conversus Redemptor, palàm ait; *Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plùs omnibus misit: omnes enim ex eo quod abundabat illis, miserunt,* & quidem non tantùm, qvantùm possent; *hæc verò de pecunia sua omnia quæ habuit misit, totum victum suum. Iam, quod,* inquit Chrysostomus, *in vidua fecit, idem in docentibus,* prædicantibus, & studentibus, aliaqve ministeria & officia obeuntibus *operabitur.* Neque enim tam in His respiciet quid agant, quàm voluntatem, affectum, & diligentiam qua agunt.

Iob. 35, 7.

Marc. 12, 43.

Luc. 21, 3.

CAPUT XII.

Aliqua signa, è quibus colligatur, utrùm quis purè propter Deum sua agat, an verò seipsum in iis quærat.

I. BOnum quoddam signum proponit B. Gregorius, è quo quis perspiciat, utrùm in iis qvæ circa proximum peragit ministeriis, purè Dei gloriam, an verò seipsum quærat. *Vide, inquit, num, dùm alius quispiam egregiè concionando, omnes ad se pertrahit, multumque in animabus, fructum facit, non minùs gaudeas, quàm si ipse hoc ageres: si enim non gaudeas, sed nescio quam displicentiam, tristitiam & invidiam inde contractam præferas: evidens argumentum est, te purè Dei gloriam non quærere.* Atque ad hoc confirmandum adfert illud Jacobi Apostoli: *Quòd si zelum animarum habeatis, & contentiones sint in cordibus vestris, non est ista sapientia de sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.* Non est is zelus gloriæ & honoris Dei, sed zelus tui ipsius, & zelus, ut non minùs honoreris & extollaris, quàm alius ille. Si enim Dei gloriam, & non tuam spectares, gauderes multos id genus operarios inveniri, &, quod ipse non potes & nosti facere, id per alios confici. Talis fuit Moysi mens, uti Scriptura refert: qui, dum Josue quibusdam prophetantibus resisteret, velut iratus ei dicebat, *Quid æmularis pro me? quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum?* id ipsum servus Dei dicat oportet; Utinam ad unum

Li. 22. Moral. c. 24.

Puræ intentionis signum primum gaudere de aliorum felici successu.

Iac. 3, 14.

Nu. 11. 29.

unum omnes zelosi & ardentes sint prædicatores prudentes confessarii, doctores perfecti, multumque iis de spiritu suo det Dominus, ut honor & gloria illius sic magis dilatetur, & sanctum ejus nomen toto terrarum orbe agnoscatur & sanctificetur!

Lib. 4. vit. B. Ignatii c. 27. Exempla puræ intentionis prædito-rum.

2. Luculentum hoc in genere exemplum de P. M. Joanne de Auila narratur. Is Societatem Jesu à Deo per S. P. N. Ignatium primùm excitatam audiens, & institutum finemque ejus intelligens, lætus ajebat, *hoc ipsum esse, quod tantoper tot annos desiderio ac conatu perficere ipse studuisset, sed huc se pertingere non potuisse:* proinde se puero assimulabat, qui in uno consistens monte, grave quoddam pondus in ipsum subvehere quidem desiderat, idque totis viribus suis connititur, sed imbecillitatem perficere nequit: at postea superveniens gigas, hoc pondus, quod puer attollere non potuit, corripit, & sine ullo negotio ac difficultate, ubicunque voluerit, collocat, qua similitudine se Auila è modestia puero, S. verò P. N. Ignatium valido giganti comparabat. Quod autem ad propositum & scopum nostrum facit, id est, quod ipse hoc opere per Ignatium perfecto tam sit gavisus, quàm si suis auspiciis Societas fuisset excitata. Nihil enim in hoc ipse aliud desiderabat, quàm puram Dei gloriam & animarum salutem. Quod qui faciunt, næ illi boni & fideles sunt Dei ministri, qui, ut ait Paulus, *non quærunt quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi.* Verus quippe Dei servus tam sincerè solam Dei gloriam ac honorem.

Phil. 2, 21 4.

& animarum salutem optare debet, ut, quando hæc per alios procurari volet Deus, tam ipse gaudeat & contentus sit, quàm si opera & auspiciis suis ista fierent. Hinc nonnullorũ Dei servorum, fructûs spiritualis & conversionis animarum percupidorum, illud juge exercitium est, Deum hoc pacto rogare, *Vtinam Domine, hic ad te convertatur, hæc anima ad obsequium tuũ transeat! utinã fructus aliquis edatur, & quidem ejus opera, quem ad hoc ipse applicare dignaberis? ego enim nihil omnino mihi cupio ascribi.* Hoc, scilicet, est in veritate & sinceritate ambulare non adulterare verbum Dei, Si non nostrum honorem & æstimationem, sed majorem Dei gloriam & honorem eo modo quæramus.

3. Idem & de spirituali tùm nostro, tum fratrum nostrorum profectu dicẽdum est. Dum enim quis fratrem magis magisque in spiritu proficere, & in virtutum studio quotidie progredi, se verò in postremis hærere videt, & propterea contristatur, & animo dejicitur; is purè majorem Dei gloriam non quærit. Nam etsi verus Dei servus ex intimi cordis penetralibus dolere debeat, quòd Deo tantùm non serviat, quantũ aut deberet, aut posset; inde tamen non sequitur, ei, si videat aliũ magis quàm se proficere, propterea contristandum esse, aut animo dejiciendum; at potiùs gaudendũ, cùm sit quædam animæ ejus dolentis & afflictæ; quod Deo negligenter serviat, alleviatio & solatiũ, videre, quamvis ipse pr̨ negligentia suo non fũgatur officio, quòd non desint alii, qui quòd ipse facere desiderat, abũde

Ex opposito signũ impuræ intentionis.

compensent, Deum fideliter & glorificantes & ei servientes. Hæc porrò quæ nonnullos occupat tristitia & pusillanimitas, aut ex amore proprio; aut ex aliqua superbia, aut latére quadam invidia enascitur. Si quis enim sincerè majorem Dei honorem & gloriam quærit, & propter eam ei servire cupit; certum est magnam ei lætitiæ & gaudii occasionem fore, cùm alios in virtutũ perfectionisque studio multum & continuò progredi animadvertit, etsi ipse alia ex parte doleat & erubescat, quòd tanto fervore & zelo se obsequio non dedicet.

Secundũ signum puræ intentionis est indifferentia.

4. Secundò, quando ita suum Religiosus officium resque à Superioribus injunctas exequitur, ut perinde ipsi sit hoc vel illud sibi præcipi; huic officio applicari se, an illi; sed tã hoc quàm illud sibi complaceat: minimè fallax id argumentum est, ipsum purè propter Deum sua exequi. Propterea namque hanc æqualitatem & indifferentiam omnibus in rebus habere studet, quòd unam Dei implere voluntatem cupiat, nec in exteriori operum materia sistat. Sin autem tam libenter humilia ac laboriosa ministeeria non obeat, quàm honorifica & facilia; signum evidens id est, ipsũ non purè propter Deum id facere, sed se ipsum, & consolationẽ & commoda propria suo qualicunque zelo ac studio sectari. Undè præclarè vir ille pius: *Si desiderii tui causa esset Deus, gauderes, quomodocumq; demum modo id ordinaret.*

Thom à Kempis.

Aliud signum impuræ intentionis

5. Aliud signum, non sincerè propter Deum, sed ob respectus aliquos humanos sua religiosũ agere, est, quãdo ea quæ agit, laborẽque suũ omnẽ, à Superiore vult cõprobari, rataque haberi, ut is nimirũ, vel verbo significet, benè suo eũ officio functum esse: vel signo saltẽ aliquo illud sibi placere ostẽdat: & si nihil horũ contingat, animũ despõdet & abjicit. Si purè tua propter Deum ageres, parũ hæc inania solatia curares, imò ne quidẽ intueri sustineres. Confũdi potiùs & erubescere ex superioribus demõstrationibus deberes, si ita mulcearis utpote tibi persuadẽs, eũ imperfectioni & infirmitati tuæ cõdescẽdere: oporteret de te ipso coquerẽdo, dicere, *Ah miserum & infortunatum me, qui tam in virtute sum debilis & flaccidus, ut his nauci me necesse sit adminiculis animari & suffulciri.*

nis est velle à Superiore suo p̃bari sua.

6. Abbas Joannes junior, Thebæus, Abbatis Ammonis discipulus (ut in Prato spirituali traditur) duodecim continuò annis ægro cuidam seni servivit: qui etsi opus suũ sedulo & naviter exequeretur, quotidieqve ingentẽ laborem susciperet: ne ullo tamen est blando, aut svavi, à sene verbo cõpellatus, sed semper asperiùs habitus. Ergo, cùm senex jã ad vitæ extrema redactus, multos Eremitas, qui se inviserant, circũstantes sibi cerneret, humilem ac patientẽ discipulum suum ad se evocat, ejusque manu apprehẽsâ tertiò verbo hæc iterat, *Dominus maneat tecum, Dominus maneat tecum, Dominus maneat tecum:* ac Patribus ipsum de meliore nota commendans, atque in filium tradens, dixit: *Non est hic homo, sed Angelus: quia, etsi toto illo duodecẽnio, quo mihi ægro-*

Pratum spirituale.

Exemplũ eius qui approbari se à Superiore non requisivit.

grotanti servivit, nullum unquam ex me amicum verbum acceperit, mihi nihilominus semper & libentissimè, & diligentissimè servivit.

CAPUT XIII.

Quomodo in rectitudine & puritate intentionis semper crescere & ascendere debeamus.

Quæ motiva intentioni bonæ adhibenda sint.

3.p.Const. c.1.§.26. & Reg.17 Summarii.

1. S. P. N. Ignatius singulari quadam oratione particulariùs nobis declarat, quomodo in hac intentionis rectitudine & puritate semper magis magisque proficere & ulteriùs progredi debeamus: *Omnes*, inquit, *rectam habere intentionem studeant, non solùm circa vitæ suæ statum, verùm etiam circa res particulares omnes: id semper in eis sincerè spectantes, ut serviant & placeant divinæ bonitati, propter seipsam, & propter caritatem, & eximia beneficia quibus prævenit nos potiùs, quàm ob timorem pœnarum, vel spem præmiorum, quamvis hinc etiam juvari debeant.* Multi sunt Deum quærendi & serviendi modo.

Primò Timor Dei bonus.

Primo servire Deo metu pœnarum, est Deum quærere, & quidem bonum; quia etiam servilis timor bonus est, & Dei donum: unde ipsum etiam à Deo Propheta postulabat, *Confige timore tuo carnes meas.* Fateor cum Theologo, quod si quis diceret, aut animo cogitaret: *Si non esset infernus, aut nisi castigari metuerem, Deum offenderem*; hunc timorem malum & peccatum esse. Nam sic comparatus ostendit perversam suam voluntatem excludendo alia motiva bona. At timore pœnarum, mortis, & rigidi judicii, Deo servire & à peccando abstinere non excludendo alia bona motiva Deo serviendi laudabile est & salutare. Idcircò etiam sæpè hæc timori incentiva nobis Scriptura sacra ab oculos ponit & comminatur.

Ps. 118. 120.

Timor malus quis.

Timor servilis quandoque bonus.

Secundò, ob præmium gloriæ, quàm speramus, Deo servire, est etiam eum quærere, & bonum; melius quoq; quàm primum, quando quidem Dei præmatrix bonitas hic involvitur, quæ Deo est quodammodo magis propria. Et ideò potius est, spe præmii & gloriæ sua agere; quàm solo supplicii infernalis metu. Atque ita Moysen fecisse testatur Apostolus; *Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem; majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorũ improperiũ Christi: aspiciebat enim in remunerationem.* Et Psalmographus de se ajebat, *Inclinavi cor meum Domine ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem*, quam promisisti.

Secuudò mercenarii spes.

Heb. 11. 24.

Psal. 118. 121.

2. Motiva hæc bona sunt; unde his etiam juvari nos oportet: verùm ulteriùs etiam nos progredi S. P. N. vult, animum sublimiùs effere, & ad altiora aspirare hortante Apostolo: *Aemulamini charismata meliora, & adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Satis namque illi non est, ut Deo qualicumque modo serviamus & quæramus, sed alium multò excellentiorem & sublimiorem nobis ostendit: Vult namque nos servire & quærere Deum propter Deum, id est, purè propter seipsum, propter infinitam

2.Cor.12. 31.

Tertius, optimus amor filialis.

ejus dignitatem, eò quòd sit is *qui est*, atque hic summus & eminentissimus est gradus, quia attingit eminentissimum Dei esse.

In reg fus. fior.

3. Egregiè rem hanc pertractant SS. Ecclesiæ Patres, Basilius, Chrysostomus, Gregorius; & eos qui Deo spe præmii ac remunerationis ab eo consequendæ serviunt, Simoni Cyrenæo assimilant: nam ut hic ad crucem Domini ferendam, mercede à Judæis conductus erat; sic hos, ob præmium quod sperant, Deo ajunt servire, & crucem Domini gestare. Docent quoque, non esse nobis anxiè de remuneratione laborandum, aut sordidè, *more ingratorum servorum, mercedem supputandam: hoc enim mercenarii potiùs & conductitii*, unicum stipendium spectantis, *quàm servi grati esse*. Nos verò tali ratione Deo servire non oportet, sed, ut veros filios decet, ex puro amore. Magna, inquiunt, est inter obsequium mancipii, & famuli, conductitii, & filii differentia: servus quippe metu supplicii & flagrorum domino servit; conductitius, stipendii & mercedis, quam à locatore sperat, intuitu; hinc si in obsequendo navus & impiger sit, non alio fine facit, quàm quòd sibi hoc obsequium ab eo compensandum, & mercede majori donandum speret. At filius ex puro amore patri famulatur, seduloque cavet ne in eum delinquat, non tam timore supplicii (quia id filius, præsertim jam ætate grandior, non metuit;) nec tam spe præmii (quia id pater cum filio non est pactus.) Quā igitur tandē ob causam? non aliam, quam quod filiali affectu, patrem prosequitur. Proinde benè moratus filius, patri etsi pauperi, nullasque filio opes relicturo, tamen obsequenter servit, & honorem defert: hoc enim ipse meretur, quòd ejus sit pater; & abunde satis obsequiū & laborē suum sibi putat cōpensatum, quòd illi quandamtenus satisfaciat & placeat. Hoc modo ut Deo serviamus, Patres prædicti volunt, nempè, non timore pœnarum ut faciunt mancipia, nec intuitu speratæ mercedis & stipendii, ut mercenarii, & qui in diem conducti; sed uti veri filii, cum hac filiorum gratia nos Deus dignatus sit. Vnde S. Ioannes Apostolus quasi in excessu exclamans ita scribit. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus*; ut jam verè & Deum vocare nobis liceat patrem, & filium ejus fratrem. Si ergo filii simus Dei, illum, ut filii, amemus & serviamus, eum, ceu patrem, & talem quidem patrem, honoremus ac revereamur; ex puro, inquam, amore, & ut Patri nostro cœlesti placeamus, & quia id ipse meretur, eò quod *sit is qui est*, atque infinitè bonus, cujus bonitati, tametsi infinita corda & corpora haberemus, quæ ejus amori & obsequio possimus impendere, nunquam forent responsum in aliqua parte.

Servi, Mercenarii, Filii dispar affectu.

1. Ioan. 3. 1.

4. Quocirca benè ait Chrysostomus: *Si omninò dignus fueris agere aliquid quod Deo placeat, & aliam adhuc præter hoc ipsum, quòd placere meruisti, mercedem requiris; verè ignoras quantum boni sit, placere Deo, si enim scires, nunquam aliud aliquid extrinsecus mercedis aut muneris expeteres*. Quod enim majus desiderare aut spectare possimus

Lib. 2. de compunct. cord.

Quis sit modus purè amandi Deum.

mus bonum, quàm Deo placere ac satisfacere? Audi clamantem Apostolum: *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos.* Audi et S. Bonaventuram: *Considera quòd ipse benefactor tuus Deus ita tibi benefaciat, ut nihil à te receptat; nec te, nec aliqua creatura indiget*; neque solum nihil è nobis commodi ipse recipit, verùm etiam nonnisi magno suo sumptu nobis benefacit, cum sanguinem & vitam eum necesse fuerit impendere pro nobis. Sic ergo nobis Deus amandus & eidem serviendum est, purè & sine ullo commodorum propriorum intuitu. Ipsæ quoque virtutes, ac dona supernaturalia, non tam in utilitatem & rem propriam, quàm purè propter Deum, & ad majorem ejus gloriam, ut scilicet habeamus quo magis Deo placere & gratiores esse possimus, nobis desideranda sunt: nec ipsa gloria cœlestis alio nobis respectu petenda est; adeò ut, animæ cœleste præmium, quod illi ob bonum perpetratum dabitur, proponentes, eam sic ad benè operandum animemus, ut hoc ipsum præmium & ultimus finis & scopus noster nonnisi propter amorem obsequiumq; Dei, quod nempè illo obtento Deo magis servire & eum honorare possimus; quo plus gloriæ habuerimus.

Eph. 5. 1.

Tom. 2. opusc. in fasciculario c. 8.

1. Ioan. 1.

5. Hîc itaque sit ultimus finis noster, verus amor caritatis, verus ac perfectus amor Dei, hoc est purè Deum & majorem ejus gloriam quærere. Quod si alio in iis collineamus, certum nobis esse debet, non nos Deum quærere, sed commodum & amorem nostri ipsorum, & fæce humana fœdatum. Evidentiùs patebit id ex differentia, quam inter amorem perfectum (quem amorem vocant Amicitiæ) & amorem imperfectum, Concupiscentiæ, Theologi & Philosophi Morales constituunt: quòd ille amicum amet propter amicum & virtutis ejus bonum, nullæ propriæ utilitatis & commodi ratione habita: at amor concupiscentiæ in hoc occupetur, quod aliquem nō tam propter seipsum, quàm ob lucrum commodumque, quod ab eo in amantem derivandum speratur, diligat. Sic amatis, qui opulento & potenti alicui famulatur, quòd ab eo se beneficium quodpiam confidit accepturum. Iam verò nemo non videt, hunc perfectum, amorem non esse, sed amoris proprii multum ei permixtum: hoc enim non tam est amicum, quàm teipsum, & proprium emolumentum & utilitatem amare. Sic panem & vinum te amore concupiscentiæ amare dicimus, quia non tam ea propter ipsa, quam propter te, & in rem tuam amas. Atque hoc modo Deum amant, & ei serviunt, qui illi aut timore pœnarum, aut spe præmii conferendi serviunt: huic porrò amori multum ex fæce amoris proprii intermixtum est, nec purè sincereque Deus sic amatur.

Lib. 2. de compunct. cord. Quis sit modus purè amandi Deum.

Amor amicitiæ & cōcupiscentiæ.

Amor concupiscentiæ amat seipsum.

6. Id significavit Redemptor Iesus apud S. Ioannem: cum enim illustri miraculo quinque hominum millia, non annumeratis mulieribus & pueris, quinque panibus & duobus pisciculis pavisset, ideoque magna eum hominum multitudo sequeretur, ait illis:

Ioan. 6. 26.

Exemplū Amoris concupiscentiæ, & Amicitiæ.

illis: *Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis*; non quia me ut Deum habetis, sed quia commodum vestrum quæritis. At *operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*; ipsum, inquam, Christum, laborate obtinere, pureque voluntatem Dei facere. O quam rectè ille Dei servus (de quo Gerson) diabolo respondit! Cum enim vitæ austeritate esset singulari, & in oratione assiduus, dæmon, tot opera bona illi invidens, ut ab his enim retraheret; ei persuadere conatus est, illum de prædestinatorum numero non esse, dixitque: *Quid te tantopere affligis & emaceras? frustra es: neque enim salvaberis, nec gloria donaberis*. Tum ille, *Equidem propter gloriam Deo non servio; sed quia ipse est qui est*, quo telo retusus dæmon, illicò confusus cum tentatione recessit.

Deus etiam super filialem amorem est diligendus. *Serm. 83. in Cant.*

7. S. Bernardus plus etiam à purè amante exigit, vultque nos in operibus, quæ agimus, ita omnis commodi & emolumenti oblivisci, & ab eo alienos esse, ut ne quidem contentus sit si filiali amore Deo famulemur, sed altiùs etiam nos ascendere & evolare desideret. *Amant quidem filii*, inquit, *sed de hæreditate cogitant, quam dum verentur quoquomodo amittere*, vel auctum iri sperant, *ipsum à quo exspectatur hæreditas, plus reverentur, minùs amant*. Quare *suspectus est mihi amor, cui aliud adipiscendi spes suffragari videtur: infirmus est, qui fortè spe subtractâ aut extinguitur aut minuitur; impurus est, qui & aliud cupit*. *Purus* autem *amor, mercenarius non est; purus amor de spe vires non sumit, nec tamen diffidentiæ damna sentit*. Id est, qui purum amorem possidet, opus non habet, ut se spe præmii ad Deo famulandum, ejusque causa laborandum animet; quin imò tametsi sciret nullam omnino sibi post omnem laborem mercedem tribuendam, non propterea vel in laborando defatigaretur, vel ab eo desisteret; non enim tam emolumenti intuitu, quàm ex puro amore laborare cupit. Quis ergo erit amor hic, tam sublimis & perfectus, ut filialem etiam transcendat & excedat? Amor, scilicet, sponsalis, ait Bernardus. Nam *verus* & perfectus *amor seipso contentus est, habet is præmium, sed id quod amatur*; & amatum amare, ejus est merces. Talis porrò est amor sponsorum: hic enim aliud non quærit, nec spectat, quàm amare; *Nec sponsus aliud quærit, nec illa aliud habet*, inquit item Bernardus, *is per se placet, & propter se ipse mentum, ipse præmiū sibi est amor*. Hoc itaq; modo, ait Bernardus, nos Deum, qui animarum nostrarum sponsus est, amare par est, ideò videlicet ejus amore inardescamus, quia ipse est is qui est, & ipse tota nostra voluptas & oblectatio. Hoc amore amans contentus est, *is per se ei sufficit, is per se placet, & propter se: ipse meritum, ipse præmium sibi est amor, præter se non requirit causam, non fructum: fructus ejus usus ejus; amo, quia amo; amo, ut amem*.

Amor verus sibi ipsi præmium.

Lib. de dilig. Deo c. 3.

Amor sponsæ perfectissimus, eoque diligendus Deus.

Serm. 86. in Cantic.

8. Addit his præclarè S. Chrysostomus: Nolito putare ideò te præmio cariturum, quòd in præmium & commodum oculos non conjicias, aut ipsum minùs aut indignius ferre, quin

An damno sit non intendere meritū mercedis

quin imò tibi persuadeas velim, ipsū propterea illustrius & majus fore nā quanto minùs lucrari cupieris, tanto magis lucraberis. Certum namq; est, quo aliquod opus ab omni emolumenti prætensione alienius fuerit, ac remotius, eo ipsum purius perfectiusque futurum; quia tunc nihil amoris proprii eidem permistum erit, ac consequenter magis meritorium futurum. Atq; inquit Chrysostom. *eo tibi major futura merces est, quo ab omni mercede & utilitatis spe es remotior, & puriùs Deo placere cupieris; & quo à spiritu mercenarii distabis longiùs, eo præmium futurum amplius.* Neque enim tibi, ut mercenariò, stipendium persolvet, sed ut filio, qui omnes ex asse patris sui thesauros hæreditaturus est. *Si autē filii & hæredes, hæredes quidē Dei, cohæredes* & fratres *autem Christi* erimus; quia unà cum ipso in sortem veniemus, patris nostri qui in cœlis est, bona & facultates hæreditaturi & possessuri. Filia Pharaonis præmium quidem & stipendium persolvebat matri Mosis, ut proprium filium lactaret & educaret; at hoc mater, non tam præmii & mercedis pecuniariæ intuitu, quàm ex puro, quo puerum prosequebatur, amore faciebat.

Hom. 5. in ep. ad Rō.

Rom. 8. 17.

Exod. 2. 8

Caput XIV.

De tribus perfectionis gradibus, per quos ad magnam intentionis puritatem, & ferventem perfectumq; Dei amorem ascendere possumus.

Tres gradus perfectionis in puritate intentionis, & vero amore Dei.

1. Ex præmissa sanctorum Patrum, ac speciatim S. Bernardi, doctrina, tres colligere possumus perfectionis gradus, per quos ad magnam quis intentionis puritatem, & ingentem perfectissimumq; Dei amorem queat pertingere.

Primus, Omnia terrena præ Deo despicere.

2. *Primus* est, quando homo solùm unius Dei gloriam spectat & quærit, adeò ut in omnibus actionibus unica ejus & omnis voluptas sit in Deo, omniumq; rerum mundanarum obliviscatur. Vnde S. Bernardus: Certum, inquit, habere signum vis, num ardenter Deum ames, & in hoc amore magis magisque proficias, prout quidem id in hac vita cognosci potest? Vide num extra & præter Deum quidpiam sit, quod te consolari & recreare possit; inde cognosces, quantum in Dei amore profeceris & creveris. *Certè quamdiu, inquit, possum ex aliena qualicumque re consolationem vel jucunditatem concipere, nondum audeo dicere, dilectum nostrum intimum, ardētissimi amoris sinum tenere.* Hoc etiam insinuant illa S. Augustini verba, *Minùs te amat, qui tecū aliquid amat, quod non propter te amat.* Amor porrò hic tam singularis & excellens non erit, quàm fuit sanctæ illius Reginæ, quæ in pompa rum ac magnificentiæ regalis medio constituta, sic Deum cōpellabat, *Domine tu scis, quòd nunquā lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum,* vel corona, vel majestate, vel apparatu regio, vel ferculis Assueri, vel ulla re quàm regia suppeditat, *usque in præsentem diem, nisi in te, Domine Deus Abraham.* Is demum perfectus & singularis amor est.

Tract. de interior. domo c. 69.

Lib. 10. Confess. c. 29.

Esth. 14. 18.

3. S. Gregorius in illud Iob, *Qui ædificavit sibi solitudines,* scribens, *Hic,* inquit, sibi solitudines ædificavit, qui ab omnibus creaturis ita liber, & dissolu-

Lib. 4. Mor. c. 28

Iob. 3. 14.

solutus est,& sic omnem erga terrena quælibet affectum& amorem perdidit,ut,quamvis inter universas quæ in mundo sunt, recreationes atque oblectationes versetur, semper tamẽ quasi solus sit: quia nullæ planè eum reficiunt, vel consolationem adferunt. Quòd enim omnem voluntatem suam in solum Deum defixam habeat,hinc nullam illi res ulla creata familiaritatem adfert,aut delectationem. Id quod etiam in mundo quotidie experimur. Cum enim quis amicum habet, in quem toto affectu ac desiderio feratur, si hic ab illo abfuerit, etsi alioquin alii plures ipsi adsint, nescio quam solitudinem sentire,& planè solus agere videtur, quia unus is erat,qui illi voluptatem afferebat.Sic qui omnem suum affectum & delectationem in solo Deo posuit, & noxium erga creaturas amorem exuit, inter multos licet homines agat:omnibusque mundi recreationibus & voluptatibus circumfluat, solus agit; quòd hæ ipsum neutiquam reficiant; præter eum, quem amat. Qui, inquit Gregorius, ad hunc gradum pervenêre,summa animi quiete & tranquillitate perfruuntur: nihil siquidem est quod eos vel angat, vel inquietet: nec adversis turbantur, nec prosperis evanescunt aut extolluntur, nec vana quadam lætitia & delectatione ob hæc ipsa efferuntur. Nam,uti nulli rei totius mundi amore & affectu adhærescunt, ita nec earum vicissitudine, mutationibus ac successibus mutantur & inquietantur, aut de statu mentis abripiuntur neque ullo modo ab eis dependent, quòd eas nihili pendant.

Greg. ubi suprà.

4. Nostin' inquit Gregorius, quis huc pertigerit, quis hanc sibi solitudinem construxerit? Is, qui dicebat: *Vnam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Nihil quippe aliud homini, tam in cœlo, quàm in terra, requirendum aut desiderandum est, quam tu solus Domine. *Et nunc quæ est exspectatio mea? nonne Dominus?* Eodem quoque pervenerat Abbas ille, Silvanus dictus, qui dum ab oratione surgebat, tam illi terrena omnia vilia, parva & contemptibilia videbantur, ut oculis manus opponens, ne ea videre cogeretur, seque ipsum alloquens diceret, *Occludimini oculi mei, occludimini, nec terrenum quid aspicite; nihil quippe terra habet, quod vel visu dignum sit.* Idem quoque de S. P. N. Ignatio scriptum est: quoties enim corde ad Deum sublato cœlum intueretur, præ tenero affectu exclamabat. *Heu quam sordet terra, dum cœlum aspicio!*

Signa primi gradus acquisiti.

Ps. 26. 4.

Ps. 38. 8.

Lib. 1. c. 2. Vitæ.

5. Secundus gradus esse potest is, quem S. Bernard. habet in tractatu, quem de amando Deo conscripsit: quando videlicet, homo non modò omnia exteriora, verùm etiam seipsum obliviscitur, nõ aliter se amando, quam in Deo, per Deum, & propter Deum. Adeò quippe nostri ipsorum, omnisque commodi proprii & utilitatis nos capere debet oblivio, tamque debemus purè perfecteque Deum diligere, ut de bonis tum gratiæ, tum gloriæ, de manu ejus acceptis non tam lætandum & gaudendum nobis sit, quod in nostrum ea bonum

Secũdus gradus, seipsum præ Deo despicere.

bonum & utilitatem cedant, quàm quòd hoc pacto voluntas & beneplacitum Dei adimpleatur. Sic beatos in cœlo facere constat, plus de voluntatis divinæ adimpletione, quàm de gloriæ, qua fruuntur, magnitudine gaudentes: tantum tamque purè hi Deum amant, tam in eum transformati sunt, tam voluntati ejus uniti, ut, quam possident gloriam, & beatam, quæ eis obtigit, sortem, non tam possidere velint ob bonum quod ipsis inde sequitur, nec ob delectationem ex ea emergentem, quàm quod placeat Deo hanc ipsis concedere, hæcque ejus sit voluntas. Hoc, ait Bernardus modo nos Deum diligamus oportet, uti fecisse liquet eum qui dicebat, *Confitemini Domino quoniam bonus*: non ait, *quoniam mihi bonus est*, sed tantum *quoniam bonus.* Non amat, nec laudat Deum, quoniam sibi bonus est & benefactor, uti alius ille faciebat, de quo ipse canit, *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei*; sed ideò eum amat & celebrat, quia bonus est in se, quia est is qui est, denique propter infinitam ejus bonitatem.

Ps. 117. 1.

Ps. 84. 19.

6. Tertius & supremus perfectionis & amoris divini gradus, ut ait Bernardus, est, *quando jam quis operatur, non ut ipse Deo placeat: sed quia placet ei Deus, vel, quia placet Deo quod operatur:* ut solum Dei voluntatem, beneplacitum, & delectationem in opere suo spectet, suiipsius verò penitus obliviscatur, nec plus seipsum æstimet, quam si in mundo non esset, nec unquam fuisset. Hic purissimus & perfectissimus Dei amor est; *amor iste mons est, & mons Dei excelsus, revera mons coagulatus, mons pinguis,* abundãs fertilis, magnam atque eminentem quandam perfectionem continens. Hæc namque intelligitur per vocem *mons Dei*, res scilicet valdè excellens, & admodum grandis.

In Sentēt. col. 4. lit. H.

Tertius gradus, operari non ut placeas Deo, sed quia tibi Deus, & opus tuũ Deo placet.

Bernard. de dil. Deo c. 7. 7.

P. 67. 16.

7. *Quis verò ascendet* in hunc *montem Domini* tam altum? *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ & volabo, & requiescam?* Ah me miserum (ingemiscit S. Bernardus) quòd in hoc vitæ exilio me penitus oblivisci nequeam! *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Domine, vim patior, responde pro me.* Quando totus moriar mihi, & solùm vivam tibi? *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Ah, quando ab hoc exilio abripiar, quando totus tibi Domine uniar, & per amorem in te transformabor? quando penitus à meipso alienabor, quando obliviscar mei, quando unus tecum spiritus fiam; ut jam nihil in me, & propter me amem, imò ne quidem me, sed omnia in te, & propter te? *Tu enim (o homo) quodammodo perdere, tamquam qui non sis, & omnino non sentire teipsum, & a temetipso exinaniri, & penè annullari, cœlestis est conversationis, non humanæ affectionis.* Atq; ita dicebat Propheta, *Introibo in potentias Domini: Domine memorabor justitiæ tuæ solius.* Quando itaque servus quilibet bonus & fidelis intrabit in gaudium Domini sui, & ab ubertate amoris ejus inebriabitur: tunc ita in Deum absorpti & transformati erimus, ut omnem nostri ipsorum simus memoriam depositurì. *Cum apparuerit, similes ei erimus,*

Quid sit Deum amare propter semetipsum.

Ps. 23. 3.

Ps. 54. 7.

Rom. 7. 24.

Isa. 38. 14

Ps. 119. 5.

Ps. 41. 3.

Ps. 70. 16.

1. Ioan. 3. 2.

mus, quoniam videbimus eum sicuti est, tunc, inquam, Deo similes erimus, & creatori suo creatura planè conformis erit. Nam sicut in Scriptura Deus omnia propter semetipsum & gloriam suam condidisse dicitur: ita & nos tunc purè Deum, nec aliter etiam nosipsos, nec aliud quid, nisi in Deo amabimus. *Delectabit sanè non tam nostra vel sopita necessitas, vel sortita felicitas; quàm quod ejus in nobis, & de nobis, voluntas adimpleta videbitur.* Omne denique gaudium nostrum non tam in voluptate & gaudio nostro, quàm in gaudio & oblectatione Dei situm erit. Atque hoc demum est *intrare in gaudium Domini.* Quapropter benè exclamat S. Bernardus: *O amor sanctus & castus! ô dulcis & suavis affectio! ô pura & defæcata intentio voluntatis! eo certè defæcatior & purior, quo in ea de proprio nihil jam admixtum relinquitur: eo suavior & dulcior, quo totum divinum est quod sentitur. Sic affici, deificari est*, in Deum transformari, &, quod Ioannes ait, Deo similem esse.

Prov. 16. 4.

Mat. 25. 21.

De diligend. Deo c. 7.

8. Tres porrò idem Bernardus, ad declarandum quo modo tunc defæcandi, & in Deum transformandi simus, adducit similitudines. *Quomodo* ait, *stilla aqua modica multo infusa vino, deficere à se tota videtur*, omnemque suam naturam, proprietatem, & qualitatem amittere, *dum & saporem vini induit, & colorem: & quomodo ferrum ignitum & candens igni simillimum fit, pristina propriaque forma exutum: & quomodo solis luce perfusus aër in eandem luminis claritatem ac splendorem transit, adeò ut non tam illuminatus quàm ipsum lumen esse videatur:* ita nos in cœlesti beatitudine omnem penitus proprietatem & qualitatem humanam amittemus, planè deificabimur, & in Deum transformabimur: nam quidquid ibi sumus amaturi, erit Deus, & propter Deum. *Alioquin quomodo erit*, ut ait Apostolus, *Deus omnia in omnibus, si in homine de homine quidquam fuerit non deificatum?* Nihil ibi erit nostrum, quia omnis nostra gloria, & voluptas erit gloria & voluptas, Dei, non nostra: *Tu es gloria mea, & exaltans caput meum,* nec in nostro tunc bono & gaudio conquiescemus, aut sistemus, sed omnis nostra requies & gaudium in solo futurum est Deo. Temetsi verò hîc in terra viventes, ad tantum perfectionis gradum tunc pertingere nequeamus, oculos tamen mentis in illum erigamus oportet; quia quo longiùs progrediendo, ad illam accesseremus propiùs, eo major nostra futura perfectio est, & unio cum Deo. Quare omne hoc argumentum ita melli fluus Bernardus concludit: *Hæc est, ô Pater, in nobis voluntas Filii tui, hæc pro nobis oratio ejus ad te Patrem suum,* cum ex hac vita decederet, ut, sicut ipse unum tecum est, ita nos cum ipso, & tecum in unione perfecti amoris idē simus, *ut scilicet amemus te propter te, & nos nonnisi in te. Hic est finis, hæc est consummatio, hæc est perfectio, hæc est pax, hoc est gaudium in Spiritu sancto, hoc est silentium in cœlo,* hoc est finis, ultimaque ad quam creaturæ fas est ascendere perfectio.

Similitudine declaratur nostri in Deum transformatio.

1. Cor. 15. 28.

Ps. 3. 4.

Lib. de amore Dei cap. 4.

Ioan. 17. 21.

TRACTATUS QUARTUS.

DE UNIONE ET CHARITATE FRATERNA.

CAPUT PRIMUM.

De pretio, valore & excellentia charitatis & unionis fraternæ.

Psa. 132. 1. *Fraternitas spiritus, melior quam carnis.* *S. Hieron.*

1. ECCE *quàm bonum*, inquit Psaltes, *& quàm jucundum habitare fratres in unum*! quàm decora pulchraque est unio & conformitas fratrum! S. Hieronymus hunc Psalmum exponens, Religiosis in una Religione & congregatione viventibus eum propriè proximèque asserit convenire: *Verè bonum, verè jucundum: unum fratrem* hîc in mundo *dimisimus, & ecce quantos* in Religione, qui nos ament, & melius, quàm fratres carnales, erga nos affecti sint, *invenimus*! *Frater meus sæcularis*, inquit, *non tantum me amat, quantum meam substantiam.* Atque hoc est, quod consanguinei & cognati nos amando præcipè spectant: suo emolumento cuncta metiuntur, suum duntaxat quærunt commodum, ejus unius causa nos assectantur & inquietant; & hoc si desit, flocci nos faciunt. Non est is verus germanusque tui amor, sed propriæ utilitatis studium. *Cæterùm fratres spirituales, qui sua utiq; negligunt*, & propter Deum deseruere; *aliena non quærunt*: non enim ambiunt substantiam, sed animam, atq; ve is demum verus est amor. Cui consonat S. Ambrosius: *Major est fraternitas Christi, quàm sanguinis, sanguinis enim fraternitas similitudinem tantummodo corporis refert, Christi autem fraternitas unanimitatem seu unitatem cordis animæq; demonstrat, sicut scriptum est: Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una.* *Act. 4. 32.*

Primum miraculū fraternitatis spiritualis. *Cap. 19. Constit. monast.*

2. Arctam hanc Religiosorum unionem conjunctionemque ponderans S. Basilius: Quid, inquit, dari, fingique potest jucundius, quid beatius, quid felicius, quid admirabilius, quā *homines ex diversis nationibus ac regionibus profectos, per exactam morum ac disciplinæ similitudinem adeò in unum veluti coaluisse, ut in pluribus corporibus unus modò esse animus videatur, vicissimq; plura corpora mentis unius instrumenta cernantur.* Hoc ipsum est, quod magna cū admiratione in vita S. P. N. Ignatii legimus, & velut eximium miraculum, quod in Societate nostra Deus est operari dignatus, suspicimus; tantam, scil. inter homines adeò diversarum nationum, & natura, & statu, & indole, & ingenio, & condi- *Lib. 5. vitæ c. 13.*

 tione

tione planè ab invicẽ diſpares & differentes, unionem & conformitatẽ: ut quamvis in rebus naturalibus toto cœlo diſtent; gratiâ tamen, virtutes, donaqve ſupernaturalia eos mirè cõformes & unos efficiant. Hoc regius Propheta ſignificare his voluit verbis: *Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.* Porrò tam latè patet hocce beneficium, quod Deus (quæ ejus bonitas & miſericordia eſt) in hoc nobis confert, ut eo non ſolùm nos, in hac Religione velut domeſtici agentes, gaudeamus; ſed etiam ad exteros, magna cum illorum ædificatione & emolumento, magnaque Dei noſtri gloria, gratiſſimus virtutis hujus odor ſpargatur ac diffundatur.

Pſa. 67. 7.

Secundus effectus fraterni ſpiritus, Attractio.

3. Unde etiam multi, ut exemplo utar, Societatem ineuntium, rogantibus aliis quid eos ad hanc præ aliis Religionibus capeſſendam moverit & induxerit, ſe illâ, quam in ea notant, unione & fraternitate maximè permotos fuiſſe reſpondent. Hæc autem optimè conſonat cum eo, qvod in ſuperiora illa Pſalmographi verba *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in vnum!* ſcribit Auguſtinus: *Verba,* inquit, *iſta Pſalterii, iſte dulcis ſonus, iſta melodia etiam Monaſteria peperit,* filios parentibus valedicere, facultates relinquere, & in Religionis portum confugere compulit. Hæc eſt tuba, quæ illos convocavit, & è variis mundi partibus in unum corpus ſociavit, hanc fratrum inter ſe unionem & charitatem, cœleſtis cujusdam vitæ ſpeciem referre, ſibi perſuadentes. Hæc Monaſteria primùm produxit, Religioſas domos replevit. Illa, magnes eſt, qui omnium mortalium corda ad ſe attrahit. Unde etiam inter tria illa, quæ *coram Deo & hominibus probata eſſe,* Sapiens affirmat, primum locum occupat, *Concordia fratrum.*

S. Auguſt. *Eccl. 25. 1.*

Tertium mirum eſt Principium Spiritus fraterni.

4. Duo nobis charitatis hujus data ſunt præcepta. Primum eſt, *Maximum & primum* illud *mandatum,* Deum *ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus* noſtris *diligendi; ſecundum* verò *huic ſimile, ut proximum diligamus ſicut noſmetipſos.* De ſecũdo hoc præcepto in præſens tractabimus: illud enim hanc unionem & fraternitatem, qua de loqui ſtatuimus, efficit. Hæc autem animorum & cordium unio, charitatis hujus amorisque effectus eſt & proprietas: nam, ut ait Magnus Dionyſius, *Dilectio quamdam unum alteri conjungendi & colligandi vim habet;* unde etiam ab Apoſtolo dicitur, *vinculum perfectionis,* quod res ab invicem divulſas connectat, & combinet, atque è multis voluntatibus unam tantùm efficiat, ut quod mihi volo, etiam aliis velim, tantùm eis boni optem, quantum mihi ipſi, ſitq; amicus alter ego, & ego alter ipſe, & ambo non niſi unum quid conſtituamus. Unde etiam S. Auguſtinus dictum comprobat ejus, qui amicum *animæ dimidium ſuæ,* id eſt, animam in duo corpora diſpertitam, appellare non dubitabat.

Matt. 11. 8. *Cap 4. de divin. nom.* *Col. 3. 14.* *Lib. 4. Confeſſ. c. 6.*

Valor & excellentia Fraterni Spiritus.

5. Ut autem charitatis & dilectionis hujus erga proximum, valorem & excellentiam, quantiq; à Deo ipſa fiat, videamus, ab ultimis illis Chriſti verbis ſuprà indicatis exordiamur. Notat verò benè circa hæc S. Chry-

Mat. 12. 38.

Hom. 25. sup. epist. ad Rom. Chrysostomus, Dominum JESVM, magno & primo illo mandato, de amore Dei jam dato, quam primùm subnexuisse, secundum de amando proximo mandatum, primo esse simile. *Considera*, inquit, *miram Domini nostri bonitatem & benignitatem: etsi enim homo infinito quodam intervallo à Deo distet, tali nihilominus eum à nobis amore diligi vult, qui sit amori, quo diligendus est Deus, proximus ac simillimus: unde etiam eandem propè in amore proximi, quam in amore Dei, mensuram præscripsit. Iubet enim ut Deum ex toto corde & tota anima diligamus; proximum verò sicuti nosmet ipsos.* Et quemadmodum cum cuipiam in mundo benè volumus, eumque etiam atque etiam alteri commendatum cupimus; dicere solemus; Hunc si dilexeris & foveris, me diliges: hoc ipsum omnino, inquit Chrysostomus, dixisse videtur Christus his verbis: *Secundum autem simile est huic*: id est, si amaveris proximum, amabis Deum. Atque hoc sensu alias Petro dixit: *Si diligis me, pasce oves meas*; *Ioan. 21. 17.* perinde ac si diceret, Si amas me, curam gere meorum; hinc enim patebit, utrùm diligas me, & quantum diligas me.

Novum mandatum sive Motivũ fraternæ dilectionis à Deo præscriptum est altissimum. 6. Vult præterea Dominus, ut eodem proximum amore diligamus, quo ipsum amamus: atque hoc novum illud est mandatum, à Christo nobis præscriptum, cùm dixit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*: ut enim Christus nos purè per Deum, & propter Deum dilexit; sic pariter à nobis *Ioan. 13. 34.* proximum per Deum, & propter Deum, diligi cupit. *Novum verò*, inquit Augustinus, *idcirco hoc mandatũ* *Tract. 65 in Ioan.* *appellat, non solùm quia novè istud nobis fuit à Christo explicatum, & novè verbo exemploq; commendatum: verùm etiam, quia verè novus est amor ille, quem à nobis hîc exigit.* Amor naturalis, in carne & sanguine, in respectibus humanis, in propriis & particularibus commodis fundatus, vetus admodum & detritus est; hocque amore invicem diligunt non tantùm boni, sed & mali; nec soli homines, sed & animalia. Dicit enim Sapiens: *Omne animal diligit simile sibi.* *Eccli. 13. 19.* Sed amor, quo proximum & fratres diligere jubemur à Christo, novus est, quia spiritualis & supernaturalis esse debet, ut scilicet *proximum propter Deum*, id est, eodem ac planè simili, quo Deum diligimus, amore diligamus. Atque ideò Theologi & SS. Patres docent, *unam eandemque esse charitatem & virtutem, quâ diligimus Deum propter Deum, & quâ proximum, propter Deum.* Et addunt, quemadmodũ, dũ Deum diligimus, ipsa, Theologica virtus est, id est, divina, & quæ Deum pro scopo & objecto habet: ita hanc quoque, Theologicam & divinam esse, quando diligimus proximum; quia illum amamus propter Deum: id est, quia infinita Dei bonitas digna est propter seipsam amari, & quia propter illam simul proximus diligi est dign⁹, etsi ipse alias non esset ex se amore dignus.

Amor carnis antiquus est; Amor Spiritus novus.

Scriptura fraternã caritatem præcipuè inculcat.

7. Nihil denique in S. Scriptura saltem Novi Testamẽti aut studiosiùs inculcatum, aut pluribus verbis commenda-

mendatum, aut frequentiùs repetitum inveniemus, quàm hoc unionis fraternæque charitatis præceptum. Unde etiam Redemptor JESUS, jamjam hinc discessurus, in ultimo illo Cœnæ sermone non semel tantùm sed iterum atque iterum illam nobis commendavit. Nam cùm dixisset: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*; illico rursum subjungit, *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*. hęc est ultima voluntas mea. quasi testamēti tabulis firmata. Hinc contentiones inter Apostolos oborientes statim sedabat. Ut hinc videamus, quantoperè hanc cordibus nostris insculptam & impressam esse voluerit: sciebat enim, quanti nostra interesset, adeoque universam legem, ac reliquorũ præceptorum observationem & adimpletionem ab hoc uno dependere, juxta illud Apostoli: *Qui diligit proximum, legem implevit.* Hinc quoque, dilectus ille discipulus hanc videtur doctrinam habuisse; quam adeò profundè cordi suo insculptam habuit, ut præter hanc in Epistolis suis Canonicis vix aliudquidquam tractare videatur, ut qui illam è sanctissimis magistri sui uberib. suxerit. Quinetiam (ut de eo refert Hieron.) cùm adeò senuisset, ut Ecclesias & collectas per se adire non posset, sed inter discipulorum brachia ad eas deferretur, in iisdem illud unum assiduò inculcabat, *Filioli, diligite alterutrum*. quem toties iteratum sermonem cùm discipuli nauseabundi propè fastidirent, subinde eum rogabant: *Magister, cur semper hoc nobis inculcas, ac repetis?* respondit (ut ait Hieronymus) dignam Joanne sententiam; *Quia præceptum Domini est, charissimi, & si id solum fiat, sufficit. Omnis enim lex in uno sermone impletur, Diliges proximum sicut teipsum, & hanc si observemus, totam legem observaverimus.*

Ioan. 15. 12. & 17.

Rom. 13. 8

NB

Hieron. in com. ad Gal. 6.

Gal. 5. 14.

8. Horum verborum Christi vim & momentum examinans Augustinus, ait: *Tantum pondus præcepti in ea sententia Dominus constituit, ut diceret: In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Neque verò Christus Dominus hîc stetit, sed ulteriùs progressus est: nam disserendo de charitate proximi, voluit (ut refert S. Joannes in illa ejus ad Patrem oratione) non solùm hanc esse velut tesseram, è qua ejus discipuli esse dignoscamur, sed etiam tantâ nos invicem unione & fraternitate conjungi, ut hæc una satis sit, ad convincendum mundum de veritate fidei ac Religionis nostræ, & Christum unigenitum Dei Filium esse, persuadendum. Quod quàm maximè D. Chrysostomus ponderat: *Non pro* discipulis meis, inquit, *rogo tantùm te*, Pater æterne, *sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti.* An unionis & fraternitatis hujus excellentia sublimiùs extolli, & magis exaggerari queat? cum una satis sit, & esse debeat, ut mundus fateatur ipsam esse quendam Filii Dei in mundum adventus effectum, utqve ipse doctrinam ejus & Christianam Religionem ultrò suscipiat.

Fraterna caritas est nota Ecclesiæ Christi seu divinæ.

Li. 83. quæst. q. 9. 71.

Ioan. 13. 35.

Ioan. 17. 20.

Hom. 8. in Ioan.

9. Ve-

Exempla fraternâ caritate allectorũ ad Ecclesiam. 9. Veritas dictorum meorum ac pondus colligi potest, ex eo, quod S. Pachomio contigit. Hic cùm etiamnum Gentilis in castris Constantini Magni militaret, &, necessariò ad vitam commeatu deficiente, famè propè emoreretur, unà cum commilitonibus quibusdam oppidum quoddam ingressus: tam autem copiosè & hilariter, tantaque caritate, omnia vitæ subsidia ab oppidanis sunt illis suppeditata, ut admiratus Pachomius quæreret, ecquænam hæc gens esset tam ad benefaciendum propensa? audito, eos *Christianos esse, quorum institutum professióq; sit peregrinos omnes paßim recipere, iisque quo possent modo opitulari, & benefacere*; ilicò se ad illud vitæ genus amplectendum interiùs permoveri sensit: quare manib. ad cœlum sublatis, & Deum in testem advocans, se Christianis spopondit accessurum. Fuit itaque hæc illi caritas motivum ad conversionem, & credendum, illam veram esse fidem & Religionem. *Baron. tō. 3. p. 144. & apud Metaphrast. 14 Maji.*

Gal. 5. 14. Fraterna caritas est nota Ecclesiæ Christi seu divinæ. *Li. 83. quæst. q. 9. 71. Ioan. 13. 35. Ioan. 17. 20.*

Quantũ donum sit fraterna caritas. 10. Addit porrò Redemptor & aliud, permagnæ nobis omnibus cõsolationi futurum: *Et cognoscat mundus, quia tu,* Pater, *me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti.* Unum è præcipuis signis, è quibus colligatur, peculiari Deum affectu erga congregationem aliquam ferri, eamque amore eximio, singulari, privilegiato, & quali Filium unigenitum diligit, diligere, est, quòd ei hanc unionis mutuæque fraternitatis gratiam largiatur; quemadmodum eum illam in primitiva Ecclesia dedisse & communicasse videmus iis, qui primitias spiritus habebant. Quare benè S. Joannes ait: *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta est.* Et Dominus ipse testatur: *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* quid igitur futurum, ubi tam multi in ejus nomine, & ex amore ejus, unientur ac congregabuntur? Itaque, ut tam amplis bonis gaudeamus, evidentissimumque istud pignus, quòd Deus inter nos versetur, nosque peculiari quodam affectu prosequatur, habeamus, omnem, quo ad ejus fieri potest, operam demus, ut in charitate & unione hac semper integri inviolatique permaneamus. *Ioan. 17. 23. Hom. 8. in Ioan. 1. Ioan. 4. 12. Matt. 18. 20.*

CAPUT II.

Quàm hæc nobis unio & charitas sit necessaria; & quædam ejus conservandæ media proponuntur.

1. Apostolus Paulus Colossenses ad omnigenas quidem virtutes cohortatur, ad charitatem tamen quàm maximè: *Super omnia autẽ hac charitatem habete, quod est vinculũ perfectionis*, & virtutes omnes colligat, conservat & animat. Nec non Apostolus Petrus in prima sua Canonica: *Ante omnia autem, mutuã in vobismet ipsis charitatẽ continuã habentes.* E quibus luculentè perspicere licet, quanti hæc charitas & unio sit momenti, cum eam Apostoli hi, & Ecclesiæ Principes, tam studiosè commendent, ut illam dicant *Ante omnia*, & *super omnia* esse comparandam: ut pro- *Adhortantur Apostoli ad caritat. fraternã. Coloss. 3. 14. 1. Pet. 4.*

proinde eam pluris semper, quàm reliqua omnia, faciamus.

Ratio exigit: ut ordo religiosus stare possit, opus est fraterna caritate.

2. Principio quidem, quàm omnibus in genere Religiosis ea sit necessaria, facilè inde colligi potest, quòd nulla penitus, sublatâ unione, & animorum conformitate, subsisteret possit Religio & quid dico, Religio? imò ne quidem congregatio ulla, aut communitas qualiscumque esse queat, in qua non aliquis unionis ordinisq; vigeat modus. Aufer à multitudine quapiam animorum connexionem & unionem, quid hæc erit, nisi mera quædam Babylon, confusio & turbatio? Et proverbio dicitur, *Vbi est multitudo, ibi est confusio*: quando nimirum multitudo ordine & unione caret: nam si ordinata unitaque fuerit, corpus est ordinatum quoddam, animatum pulcerrimâ hierarchiâ. Omnes proinde congregationes & Respublicæ, tametsi alioqui barbaræ, aliquam semper unionem & ordinem habere procurant; ut, nimirum, ab uno omnes capite si monarchia sit; aut multis unitis Rempublicã ac regimen repræsentantibus, dependeant. Hoc & in ipsis animalibus cernere est: nec solùm in apibus; in quibus naturalis instinctus, quem ad regimen politicum habent, cumprimis est admirabilis; verùm & in lupis, leonibus, alisque feris. quod enim quæque speciei suæ conservationem quærant, hinc aliquam inter se unionem concordiamque sectantur; etenim si ab invicẽ dissentirent ac dividerentur ac se cõtinuo lacerarent: tandem perirent, & paulatim esse desinerent. Ipsos etiam dæmones, etsi spiritus sint dissensionis & zizaniorum, vel ipso Christo teste, minimè credendum est, hac ipsa de causa, à se invicem diffidere, & inter sese dividi. *Si autem & Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus?* Atque in rei hujus confirmationem, adducit aphorismum & principium illud in politicis adeò certum & usitatum: *Omne regnum in seipsum divisum*, exterioribus opus nõ habet inimicis, ut destruatur ac pereat, sed ipsum à suis membris abinvicem divulsis *desolabitur, & domus supra domum cadet.* Unde etiam Plato docet, *nihil posse afferri Reipublicæ perniciosius discordiâ & dissensione*; nihil contrà utilius, mutuâ civium inter se pace & consensione. Idem, at majore cum energia de Religiosa congregatione, S. Hieronymus asserit: *Hæc* (charitas) *Religiosos, hæc monachos facit: sine hac cœnobia sunt tartara; habitatores sunt dæmones.* quis enim est ditior & exitialior infernus, quàm semper corpore conjungi, & inter se quotidie conversari, animo tamen ac voluntate à se mutuò disjungi ac dissentire? *cum hac* (charitate) *verò cœnobia sunt paradisus in terris, & in eis degentes sunt Angeli*: quòd jam tum in hoc mundo ea pace & quiete frui incipiant, quia in cœlo Angeli potiuntur. Confirmat id ipsum Basilius: *Hi*, inquit, *vita diligenter communitate retentâ, Angelorum vivendi ritum æmulantur: nulla est inter Angelos lis, nulla contentio, nulla controversia.* S. Laurentius Justinianus dicere non dubitat, *nullâ re melius in terra cœlitum & cœlestis illius Hierusalem unionem congregationemq; repræsentari, quam Religioso-*

Luc. 11, 18.

Ibid.

Plato lib. 5. de republ.

In regul. monach.

In Constit. monast. c. 19.

De discipl. monast. c. 10.

giosorum in amore & charitate unitorum congregatione & collectione. Hæc est vita angelica, vita cœlestis, verè *Dominus est in loco isto, neque est hîc aliud nisi domus Dei & porta cœli.*

Gen. 28. 16.

Speciali tamen soc. Iesu opus habet Fraterna caritate.

3. Sed generalibus his omissis, ad particularem necessitatē veniamus, quàm scilicet nobis hæc animorum unio & fraterna charitas necessaria sit. S.P.N. agens de mediis, quibus Societas & conservanda, & in bono suo spirituali promovenda sit, *hanc animorum unionem, & fraternam ad invicem charitatem, permagnum ad hoc*, ait, *præ cæteris pondus allaturam.* Et præter rationes generales, quæ unionem hanc qualicunque Religioni, ac communitati, necessariam esse convincant; sunt aliæ particulares, è quibus perspiciatur, nobis magis quàm aliis hac opus esse.

p.10. Constit. §. 9.

Prima ratio hujus necessitatis petitur ex nomine societatis seu Compagniæ.

4. Quarum *prima* sit hæc, quòd Societas quidam velut manipulus & cohors sit; ex iis conflatus militibus, quos Ecclesiæ suæ, Deus submisit, in eo, quod adversus mundum & tartareas potestates ipsa suscepit bello, in subsidium ac suppetias, ut multas animas cœlo assereret, his ultimis temporibus quæ schismatis & dissensionibus sunt maximè fœdata. Et hoc instituti nostri nomen ac definitio à nobis exigit; hoc etiam vexillum est, quod in Bulla Erectionis Societatis hujus omnibus proponitur; *Quicunque*, inquit Pontifex, *vult sub crucis vexillo Deo militare, & soli Domino & Ecclesiæ ipsiusSponsæ servire, &c.* non suis affectibus a natura vel educatione impressis. Dixi quod hoc ipsum Societatis nomen ac definitio indicet: est enim sodalitas ac turma militum spiritualiū hinc tympana pulsamus, vexillum in altum erigimus, copias adversus inimicos crucis Christi generosè decertaturas colligimus. Quare si hæc acies optimè unita, benè q; ordinata perstiterit, ut nimirum, bellatores omnes unum velint & spectent finem à Deo & Ecclesia sibi propositum, petras etiam durissimas peccatorum & infideliū cordium perfringet, ipsam autem nihil lædet, dissipabit aut dissolvet, est enim res fortissima caritas à Deo inspirata; Inde Spir. S. Ecclesiam aciei benè *ordinatæ*, & ob condensationem ac cuneum omnib⁹ *terribili* comparat, quam nihil potest perrumpere, nihil ad eam aditum invenire; unus quippe aliū defendit. at ubi semel dissensionibus illius frāgūtur & turbantur ordines, nihil ea erit debilius tunc hosti irrumpenti cedet, statimq; dissolvetur & profligabitur. David Rex indicare volens hostes se suos devicisse, ait: *Divisit Dominus inimicos meos corā me, sicut dividuntur aquæ:* quin & monti, in quo hæc eorum clades cōtigit, *Baal phrasim* (id est, locus divisionis principiū nomen indidit. Vidемомnino sit vincere, q̄ dispergere ac dividere: idemq; sit locus divisionis, quod est locus victoriæ. Vnde qui de re militari mūdi hujus scribunt, *multitudinem, quæ inordinata sit, victimā esse potiùs, quàm pugnā.* docent. Nihil siquidem in disciplina militari exactiùs aut studiosiùs observatur, quàm ut acies & ordines non frangātur dissolvanturve, sed semper integri, uniti, ordinati conserventur; sequentes ad anteriores attendant, & suam quisque stationem tueantur.

Bulla Iulii anno 1550.

2. Reg. 5. 20.

Vegetius de re milit.

Charitas fraterna non communitati modò, sed & singulis prodest.

5. Et verò, non solùm commune totius exercitus, sed & privatum militis cujusque bonum ab hac aciei debita conjunctione & conservatione dependet: nam perditis solutisque ordinibus, etiam miles ipse profligabitur ac peribit. Eodem planè modo in hac nostra Societate & phalange continget: si enim uniti simus, alter alterum seriò juvemus, & in unum simul omnes scopum collimemus, universos hostes nostros profligabimus, & nos à nullo ipsorum vincemur aut lædemur. Nam de hoc fratrum consensu Sapiens ait: *Frater qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma.* Et alio loco: *Funiculus triplex*, aut multiplex, *difficilè rumpitur*: Illis funiculis, è quib. nervus arcûs majoris aut ballistæ contortus est, exigua, aut fortasse nulla, si singulatim sumantur, inest vis & potentia; juncti verò & simul intorti durissimam ferri laminã adducendo possunt incurvare. Tales haud dubiè ipsi erimus, si uniti simus, animis conjuncti, unumque sentientes. Ad hanc animorum concordiam Religiosos animans Basilius, considerare eos jubet, quanta unanimitate & consensu *Machabæi illi prælia Domini sint præliati*: nempe in lætitia cordis. Scriptura quoque in libris Regum, de copioso illo loquens exercitu, qui è trecentis bellatorum millibus constabat, egressos eos ait, *quasi vir unus ambularet*; eo quòd unam omnes voluntatem & parem intentionem animi haberent; atque indè fiebat, ut de hostibus essent terrori, & illustrissimas de eisdem victorias referrent. Simili ergo modo spiritualia bella Domini bellare nos oportet: & sic insignem functionibus nostris in proximo fructum faciemus, & hostibus nostris terribiles erimus: qvin, ut idem Basilius addit, ipse nos dæmon timebit, neque nos aggredi audebit; de victoria quippe desperabit; vbi tot simul bellatores robore & animo ad se expugnandum, ita cõjunctos viderit, nec ullum se nobis inferre nocumentum posse sperabit.

Prov. 18. 19.

Eccl. 4. 12.

In const. mon. c. 18.

1. Reg. 11. 12.

Altera ratio specialis necessitatis, ex præcepto.

6. Cur nobis præ aliis hæc unio maximè necessaria sit, hanc S. N. P. rationem, velut præcipuam, ponit: *Vnio*, inquit, *& conformitas mutua diligentissimè curanda est; nec quæ ei adversantur, permittenda, quò juncti invicem fraterna charitatis vinculo, meliùs & efficaciùs possint se divino obsequio & auxilio proximorum impendere.* Alibi verò sine hac unione Societatem aut conservari, aut dirigi, aut eum, propter quem instituta est, finem cõsequi posse negat. Quod adeò verùm est, ut si invicem divisi ac disjuncti simus, aut animis dissentiamus, non modò finem instituti nostri (qui est animas Deo parere) non simus assecuturi; sed ne nobis quidem ipsis regẽdis & conservandis pares futuri. Si enim milites, qui ad cum hoste certandùm uniri deberent, se invicẽ oppugnare & impetere inciperent, adeò eũ non vincerent, ut seipsi potiùs conficerent & destruerent. Unde appositè Propheta: *Divisum est cor eorum* (bellantium i. se mutuò impetivere) *hinc interibunt.* Et Apostolus monet, *Quòd si invicem mordetis & comeditis*; id est, si sint inter vos dissidia, invidia, & murmurationes, *videte ne ab invicem con-*

3. p. const. c. 8. 18. & reg. 12. summar. 8. p. const. c. 1. §. 1.

Os. 10. 2.

Gal. 1. 15.

consummamini. Et certè hoc unum est nobis in Religione timendum. Non externi inimici, non persecutiones, non oblocutiones, quæ excitari contra nos in mundo queunt (nullum quippe hæc damnum nobis adferent aut noxam) sed dissidium animorum inter domesticos, & ordini uni adscriptos. Quare congruè Religiosos suos alloquens Bernardus. *Quid ergo,* inquit, *à foris vos conturbare aut contristare poterit, si intus benè estis, & fraterna pace* & charitate *gaudetis?* atque ad hoc propositum adducit illud Apost. Petri: *Et quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?* Quamdiu nos erimus, qui esse debemus, quamdiu invicem uniti, & fraternę charitatis vinculo connexi; nulla deforis insurgens contradictio aut persecutio nobis detrimentum inferet; vel tantillum nocebit; quinimò majoris in spiritu profectus & incrementi erit occasio, inq; majus bonum nostrũ cedet. Quemadmodum atroces illæ tyrannorum persecutiones (uti historiæ Ecclesiasticæ produnt) Ecclesiæ non magis nocuerunt, quam vitibus putator: nã pro uno palmite, quem præsecabant, alii plures & longè feraciores suppullulabãt. Vnde scitè Martyr ille tyranno insultans respondebat, tanta Christiani sanguinis effusione, Ecclesiæ agrum, quasi aqua fœcundissimâ, irrigari: quo frumentum lætiùs proveniret, & magis multiplicaretur.

Serm. 29. in Cant.

1. Pet. 3. 13.

Sanguis Martyrũ incremẽtum Christianorũ.

Exemplũ unionis & concordiæ.

1. Mach. 8. 16.

7. Laudantur in libris Machabæorum Romani, concordiæ mutuæ & unionis nomine: *Committunt uni hominum magistratum suum per singulos annos, & omnes obediunt uni, & non est invidia, neq; zelus inter eos.* Qui quandiu ita invicem conjuncti & concordia uniti fuere, mundi totius imperiũ obtinuere, & inimicis omnibus prævaluere; at postquam civilibus inter se concertare bellis cœperunt, tota vis illa protinus collapsa est. Vnde ortum habuit hoc proverbium: *Concordia parvæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur.*

Tertia ratio specialis in Soc. Iesu pro necessitate caritatis.

8. p. const. c. 1. §. 1. & in declarat.

8. Præter hanc, est & alia particularis ratio, cur in Societate maximè, unio hæc animorum colenda sit; quam S. P. N. in octava Constitutionum parte proponit; *quòd nimirum in Societate particulares quædam difficultates & impedimenta occurrant, quæ hanc nos unionem consequi impediant:* proinde necessarium esse meliùs eam solidiusque firmare, & adversus impedimenta hæc & obstacula remedia nonnulla quærere. Impedimenta verò istius in Societate unionis S. N. P. eo loco ad tria capita revocat. *Primum* est, quòd Societas per totũ orbẽ sparsa sit diffusa, inter fideles æquè ac infideles agens; ideoque quòd Socii inter se immensis terrarũ spatiis ab invicẽ distent, difficiliùs se mutuò possunt cognoscere, invicem colloqui, communicare, uniri; præsertim, quia tam diversarum nationum, inter quarum plurimas etiam naturalis contrarietas, & ab invicem aversio invenitur, suo ipsa gremio complectitur, neque tam facilè est, aversionem illam homini innatam, quæq; usu deinde ipso in eo invalescit, exuere, & alienigenam, non ut alienigenam, sed ut filiũ & fratrem Societatis intueri & amplecti. *Altera difficultas* est, quòd po-

Impedimẽta tria fraternæ charitatis in Societate cavenda.

tissima Sociorum pars litteris vacare debeat. Scientia autem inflat, & efficit, ut homo magnum quid de se præsumat, alios verò deprimat & parvifaciat; quin etiam, nescio quam judicii duritiem ac præfractionem causatur. Vnde etiam S. Thomas homines litteratos ac doctos, non æquè ac simplices & indoctos asserit devotioni pietatique esse addictos. Quare meritò timendum videri, ne doctrina hæc in causa sit, cur non ita fraternè, ut oportet, se ament & conjungantur, unoquoque suam opinionem plus æquo sequi & tueri, aliis præstare, proprio judicio niti, honoremq; & æstimationem sibi ambire satagente, quod magnæ discordiæ & divisionis causa esse consuevit. *Tertia difficultas* & impedimentum, & quidem non exiguum, est, quòd hi ipsi futuri sint viri magni nominis, & egregiis talentis instructi, qui magna apud Principes, Magnates, Respublicas, & Capitula familiaritate auctoritateque valebunt: Ex his autem familiaritatibus & favoribus diversæ oriri solent partialitates & factiones; subingredi quoque inde singularitas, immunitas, exemptio, & à communi vivendi norma exceptio, quæ unionem & concordiam fraternam non mediocriter deterunt.

S. Th. 2. 2. q. 82. art. 3. ad 3.

Remedia ad fraternam charitatem conservandam. Arcendi à Societate homines

9. Ergo quo majores sunt morbi & mala, eo etiam acriora vicissim adhibenda remedia & cautiones. Vnde etiam S. P. N. nonnulla eo loco remedia ad hisce difficultatib. occurrendũ præscribit. *Primum*, & reliquorum omnium fundamentum est, ut in Societate non detineantur, vel cooptentur illi, qui vitia sua & passiones edomare non statuerint: indomiti enim & immortificati, nec disciplinã, nec ordinem, nec unionem ferent. Hinc, qui doctrina præstabit, alios geret spiritus, aliquas præ aliis conjectabitur immunitates, & privilegia, cæteris præferri volet, eos parvi ducet, Principis aut Magnatis cujuspiam benevolentiam captabit, habere cupiet aliquẽ, qui sibi famuletur, è quo statim factiones ac dissensiones enascuntur. Quo quis in Societate doctior, ac majoribus dotibus erit instructus, nisi simul virtutib. excellat, & domitis passionibus benè sit mortificatus; hoc magis timendum, ne is incipiat domus unionem dissolvere, & postea negotium universæ congregationi sit daturus. Vnde non ineptè litteræ & præclaræ in homine immortificato dotes ac talenta, acuto gladio in manibus furiosi cujusdam comparantur; quem vibrando, tam se quàm circumstantes vulnerabit.

immortificati, quãtumcunque excellãt.

10. At si doctrina excellentes, mortificatione & humilitate etiam excellant, nec seipsos, *sed quæ Iesu Christi*, ut loquitur Apostolus, *quærant*, tunc multa vigebit pax & unio, omniaque ad votum fluet: suo namq; exemplo non parum cæteros excitabunt, & ad sui imitationem provocabunt. Hoc est præcipuum remedium, quod solũ bene observatum concordiæ fovendæ sufficiet.

Alterum remediũ cõservatio humiliatio in Societate. Phil. 2. 21

11. Sed præter hoc, etiam alia particularia remedia S. P. N. suggerit ibi, ad impedimenta, quæ diximus, tollenda. Nam ad tollendum quod è mutuæ communicationis & cognitionis

Tertium remediũ. p. 8. Const. c. 1. §. 9. & p. 10. §. 6.

tionis defectu, quem locorum afferre distantia solet, enascitur, monet, ut se invicem per literas ædificatorias ultro citroque missas, pro Societatis usu, compellent, quarum reciproco commercio fit, ut invicem se norint, & ad eandem vitæ normam & modum, in quantum nationum ferret diversitas, sectandam animentur, quod ad unionem fraternam est perquam magnum momentum.

Epistolæ charitatē fraternā promoveat.

Quartū remediū obedientia. 8.p.Const. c.1.§.5. & p. 10. §.9.

12. Aliud etiam, superiori non inferius ad unionem hanc conservandam, remedium ibidem ponitur: ut, videlicet, obedientia quàm exactissimè servetur. Ipsa namque Religiosos arctè inter se consociat, copulat, unit, & ex multis voluntatibus unam, ex multis judiciis unum componit. Propria namque voluntate, proprioque judicio ex omnibus singillatim subditis sublato (quod per obedientiam fit) una tantùm manet communis voluntas & judicium, Superioris scil. qui omnes subditos sibi; illis autem cum capite & Superiore suo unitis, etiam membra sibi invicem erunt unita, juxta illam Philosophorum regulam: *Quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Et quo subditi Superiori suo magis uniti erunt, hoc etiam sibi mutuo magis unientur & copulabuntur. Obedientia siquidem disciplina religiosa, & regularum observantia runcina est, quæ omnes complanat & æquat, proinde mirum causatur ordinem, miram animorum connexionem.

Symbolū charitatis, Lyra.

13. Ægypti veteres hiaroglyphicis suis unionem & concordiam expressuri, lyram multis instructam fidibus ac nervis pingebant: qui quod cum nervo principe consonarent, eiq; attemperati essent, suavissimam quamdam edebant harmoniam: pari modo communitas religiosa, constans è tot chordis cum chorda primaria, Superiore, inquam, attemperatis, dulcissimam quandam edit consonantiam & symphoniam. Sed ut in lyra, si vel una chorda dissonat, eâ scil. aut relaxatâ, aut plus nimio intensâ, omnis illa musica concordia & harmonia perit ac dissolvitur; ita si in Religione vel unus inferior dissonet, nec cum Superiore suo consonet, in ccusa erit, cur omnis unionis hujus concordia & concentus, & harmonia destruantur. Atq; inde nonnulli occasionem sumpsere dicendi, vocem *concordia* à *chorda* derivari; sed rectiùs deducunt, qui à *corde* eam (omnibus, scilicet, unum & idem cor habentibus) efformant, secundùm id, quod in Actis Apostolorum legitur: *Multitudo autem credentium erat cor unum & anima una.*

14. Quemadmodum, ut ait S. Bernardus, ideò navis aquam bibit, quòd aut rimosa sit, aut tabulæ invicem nō benè connexæ, vel pice oblitæ; ita unica, cur Religio pereat, & destruatur, causa est, quòd Religiosi invicem amoris glutino, & charitatis fraternæ vinculo non benè connexi colligatiq; sint. Idcircò R.P.N. Generalis Claudius Aquaviva, in ea, quam de unione & charitate fraterna scripsit, epistola, tantopere nobis eam commendat, tantoq; nos ejus studio vult teneri, perinde ac si totum Societatis bonum, & omnis incolumitas (uti

Damnū læsæ fraternæ caritatis.

verè

verè dependere asserit) ab hac una dependeret. En Christus Iesus Redemptor noster, illa oratione, quam pridie passionis suæ, discipulis supremum vale dicturus habuit, quàm ardentissimè nobis illam, tanquam ad salutem maximè necessariam à Patre æterno postulavit, dicens; *Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos.* Quibus in verbis obiter, & velut per transennam, notanda est illa, quam ponit, similitudo: Vt enim filius natura unũ quid est cum patre, ita nos amore & dilectione unum quid esse cupit. Atque hæc, nostra futura custodia, & conservatio est.

Ioan. 17. 11.

Caput III.

Aliquot è sacra Scriptura depromuntur rationes, è quibus, quantopere ad charitatem & unionem fraternam servandam obligemur, ostenditur.

1. IOANNES Evangelista cum declarasset vehementem, quem Deus erga genus humanum amorem habuit & ostendit, Filium suum unigenitum ei dando, infert & concludit: *Charissimi, sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere.* Dubitabit hîc aliquis, & non immeritò percõtabitur, quomodo ex eo, quòd ita nos Deus dilexerit, inferat & concludat Apostolus amorem in proximos; nihil enim aliud inde inferre debuisse videtur, quàm ut Deum ipsi fervidè diligeremus, cum ipse nos ita dilexerit priùs. Sed facilè huic dubio respondetur.

1. Ioan. 4. 12.

2. *Primò*, ideò isto modo Apostolum locutum esse, ut hinc amoris erga proximum excellentiam, quantique eum Deus faciat, videremus. Sic cum apud Matthæum, quidam legisperitus à Redemptore petiisset: *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* & Dominus respondisset: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, hoc est primum & maximum mandatum*; illicò subjungit: *Secundũ autem simile est huic; Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Tantùm de primo mandato, Domine, te legisperitus ille sciscitatus erat, cur autem illi secundi mentionem infers? eo, scilicet, fine, ut nobis amoris erga proximum dignitatem & excellentiam, ejusque apud Deum pretium & valorem ostenderet, si mandata Dei & proximi diligendi quasi unum præceptum inculcaret.

2. Prima ratio debiti de diligẽdo proximo.

2. *Secundò*, quia amor Dei & proximi sunt velut duo annuli sibi invicem innexi & inserti, quorum unus sine altero tolli & extrahi è digito nequit, at simul uterque. Similiter amor Dei & proximi semper sibi mutuo conjunguntur & uniuntur, nec potest hic sine illo subsistere: nam uno eodemque charitatis amore tam Deum, quàm proximum propter Deum amamus, ideoque nõ potest amari à nobis Deus, quin simul ametur proximus; nec proximus amore charitatis diligi, quin eâdem opera ipsum amemus Deum: proximi quippe amandi ratio & norma Deus est. Quocirca Apostolus, demonstraturus

Secunda ratio debiti de diligẽdo.

rus nos proximum amando, Deum simul amare, statim subjungit: *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta est.* Vt autem ostendat, in amore Dei ipsum amorem proximi includi, addit: *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Dei erga homines amor, ac quantopere ipse velit eos à nobis diligi, per quàm clarè & evidenter patet ex eo, quòd amare Deum non possimus, nisi simul proximum amemus; nec proximum offendere, nisi simul offendamus Deum. Si quis Rex ita famulum suum diligeret, ut, quoties quis hunc offendere aut necare vellet, corpus suũ Rex ipse semper opponeret, ictum aut telum excepturus; adeò ut nullatenus famulus tangi lædivé ballista aut gladio posset, quin ipse Rex ante læderetur aut offenderetur; annon is extremus hujus amor foret? Idem prorsus Deus cum hominibus agit: semper enim ita se ante homines constituit, ut offendere proximum nequeas, quin pariter ipsum offendas, ut sic proximo inferre damnum caveas, ne hunc offendendo, Deum offendas. Nam per Prophetam suum ait, *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Vt, dum proximum lædimus, lædamus Deum; dum proximũ amamus, amemus Deum, dum proximũ diligimus, diligamus & Deum. Cum ergo amor Dei & proximi semper conjungantur, & unus in altero includatur, nec ab invicem commodè disjungi aut separari queant; meritò utrumlibet è duobus amoribus inferre & concludere Ioannes potuit: unum enim stabiliens, simul etiam alium à nobis exigebat; expresè autem amorem proximi intulit & conclusit, non autem Dei; quòd ipsa Deum amandi obligatio & debitum sit principium per se notum, & nimis quàm manifestum: principia verò supponi solent, non probari, sed tantùm conclusiones. Vnde hinc eduxit cõclusionẽ de amore proximi, quã alius fortassis inde non elicuisse.

[Margin: Prima ratio debiti de diligẽdo proximo. — 1. Ioan. 4. 12. — Ibid. v. 21 — Secunda ratio debiti de diligẽdo. — Zach. 2. 8.]

3. *Tertiò* respondeo, Ioannem in ea Epistola non loqui de amore marcido, arido, & sterili, sed feraci, fructuoso, utili, qui opera bona & bene facta secum trahat, unde ait: *Filioli mei: non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate*: is namque verus amor est. Declaraturus autem Deum poscere, hæc opera bona ut proximo & fratribus impendamus (juxta illud Oseæ, quod & in Evangeliis citatur, *Misericordiam volo, & non sacrificium*) ideò expresè amorem erga proximos inde elicuit & intulit. Sicut si quis creditor absens suo debitori per epistolam sic scriberet: Quod mihi debes, velim id meo nomine Petro aut Paulo, qui apud te præsens est, persolvas; est id enim res mea, & eam in acceptis referam. Pari modo S. Ioannes Dei creditoris nostri, cui tantum amorem, tantaque beneficia debemus, nomine nobis edicit: *Si sic Deus dilexit mundum*, tantumque nos illi debemus, & obstricti sumus; *& nos debemus alterutrum diligere*: in proximum namque Deus debitum, quod ipsi debemus, transcripsit: quã fratri tuo charitatem aut beneficium exhibes, id Deo præstas, & hoc ipse

[Margin: Tertia ratio debiti de diligendo proximo. — 1. Ioan. 3. 18. — Os. 6. 6. — Matt. 12. 7.]

recipit, quasi sibi præstitum. Hinc ipse Dominus ait: *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Est hoc aliud, & quidem efficax, ad fratres nostros diligendos, beneq; iis faciendum, motivum: ita namque fiet, ut quamvis, illorum personam intuendo, nihil nos illis debere credamus; in Deum tamen oculos conjiciendo, & quantum illi debeamus, quodque is jure suo cesserit, idque in proximos transtulerit cogitando, plurimum nos illi debere, & servos illius devinctissimos esse, confessuri simus. Quare egregiè P. M. Avila, *Quando*, inquit, *tua tibi caro suggesserit, Quidnam huic debeo, ut illi benignè faciam? quomodo eum amabo, qui mihi malum ante intulit? Respondeto: Audirem equidem fortasse te, si amoris mei causa ipse proximus solùm esset; at, cum ipse Christus amandi ejus causa sit, qui bonum & veniam proximo impensam, velut sibi factam admittit ac reputat; cur amorem & benefacta mea impediat, quòd proximus sit qui est, aut malum quodcumque voluerit, mihi irroget, cum non tam ipsum spectem, quàm Christum?* Quamobrem, ex ingenti Dei erga nos amore rectè Apostolus amorem in proximos infert. Ad quem ut meliùs nos moveret, & nunc nobis persuaderet, in Præmissa & propositione, (è qua isthanc conclusionem elicuit) incarnationis Fili Dei mysterii mentionem fecit: *Quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum:* Vt meminerimus, scilicet, & consideremus, Deum quamdam cum hominibus consanguinitatem contraxisse, ac proinde proximos jam ut Dei consanguineos, & Iesu Christi fratres, intueamur, eosque ut tales diligamus.

Matt. 25. 40.

Cap. 96. in Audi filia.

1. Ioan. 4. 9.

CAPUT IV.

Qualis nostra cum fratribus unio esse debeat.

1. BAsilius & Augustinus, illustria Ecclesiæ nostræ sidera, egregiè nobis, qualis esse nostra cum fratribus debeat unio, illa, quam Apostolus adfert, similitudine & *metaphora, à corpore humano, & membrorum ejus inter se conformitate & unione*, petita, declarant. Videte, inquiunt, & quænam sit inter corporis nostri membra unio & conformitas; quomodo unum alteri obsequium opemque præstet; oculus pedi, pes manui; quomodo manus caput tueatur, & si quis pedem tuum proterat, illicò lingua dicat: *Cave, pedem offendis*; quomodo item horum singula parti debiliori unanimiter opem ferant, ac succurrant: uti videre est, dum vel vulnus aliquod accepisti, vel alio quopiam malo laboras; quomodo unumquodque sibi necessarium alimentum sumat; quod autem superest, alteri elargiatur. Quid de illa dicam passionum ac dolentiæ conformitate, quam Medici vocant Sympathiam, ut, scilicet, dolente & languente stomacho, doleat & patiatur caput; & dum membrum unum sanitati restituitur, totum corpus gaudeat & exultet? Ait Apostolus: *Pro invicem solicita sunt membra, & si quid*

S. Basilius reg. q. 7. S. August. homil. 15. ex 50.

Vnio fraterna sit æmula Vnionis intercorporis membra.

1. Cor. 12.

si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Quod Augustinus examinat, dicens: *Ecce pes calcat spinam; quid tam longè ab oculis, quàm pes? Longè est loco, sed proximus affectu charitatis.* Mox ergo ut spina pedi inhæsit, illam oculi quamprimùm investigant, ad eam se corpus inclinat, quamprimum lingua sciscitatur ubinam sit, quamprimum denique manus ad eandem educendam se applicat. *Sani* tamen sunt *oculi, sana est manus, corpus, caput, lingua, sanus est & pes;* illo ejus punctulo dempto, quod ob spinæ insidentis aculeum dolet: itaque *pro invicem solicita sunt membra, & compatiuntur omnia membra,* donec pes persanetur; ubi verò is persanatus fuerit, omnia congaudent, eique congratulantur. Ita nos cum fratribus geramus oportet, ut nimirum non aliter pro invicem soliciti simus & laboremus, ac si nostra res ageretur, perinde bono alieno gaudeamus, & malo doleamus, ac si proprium bonum malumvè id foret.

S. Basilii reg. q. 175. S. Augusti. homil. 15. ex 50. Vnio fraterna sit æmula Vnionis inter corporis membra.

In Reg. brev. q. 175. Duplex materia exercendæ caritatis.

2. In his duobus, teste S. Basilio, amor & charitas mutua potissimum elucet, ut, nempe, proximorum nostrorum afflictionibus & laboribus, cum spiritualibus, tum corporalibus contristemur & compatiamur, bono autem eorum ex corde gaudeamus: idq; ex mente Apostoli dicentis: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Quamobrem, ut benè observat Climacus, si quis examinare volet, quo in proximum amore & charitate feratur, videat, num illo peccante angatur animo aut etiam ploret, de illius verò gratiis & charismatibus spiritualibus gaudeat, illique serio gratuletur. Hæc expēdere optimum amoris nostri in proximū examen & indicium est. Hinc sancta illa virgo de seipsa dicebat: *Majorem semper anima mea gratiam recepit, dum proximi planxi & deploravi peccata, quàm dum propria.* Non quòd propriæ culpæ minùs plangendæ sint, quàm alienæ; sed hac exaggeratione tantùm ostendere voluit, quàm hocce erga proximum charitatis exercitium Deo sit gratum. S. Bernardus porrò, duo hæc charitatis exercitia esse dicit, ceu duo sponsæ ubera, inter quæ sponsus Christus requiescat, juxta illud: *Inter ubera mea commorabitur.* Et suum ambo proprium lac habent, inquit mellifluus ille Doctor, idque super mel dulce & sapidum; unum quidem lac congratulationis & exhortationis; alterum consolationis.

Rom. 12. 15. Cap. 4. Climaci. Angela de Fulgi c. 70. Serm. 10. in Cant. Cant. 1. 12.

3. Verùm, in hac S. Pauli comparatione consideranda quidem est hinc membrorum diversitas, & differens illorum conditio & qualitas; aliud enim membrum sunt oculi, aliud pedes aliud denique manus, quorum singula suum, & quidem diversum officium habent: illinc verò tanta illorum unio & conjunctio, ut suum quodque illorum officio & munere contentum sit, nec alteri suum, tametsi dignius & eminentius, invideat. Quod ipsum & nos imitari par est; ita ut quisque suo contentus officio esse, nevè invidere aliis altiora officia ac ministeria obeuntibus debeat. Ad hæc membrum unum superius,

Duplex exercitium caritatis fraternæ.

superius, nunquam aliud despexit inferius; sed ipsum magni pendit, adjuvat, & quà potest tuetur & custodit: ita, qui altioribus ministeriis præsunt, despicere non debent eos, qui viliora officia & ministeria obeunt; sed magni eos æstimare, adjuvare, nec aliter de iis laborare, ac de membris quorum ope quammaximè indigemus. Vnde Apostolus: *Non potest oculus dicere manui, Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedi, Non estis mihi necessarii.* Verùm ita singula corporis membra disposuit ac temperavit summus ille fabricator Deus, ut quæ videntur membra corporis infirmiora, ea magis necessaria sint. Vide, quælo, quàm necessarii corpori sint pedes, ac quàm incommodum nobis foret, iis carere. Atque id altissima sua sapientia & providentia ideo sic Dominum disposuisse, Apostolus asserit, ut nullum inter membra esset schisma vel divisio, sed mira eorumdem unio & conformitas. Eodem planè modo se res in hoc Religionis corpore habet: alii quippe officio funguntur capitis, alii oculorũ, alii pedum & manuum; nec dicere potest caput, manuum se operâ non indigere; nec oculi, pedibus haud difficulter se cariturus. Quin imò ea videntur esse ex iis, quibus, ad vitam trahendam, & aliquid in Religione perficiendum, maximè opus habemus; atque inde natum est, quod vulgò dicere solemus, eos quos nobis valde utiles sentimus, esse nostros pedes & manus: sine illis enim nihil omninò facere posse videmur. Si igitur Deo tanta fuit cura de corporis membris, quanto non majore quadam Dei providentia factum credemus, ut nullum inter nos schisma intercedat aut divisio, sed ingens consensio & mira conformitas, quoad animam & voluntatem?

1.Cor.12. 21.

4. Atque hæc est veræ unionis & fraternitatis imago; ex qua discamus oportet, quomodo alter alteri opitulari, auxiliares manus & ministeria impendere debeamus: quòd hac unâ re unio valdè & conservetur, & adaugeatur; quàm & Apostolus inprimis nobis commendat, dicens: *Per charitatem spiritus servite invicem.* Vnde mirificis Religiosus ille laudibus celebrari meretur, qui libenter aliis obsequium impendit, omnibus servire, succurrere, gratificari gestit. Hoc enim charitatis, humilitatis, & mortificationis certissimum est argumentum: longè secùs ac quidam, qui, ne se mortificent, vel tantillũ laboris assumant, aut quidquã de quiete sua deperdant, fratribus suis gratificari & obsequi nesciunt. Neq; verò dubitandum, quin Redemptor noster Christus in heroico illo facto, cum discipulis pedes abluit, non aliud spectarit, quàm humilitatis (illius nempe humilitatis, quæ ad exercitiũ charitatis & fraternitatis viam sternet) nobis exemplum dare: *Si ergo ego*, inquit, *lavi pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis* invicem, & humilitate & charitate alter alterum adjuvetis & ministretis.

Methodus accuratissima perveniendi ad fraternã caritatẽ.

Gal. 5. 13.

Ioan. 13. 14.

CAP.

Caput V.

In particulari ostenditur, quid unio & charitas fraterna à nobis exigat, & quid eidem conservandæ conducat.

1. Cor. 13. 4. Virtutes charitati conservandæ necessariæ.

1. CHaritas *patiens, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt.* Omnium, scilicet, virtutum exercitium ab unione & charitate fraterna postulatur: quod enim eam impedit aut oppugnat, est superbia, invidia, ambitio, impatientia, amor proprius, immortificatio, aliique id genus adversarii: ut ergo in ea nos conservemus, virtutum contrariarum exercitium requiritur. Atque hoc est, quod præpositis illis verbis nos docet Apostolus: unde aliud hîc nobis non erit opus, quàm ea explicare.

Quomodo patientia & benignitas charitati necessariæ sint.

2. *Charitas patiens est: benigna est.* Duo hæc, pati, & benè omnibus facere, ad hanc unionem & mutuam inter nos charitatem retinendam permagni momenti sunt, & inprimis necessaria. Cùm enim homines simus, & defectibus & imperfectionibus pleni; hinc crebram & multiplicem aliis nos supportandi occasionem & materiam damus: & cùm ex altera parte tam debiles & inopes simus, auxilio opeque aliena opus habemus. Per quæ duo, ait Apostolus, alibi, & charitatem conservandam, & Domini de ea præceptum adimplendum, invicem scilicet juvando & supportando: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* In

Gal. 6. 2. Lib. 83.

quæ verba scribens Augustinus egregiâ id declarat similitudine. *Naturalium*, inquit, *rerum scriptores tradunt, cervos, quando flumen aut fretum, ad insulam aliquam pascuorum gratia transeunt, hac uti industria solere. Cùm enim capita habeant pondere cornuum gravia, sic seriatim alter post alterum, atque uno velut filo se in aquas conjiciunt, ut sua quisque cornua cervice porrectâ tergo anterioris imponat; ita se exonerantes suo, & invicem in alieno ferendo adjuvantes. Adeò ut, omnibus onere proprio carentibus, & alterius id tergo imponentibus, solus agminis ductor cæteros præcedens, cornutum caput in aera sustollat, hunc libenter laborem subiens, quò socios sequentes alleviet. Ne verò & hic, præ labore nandi fatiscat, ac defatigetur, mutatis vicibus, fit ex primo novissimus, & agmen claudit, in ejus locum ad tempus succedēte eo, cujus ferebat caput, cùm ipse præiret. itaque tandiu stationes commutant, & se mutuo succollant, quoad continentem contingant.* Pari modo & nos alter alterum juvare & supportare convenit, sociumque exonerare, & à labore, quantum per vices licuerit, liberare. Hoc scilicet exposcit charitas: laborem autem fugere, & onus omne in alterius humeros conjicere, charitatis defectum arguit. Quo enim plus præstiteris, hoc plus mereberis: tibi uni laboris merces cedit.

qui q. 71. & tom. 10. serm. 21. de verb. Ap. Pl. l. 8. c. 23. Cervorũ in flumine trajiciendo industria.

3. Addit eodem loco Augustinus, nulla è re meliùs charitatem fraternam probari & colligi, quàm ex patienti imperfectionum & importuniorum gravaminum proximi tolerantia, *Supportantes invicem in charitate:* Eph. 4. 2.

1.Cor.13.5. *follicitiservare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Et, *Charitas omnia suffert, omnia sustinet.* Sicque ipsa suo in vigore perseverat. Si enim patienter supportare, & fratres tuos tolerare nescis; certus esto, charitatem hanc non fore diuturnam, tametsi alia quælibet ejus conservandæ media, rationes & remedia usurpes. Quòd si amor naturalis & carnalis ineptias & imperfectiones infirmi suffert (uti in matrefamilias, filio aut conjugi ægrotantibus, ministrante videre est) æquiùs multò est, ut spiritualis charitatis amor, fratrum nostrorum importunitates, imperfectiones & infirmitates pati & tolerare norit. *Memineris autem*, ait Augustinus, *istud charitatis officium & exercitium non fore perpetuum, in alia siquidem vita nihil erit quod patiamur, nihil quod in fratribus nostris toleremus:* propterea inquit, feramus eos in hac vita, ut æternam illam vitam consequi mereamur, nec oblatam occasionem de manibus excidere patiamur: labor quippe futurus est brevis, merces verè & præmium, quod sic meremur, perpetuum. Duo porrò hæc, nimirum sufferre per patientiam & supportare fratres, dein eos adjuvare & benefacere, eis per benignitatẽ, tanti sunt momenti, ut dicere Augustinus non dubitet, *duobus his totius vitæ Christianæ compendium contineri.* Nec sine ratione. Vita
Matt. 22. 40. quippe Christiana omnis super charitatem fundata est, in eaque universa lex, teste Redemptore Christo, inclusa est: proinde, quod charitatis est summa & compendium, illud ipsum & vitæ Christianæ esse censeo breviariũ.

4. Sequitur apud Apostolum Paulum: *charitas non inflatur, non est ambitiosa.* Consentit Ambrosius dicens: *Amicitia & amor nescit superbiam* vel arrogantiam; quin potiùs magnam inter invicem amantes, æqualitatem causatur, ideoque Sapientem dixisse vult: *Amicum salutare non confundar.* Inter amicos nos adeò certatur de præminentia, nec respicit amicus, uter alterum in salutando prævertat; ac neuter erubescit alterum honore colere, & in eo ipsum prævenire. Inter amicos namque magna viget æqualitas & simplicitas: nescit enim amor præeminentias & superioritates. Unde benè Aristoteles: *Amicitia debet esse inter æquales.* & Poëta: *Non benè conveniunt, nec in una sede morantur Majestas & amor.*

Quomodo caritas non inflatur. Lib. 3. Offic. c. 16. Eccl. 22. 31. Ethi. l. 8. c. 6. & 7. Ovid. l. 2. Met.

Regem agere, auctoritate pollere, & simul amicitiam colere, non concordant, nec conspirant. Si veram amicitiam inter te & amicum intercedere velis, humiles, demittas, & amico te exæques necessum est. Amicus namque *est alter ego.* In ipso etiam Deo, amor quo homines prosecutus est, tantùm potuit, ut se humiliare, & hominibus adæquare coegerit, ipseque minorem se Angelis reddiderit: *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis*; & nostri similis, factus sit homo: *Et homo factus est.* Unde nobis ait: *Iam non dicam vos servos, sed amicos,* quod nomen quamdam æqualitatis speciem significat.

Psa. 8. 6. Symboli Apostolic. Ioan. 15. 15.

5. Considera hîc, obsecro, affectuosissima Jesu Christi viscera, quòd, cùm in aulis sæculi hujus, amicus Regis nemo dicatur, etsi quis alio-

Amicitia æqualitatẽ connotat, hanc homo re-

refugit, aliquin vir magnus sit, Marchio, vel
Deus assumit. Dux; sed tantùm Regis appelletur intimus & familiaris (quòd nomen *amicus* quantam æqualitatis speciem denotet:) infinita tamen illa Dei ter maximi Majestas, ita se nobis familiarem reddere voluerit, tantoque nos sit amore complexa, ut *jam non servos nos dicat, sed amicos*, quos quolibet tempore suo vult alloquio dignari. Simili ergo modo charitas, hîc in Religione, nescire debet, quid sit superbia & arrogantia; sed magnam æqualitatem & paritatem in animis omnium generare. Et hæc æqualitas (quæ quidam amoris affectus est) ad charitatem unionemq; cùm conservandam, tum adaugendam quàm maximè confert: altera enim alteri adminiculatur. Unde etiam signum evidens est, quod quando ea humilitas & simplicitas hæc in omnibus domesticis viget tunc magna ea in communitate dilectio, unio, fraternitasque unicordes efficiens, efflorescat. Ideò videmus (quæ Dei bonitas est) in Societate nostra, sicut in ea charitas fraterna mirificè resplendet, ita æqualitatem hanc, & synceram simplicitatem inter omnes
Reg.29. sum consit. effulgere; *unoquoque*, scilicet, *procurante atque optante potiores partes aliis deferre, omnes in animo suo tanquam*
Reg.3.6.5 *sibi superiores ducendo*: quique in mundo (ut ait Augustinus) aliquo apud suos loco erat, majorem honorem ac voluptatem è suorum fratrum pauperculorum commercio capere, quàm ex omni parentum opulentorum dignitate ac nobilitate. Nihil enim talis homo, præter unam virtutem, magni facit & æstimat, cætera verò ut peripsemata proculcat.

6. Quantoperè hoc ad charitatem conservandam conducat, notat his verbis S. Ambrosius: *Multùm ad conservandam & roborandam dilectionem valet, cùm secundùm doctrinam E-* Epist.84. ad virg.
vangelicam invicem se homines honore Demetri-
præveniunt, & alter alterum Superiorem adem.
existimantes, amant servire subjecti, & nesciunt tumere Prælati: cum & pauper divitem non sibi dubitat anteferri, & dives pauperem sibi gaudet æquari: cum & sublimes non superbiunt de claritate prosapiæ, & pauperes non extolluntur de communione naturæ, aut professionis: *cùm denique non plus tribuitur magnis opibus, quam bonis moribus; neque major ducitur phalerata iniquorum potentia, quàm rectorum inhonora justitia.*

Caput VI.

De aliis duabus rebus, quas charitas & unio fraterna à nobis exigit, juxta Apostolum.

1. Charitas, inquit Apostolus, *non æmulatur*: imò verò qui ex a- 1.Cor.1.
nimo & syncerè alium amat, non mi- 34.
nus ejus bonum quærit, eoque gau- Exemplum
det, ac si proprium foret. Probat hoc caritatis
Augustinus exemplo amoris, quo non æ-
Davidem prosequebatur Jonathas. mulanti:
Nam de eo sic scribitur: *Anima Ionathæ conglutinata est animæ David, & di-* Lib.1. de
lexit eum Ionathas quasi animam suam; amicit. c.
erâtq; ambo unicordes & unanimes: 24.
inde factum, ut, esto Jonathas filius 1.Reg.18.
esset Regis, Davidi tamē regnum po- 1.
tiùs, quam sibi optaret, dicens: *Tu regnabis super Israel, & ego ero tibi secūdus* 1.Reg.23. 17.

Da-

Davidis scilicet bono Jonathas gaudebat, quasi proprium fuisset.

Aliud & quod invidia charitatis sit noverca.

2. Aliud etiam exemplum Patres à Beatis desumptum adferunt, quo hæc charitatis proprietas effectusque magis declaratur. *Sicut, in Beatis*, inquiunt, *in cœlo nulla est invidia, quòd alius alio major sit, sed, si fieri posset, quisque majore alium gloria donari vellet, quinimò suam cum illo dividere, & ut minor in gloria, sibi in ea æqualis, vel etiam major fieret: perinde namque quilibet aliena gloria gaudet, ac si propria foret, ita nos in illam patriam suavem aspirantes, decet hic præ exerceri, ut illa digni videamur.* Neque verò id intellectu difficile est: si enim naturalis matrum in hoc mundo amoris vis tanta est, ut filiorum suorum bono haud aliter ipsæ gaudeant, ac si proprium foret, quanto id magis faciet amor ille cœlestis, tanto naturali excellentior ac perfectior? Pari modo amor & charitas in nobis efficere debet, ut tantùm de fratrum & proximi bono lætemur, quantum de proprio: is namque proprius charitatis effectus est.

Quam utile sit non æmulari. *Hom. 15. ex 50.*

3. Et verò ut ad hoc faciendum magis provocemur & animemur, notat S. Augustinus, *ipsum bonum alienum, charitate & amore nostrum fieri,* non quidem, aliquid illi de suo auferendo, sed tantùm de eo lætando & exultando. Neque verò mirũ quid in eo dicit: si enim quis peccatum alienũ, id amãdo, in eoque sibi cõplacendo, suum faciat (quia Deus cor respicit) ecquid mirum, si bonum alienum amando, eique congratulando, ipsum in se quoque transcribat? præsertim cùm Deus promptior ad præmiandum, quàm ad castigandum sit. Consideremus porro hoc loco, quanta hinc charitatis sit excellentia, quantumque nobis ex ea lucri accedat; cùm ejus adminiculo omnia fratrum nostrorum bona opera in nos derivare (iis tantùm gaudendo, & in iis complacendo;) possimus, & quidem majori securitate, quàm nostra propria: quòd ex illis non soleat sequi vana gloria, sicut è propriis: Illinc è contrario consideremus, quàm noxia & perniciosa sit invidia, cùm per hanc alienum bonum, fiat proprium malum, ut discamus hanc cavere ac detestari, & illam amplecti.

4. Hinc sequitur alterum, quod de charitate addit Apostolus: *Charitas non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt*: qui enim alienum bonum ducit ut proprium, & tam eo lætatur quam proprio, longissimè ab hoc distat. Nihil est, quod dilectionem magis oppugnat; nihil quod hanc unionem & consensum magis impedit, quàm amor proprius, & quod seipsum quis ac sua commoda, & utilitates quærat. Hac de causa S.N.P. Amorem proprium *gravissimum & capitalem omnis ordinis & unionis hostem* appellare solebat. Vmbertus verò, in S. Augustini regulam, *vitæ communis ac religiosæ pestem & contagium* nuncupat, quòd eam inficiat, & emori cogat. Etsi verò generalis virtutum omnium inimicus amor hic proprius sit, maximus tamen & juratissimus est dilectionis: quod vel ex ipso nomine colligere licet. Si enim proprius, ergo non est communis, qualis esse

1. Cor. 13. 5.

Cantatis medium est suffocatio proprii amoris.

8. p. const. §. 8.

Vmbert.

se debet charitas. Sed quid tandem est ille notissimus & non notus tamen Amor proprius? Divisio est, cum quod alii sapientes nolunt nec amant, tu tamen contra eos amas; cum quod damnant prudentes, tu justificas, talis Particularis, omnia sibi habere vult, & in omnibus seipsum quærit quicquid sit de aliis. Hoc charitati & unioni directe contrariatur.

Exempla dictę doctrinæ.

Gen. 13.6.

5. In illud Genesis de Abraham & Loth, *Nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul,* (id est, cum quisque tantum habebat armentorum & gregum, ut iis pascendis terra non sufficeret; & fiebat, ut pastores utriusque de pascuis assiduè litigarent; & necessarium fiebat, pacis colendæ studio, alterum ab altero separari) sic commentatur Chrysostomus: *Ubi est Meum & Tuum frigida Verba illic omnium litium genus & contentionis occasio,* etiam inter consanguineos & fratres: *ubi autem hæc non sunt, ibi secura versatur pax & concordia.* Sic videmus, inquit, in primitiva Ecclesia magnâ invicem fideles unione & concordiâ conjunctos fuisse, & unum idemque omnium cor & animam, quòd Meum & Tuum inter eos non inveniretur, *sed omnia illis essent communia, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse diceret.* Hæc erat unica tantæ inter eos unionis & fraternitatis causa. Atque inde factum est ut Religiosi ordines, divinitus inspirati, & in sacra Scriptura fundati, in primum ac primarium suum fundamentum delegerint Paupertatem: & primum, quod concipimus, votum, est paupertatis, ut, cùm Meum & Tuum proscripta domo fuerint, amorque proprius planè exterminatus, unam omnes animam & cor habere queamus.

Hom. 33. *in Genes.*

Act. 4.3.

Paupertas fundamentum Religionis.

6. Minimè dubitandum est, quin ad mutuam charitatem & unionem conservandam, insigne momentum adferat, affectum in res omnes terrenas non posuisse, & exuisse. Non sufficit autem, quòd Meum & Tuum in his rebus temporalibus locum non habeat, sed danda insuper opera, ut ne quidem in aliis rebus reperiatur. Ubi enim id locum habebit, magnum nobis bellum movebit, hancq; unionem & charitatem impediet. Cùm enim honorem ambire, cùm æstimari velle, cùm locum honoratiorem quærere, cum commoditates & delectationes proprias consectari incipis; certus esto, fore, ut hàc subingrediatur discordia, & à fratribus tuis dissensio: hoc quippe charitatem violare ac destruere solet. Hinc nescio quæ in nonnemine subnascitur invidia, quòd suum de fratribus quispiam talentum depromat, quòd eluceat, laudetur, magnificat, æstimetur: Hunc enim honorem æstimationemque ipse sibi vellet; imò sibi hanc ab illo surripi arbitratur. Inde quoque lætitia quædam, vel saltem nescio quæ complacentia oritur, si quando æmulo res quæpiam provocato non succedit: quòd per hoc illum humiliari, deprimi, & inferiorem quàm ipse sit, reddi putet. Inde denique ortum habet, famæ ac nominis alieni subinde obscurandi studium, directè vel indirectè, nunc quidem liquido & manifesto argumento, nunc

Meum & Tuum non solũ in temporalib. sed & in omnibus omnino rebus fugiendũ.

nunc certis verbulis, rectè quidem obiter, & velut per transennam effusis, tamen ex affectus in corde latentis abundantia prorumpentibus. Quæ omnia nonnisi amor proprius & inordinatus, ambitio, superbia, & invidia sunt, quæ, ceu rodens quædã tinea & impetigo, mutuam unionem & charitatem depascere ac destruere
1. Cor. 13. 6 solent. Nam, ut ait Apostolus, *charitas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati*: non, inquam, charitas aliorum dejectione & depressione gaudet, sed exaltatione, profectu, & incremento: & quo quis evehitur altiùs, eo ipsa gaudet
Gen. 24. 6. ampliùs, & ait: *Frater noster es, crescas in mille millia*: hoc unicum meum futurum est gaudium & voluptas; bonum enim tuum, meum est; & profectus tuus, meus.

7. Medium aliquod ad abjiciendum Meum & Tuum, Mercatori, qui cum aliis dispendii & compendii societatem iniit, tantum abest, ut sociorum suorum lucra, vel industria, quâ rem suam faciunt, displiceant, ut etiam plurimum iis lætetur: omnia quippe cùm in eius, tum in totius societatis utilitatem cedunt. Sic nostrum est quolibet fratrum nostrorum bono, talento, & profectu mirificè lætari & gratulari; quòd omnia in totius corporis, huius inquam, Societatis, cuius membrum & pars ego sum, & cuius bonis fruor, bonum, atque emolumentum cedant ac redundent.

***

Caput VII.

De alia quadam re, quam à nobis charitas exigit, & quæ ad eam conservandam maximopere conferet; scilicet, fratres nostros magnifacere, idq; re & verbis ostendere; ac de ipsis semper honorificè loqui.

1. Mutua unius erga alterum caritas non solùm in corde & interiùs versari debet, sed exteriùs etiam per opera se prodat necesse est juxta illud Joannis Apostoli, *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in illo?* Ubi cœlo donati fuerimus, sicut re nullâ prorsus indigebimus; ita hæc opera (ut ait Augustinus) ad caritatis conservationem necessaria non erunt. Nam, ut ignis in sua sphæra consistens, materiâ nullâ vel lignis opus habet, ut conservetur; sed in terra, nisi fomenta hæc & alimenta habeat, quamprimùm extinguitur: ita extemplo in hac misera & ærumnosa vita, caritas extincta intermoreretur, nisi operibus foveretur & sustentaretur. Ad hoc propositum adducit S. Basilius, quod Apostolus Joannes in prima Canonica scribit: *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere*, si necesse sit. E quibus apposité solideque Basilius infert: Si talem à nobis Christus fratrum dilectionem efflagitat, ut pro ipsis animam ponamus; æquum esse, ut ad alias res occurrere solitas, quæ mino-

Caritas interna foris apparere debet, si vera est.
1. Ioan. 3. 17.
Lib. 83. quæst. q. 72.
q. 162. in brevior.
1. Ioan. 3. 16.

minoris difficultatis sunt, quàm sit vitæ pro iisdem impensio, amor hic se extendat?

Quintū caritatis Medium, est æstimatio bona proximi.

2. Ceterùm unum de præcipuis quæ isthæc unio & caritas à nobis postulat, quodque ad eiusdem conservationem & promotionem, nobis non mediocriter conferet, est, *ut fratres nostros magni faciamus*: imò hoc, veluti fundamentum est ac basis, cui universum hoc caritatis negotium innititur. Hic enim caritatis amor non est effrænis quædam passio, vel amor concupiscentiæ cæco impetu ruens, vel tenerior quidam affectus & sensus cordis nostri carnalis; sed est amor rationis, & spiritualis in superiori parte animæ residens, quiq; rationes quasdam superiores & æternas spectat: denique amor, quem appretiativum appellamus, ex eo amore procedens, quo Deum amamus, quem super omnia æstimamus, proximum verò diligimus tamquam aliquid Dei. Porrò è fratrum suorum æstimatione, & bona de iis opinione nascitur amor, honor, & reverentia eorundem, reliquaq; caritatis officia & exercitia: & qualis erit eorum æstimatio, talis erit & amor, & alia quæcumque. Ita sentit Apostolus Phi-
Phil. 2. 3. lippensibus scribens: *In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes*, hoc velut radicem & fundamentum totius huius negotii statuens. Ad Romanos autem sic scribit, *Honore invi-*
Rō. 10. 12. *cem prævenientes.* In quæ verba S. Chrysostomus notat, non dixisse Apostolum ut invicem honoremus, sed ut hoc in officio alter alterum præveniamus, non exspectando scilicet donec mihi alius honorem & salutem impertiat, meque æstimet: sed illum quisque curet salutando prævertere, & cærimonias morum prior exhibere. Quod etiam sedulo nobis S.P.N. inculcat: *In omnibus*, inquiens, *procurando atque optando potiores partes aliis deferre*: hoc est, juxta Apostolum, *honore invicem prævenientes.* 3.p. Const. 1.c.§.4. Regul. 29. summar.

Indicia bonæ æstimationis de fratre.

3. Porro ut ad magis particularia descendam; in quo potissimùm æstimatio ista fratrum se prodit, est, *ut semper quàm rectissimè de illis loquamur, & eo cum respectu, & iis verbis, quæ illos à nobis honorari & magnifieri significent.* Lib. 5. c. 6. vitæ. De S. P. N. Ignatio proditum est, ipsum de unoquoque sic loqui solitum fuisse, ut sibi quisque persuaderet, eum bonam de se opinionem cōcepisse, & ab eo amari se ut filium. Ex quo fiebat, ut & ipsum vicissim omnes insigni amore & respectu reverentiali prosequerentur. Et vix quidquam est, quod magis charitatem tum inflammet, tum conservet, quàm si quis se norit à fratre suo amari, bene eum erga se animatum esse, de se sentire, & loqui benè. Seipsum hîc quisque consulat, & videat quantopere naturaliter gaudeat, quando propensum alterius in se affectum, aut obsequium quod ab eo recepit, intelligit, vel audit; quanta industria mox par obsequium illi rependere studeat, & de illo vicissim honorificè loqui incipiat. Quot inde bonos affectus enasci cernimus! Quare olim rectè suasit Seneca & Martialis ex illo: *Si vis amari, ama*, neque enim ulla, ad amorem alterius erga te pro- Epist. 9. ad Lucil.

vocandum, ratio est efficacior: amor enim nonnisi amore solui ac rependi potest. Egregiè id Chrysostomus ostendit, illa Christi verba, *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*, explicans: *Vis*, inquit, *beneficia capere? confer beneficium alteri. Vis misericordiam consequi? miserere proximi. Vis laudari? Lauda alium. Vis amari? ama. Vis partib. primis potiri? cedo illas priùs alteri.*

Homil. 13. ad popul.
Matt. 7. 12.

Bene de omnibus loqui ædificat audientes.

4. Præterea benè de omnibus loqui, boni inprimis exempli est, ratio huius est, quia signum & argumentum id est magni amoris & insignis unionis. Contrà, verbulum quodcunque, quod proximi nomen directè vel indirectè obscurare & denigrare potest; etiam minima quoad hoc apparentia ac suspicio, audientes omnes quàm maximè offenderet; mox enim percipiunt, aliquam hic æmulationem vel invidiam delitescere, Quocirca, quidquid huc demum referetur, ac quoquo modo spectabit, procul à nobis adsit oportet. Esto aliquas frater tuus imperfectiones habeat, certè tamen & aliquid habebit boni: hoc intuere, illas videre neglige; imitare apem, quæ flores solos seligit, spinas vicinas declinat & refugit; non scarabæum, qui statim ad fœtida stercora se confert, & in fimo rostrum figit.

Caput VIII.

Omni studio cavendum, ne cui dicamus, Talis tale quid de te dixit; præsertim si res sit, quæ ei tristitiam & amaritudinem afferre queat.

1. Non est mihi hoc loco propositum de Susurro & murmuratione tractare; id enim alio facturus sum. Unam rem tantum magni momenti, quæ ad propositam materiam mirificè facit, quamque S. Bonaventura notavit, hîc commonebo. Ut cavere sibi quilibet debet, à murmurando, ac malè de quopiam loquendo, ita quoque caveat oportet ne cui dicat: *Talis hoc de te dixit*, maximè cùm quid est, quod ipsi displicere & offendere queat. hoc quippe non aliò deservit, quàm ut seminet inter fratres discordias, eosque in invicem concitet. quod sanè noxium cumprimis est & perniciosum, & Deo (uti ait Sapiens) abominabile & exosum quàm maximè. *Sex*, ait, *sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur* cum primis *anima eius*, eum scilicet, *qui seminat inter fratres discordias*, & semina ponit inimicitiæ. Cùm hic in mundo rem quampiam extremè abhorremus, eam nos ex corde & animo dicimus detestari; ita Scriptura Deum dicit hosce homines nostro loquendi more detestari; ut hoc pacto innuat, quantopere hoc hominum genus ipse abominetur. Neque verò Deo solùm, sed & hominibus res hæc inprimis est detestabilis. *Susurro*, inquit Sapiens, *inquinavit animam suam, & in omnibus odietur: & qui cum eo manserit, odiosus erit.* Hi sunt quos vulgò murmuratores vocamus: atque hoc propriè est murmurare, quod omni viro probo & honesto indignum est, nedum Religiosis. Unde Ecclesiasticus, *Non appelleris* (id est, ne des occasionem ut dicaris)

par. 2. tract. 2. de Speci. caritatis falsæ cavendæ. De inform. Novitior. l. 1. c. 24.

Prov. 6. 16. & 19.

Eccl. 21. 31.

Eccl. 31. [illegible]

dicaris) *susurro*. Quid autem in congregatione dari fingique potest damnosius ac perniciosius, quàm turbas concitare, & fratres in se mutuo susurris suis armare? Diaboli proprium id videtur, utpote, cuius natura & mos est, semper tumultum & inimicitias excitare.

Non solum in gravibus materiis, sed levibus.

2. Notandum autem, ut unus in alium concitetur, non semper requiri, ut ea quæ referuntur, res magni sint ponderis: sæpè enim ad hoc sufficiunt parvæ & minutæ, quæque interdum ne venialem quidem noxam includunt. Quare non tam hîc videndum, num id quod dicitur, ex se grave sit vel leve: sed, num sit, quod fratrem tuum perturbare, vel contristare, vel ad indignationem aut aversionem animi ab alio concitare sit proclive. Non nemo, v.g. inadvertenter leve aliquod verbum protulerit, è quo colligat audiens non satis rectè, ac prout oportet, eum de alterius doctrina, ingenio, virtutibus, naturæ dotibus, aut aliis huiusmodi rebus sentire: quòd si id tu maiori inadvertentia & inconsultiùs ad alterum deferas; jam tum vides, quem illi stomachum id verbi creabit. Nihil quidem mali, hoc deferendo, te facere putas, interim tamen cor eius transfigis. Unde ait Salomon, *Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perveniunt ad intima ventris*: Sunt quædam, quæ à nonnullis ideo parui fiunt, quòd illa nescio qua parte, conspiciant, vel fortasse penitus non inspiciant; quæ tamen inspecta prout par est, tam diversum causantur aspectũ, ut magna timendi ac dubitandi subsit occasio, verùm, ob inconvenientia malosque effectus inde sequi solitos, ad usque peccatum mortale pervenerint. De quorum numero est hoc, de quo hic loquimur.

Prov. 26. 22.

Murmur contra Superiores perniciosum.

3. Si tam noxium, perniciosum, adeoque Deo exosum est, hasce discordias inter fratres seminare; quid erit, si pestilens hoc zizanium inter subditos & Superiores spargatur, & si quis in causa sit cur membra à capite, filii à patribus dissentire ac separari incipiant? quanto se is Deo exosiorem reddet? Hoc fit, dum similia iis quæ suprà de fratribus diximus, de Superiore verba jactantur. Israelitæ omnes summo in Regem suum David amore erant & observantia, eique inprimis uniti; at audientes, quæ de eius persona, & regendi modo illius perduellis filius Absalon spargebat, mox ei parere detrectarunt, & excusso jugo adversus eum insurrexerunt. Quoties eheu! contingit, ut quis, qui sincerè hactenus de Superiore suo judicarat, bonam opinionem de ipso conceperat, de omnibus rebus illius rectè sentiebat, & universam animam suam intimaque cordis arcana illi crediderat, ob verbulum aliquod ex alio auditum, totus mutetur, & amoris observantiæque loco, mille malitiæ & cordis duplicitates, temeraria judicia, suspiciones, murmurationes succedant: adeoque subinde contagio hæc proserpat, ut hic mox alium, alius ille rursus alium, iste denique alium inficiat. Quamobrem facilè creditu est, quantum nonnulla huiusmodi verbula temere effusa detrimẽti adferãt.

1. Reg. 15. 3. 6. & 13.

Quomodo defectus auditi sint aliis aperiendi.

4. At, dicet quis, interdum expediet, alium nosse quæ de ipso notantur & dicuntur, ut vivat exinde circumspectiùs, nullamque cuiquam occasionem det. Fateor expedire subinde; ac tunc licitè quidem ipsa dici potest res, non verò declarandum est, quisnam eam dixerit: & quidem, esto ea palàm, audientibus plurimis, dicta sit: ne quis scil. se excuset, dicendo, futurum haud dubiè, ut alius quispiam hanc ei denuntiaret. Privatim sibi quisque caveat, ac væ illi, per quem scandalum veniet. Imò, quantumvis alius id audiens instanter scire desideret, quisnam hoc primò dixerit, & ipse hoc illi noris gratissimum fore; minimè tamen id ipsi aperiendum est: aliquando enim hæc amico gratificandi spes & cogitatio, te in fraudem inducit. Neque enim bona isthæc amicitia est: nam id declarando, noces & illi cui narras, & illi de quo narras, & tibi ipsi quàm maximè, quòd te mali, tam uni, quàm alteri illati, angat scrupulus & conscientia.

Matt. 18. 7.

Quam periculose hic erretur.

Quantum verò id malum sit, quantaque inde in commoda consequantur, facilè colligere possumus ex eo, quòd etiam Superior, cum quis juxta regulæ præscriptum alterius crimen aut imperfectionem ad eum defert, *ut ei ipse, pro paterna in suos cura ac providentia, convenienti remedio possit occurrere*, id ita facere debeat, ut nesciat alter, à quonam ea res delata sit: ipseque Superior id omnimodis celare studeat, quin etiam debeat, vti propria regula ipsi iniunctum, ne fortè hoc alicuius inter fratres amaritudinis & alienationis animi sit occasio. Si ergo etiam tum, cùm id legitimè, & ex regulæ præscripto, & ex caritate, boniq; maioris studio fit, tantopere nobis timendum sit, & tam circumspectè procedendum; quanto magis incommoda hæc metuenda sunt, dum quis eum qui defectum alienum aperuit, nec legitimè, nec juxta regulam, neu caritatis zelo motus, sed temerè, indiscretè, ineptè, insulsè, etiam interdum aliqua invidiâ & æmulatione concitatus, vel ob alios respectus parum bonos, vel quos alius saltem putet aut cogitet esse tales, relevando aperit? Matrem suam Monicam hoc nomine celebrat Augustinus, quòd, cùm sæpè hinc & inde variæ de aliis querelæ & verba cum amaritudine & stomacho prolata ad eam referrentur, nunquam tamen quid auditorum ex uno alteri detegeret; sed ea tantum quæ eos pacare, consolari, & invicem conciliare possent. Hoc & nos facere oportet, semper Angeli pacis esse connitendo.

Reg. 9. Summar. Const. & 20. Commun.

Reg. 13. Provincial.

Lib. 9. Confess. c. 9.

Caput IX.

Verba dulcia & placida unioni & charitati mutuæ servandæ permultùm conferunt; contraria verò eidem destruendæ deserviunt.

Affatus dulcis medium magnum caritatis.

1. Unioni ac dilectioni fraternæ conservandæ & adaugendæ plurimùm inprimis conducent suavia & blanda verba. Unde Ecclesiasticus: *Verbum dulce*, benè, cum charitate

Eccl. 6. 5.

ritate & amore prolatum, *multiplicat amicos, & mitigat* & mansuefacit *inimicos*: contrà *sermo durus*, asper & insulsus, *suscitat furorem*, & dissensionis est seminarium. Cùm enim homines simus, huiusmodi verba parum æquo animo excipimus; & , quòd quis his offendatur & lædatur, hinc est quod non eo, quo antè animo & oculo fratrem intueatur, & cuncta quæ eius sunt, ei displiceant, & fortasse etiam parum benevolè de iis loquatur. Unde permagni refert, verba nostra semper aliquo gratiæ ac lenitatis sale condiri, ut ita amorem & charitatem audientibus ingenerent, juxta illud Sapientis dictum, *Sapiens in verbis seipsum amabilem facit.*

Prov. 15. 6.

Eccli. 20. 13.

2. Quod autem ad modo dictum caritatis medium attinet, aliquid hîc, velut cæterorum omnium dicendorum fundamentum advertendum est, neminem scil. debere sibimetipsi imponere dicendo: *Fratres mei virtute præstantes sunt, proinde ob verbulum asperius, arrogantius, & contumeliosius in se effusum, non scandalizabuntur, non offendentur, nec ad id reflectent.* enimverò non loquimur hîc de eo quid fratres tui sint, aut esse debeant; sed quid tu esse debeas, & quomodo te cum illis geras. Quocirca benè S. Bernardus: Si dixeris, inquit, tam levi re frater meus non offendetur; respondeo: *Quanto levior est, tanto à te leviùs potuit non committi.* Quin imò, addit S. Chrysostomus, hoc magis culpam tuam adaugeri & aggravari, cum in re tam parva te vincere nequiveris: non, quia frater tuus bonus est, ideo malum esse te decet. *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?*

Serm. 29. in Cantic.

Hom. 70. in Matth.

Matt. 20. 15.

3. Dico igitur, magni quidem omnes faciendos, nec, tam eos fragiles esse, cogitandum, ut frivolis quibusdam nugis ad indignationem commoveantur; ita nihilominùs in eorum conversatione circumspectè & cautè nos geramus oportere, quasi essent vitrei, & omnium mortalium fragilissimi, nullam eis à parte nostra indignandi, ac amaritudinis concipiendæ, etiamsi sint infirmissimi & imperfectissimi, occasionem dando. Primò quidem, nostri causa: nam quòd alter magnæ sit virtutis aut perfectionis; non idcirco culpa nostra vel aufertur, vel ea liberamur. Deinde fratrum causa; nec enim omnes, neque semper ita dispositi sunt ac præparati, ut quæ in ipsos committuntur, culpas & offensiones non sentiant.

Quæ verba exasperent.

4. Qualia autem verba sint, quibus fratres lædi offendique possint, haud est intellectu difficile. Ex se enim discere quisque poterit, per quæ verba, & quo ea proferendi modo frater suus vel ad lætitiam, vel ad indignationem commoveri queat. Hanc autem nobis regulam Spiritus sanctus per os Sapientis assignat, quo nos modo cum fratribus nostris geramus. *Intellige*, inquit, *quæ sunt proximi tui ex teipso.* Videat quisque num indignaretur & doleret, si quis se frigidè, parum fraternè, & aridè alloqueretur si quis insulsè responderet; si quis præfractè, austerè, & imperiosè sibi quid injungeret; & caveat ipse ne eo fratrem suum modo allo-

Eccli. 31. 18.

alloquatur. Nam & alius, non minùs homo est, ac ipse, & non minùs commoveri posset quàm ipse.

Humilitas magistra verborũ lenium. Ipsa quoque humilitas, optima est ad debitè & prout oportet loquendum, ratio. Si enim quis esset humilis, & omnium se minimum crederet, aliis opus non esset præceptionibus: hæc quippe una eum doceret, quomodo se gerere debeat. Humilis namque nullum proferet insolens aut incompositum verbum, nec quod fratrem offendat, sed magno omnes cum respectu & æstimatione alloquetur. Certum est, nunquam Superiori suo quempiam dicturum; *Non intelligit Reverentia vestra id quod dico*; quòd cum eo agat ceu subditus, eumque revereatur. Quòd ergo his similibusvé verbis quis fratrem alloquatur, inde est, quòd se illo inferiorem non ducat; ideoque eum cum respectu non alloquitur. Simus ergo humiles, & omnium nos minimos credamus, ut nobis suadet

Phil. 2. 3. Apostolus; & humilitas nobis verba, quæ oportet loqui, necnon modum illorum proferendorum præscribet. Verùm, præter regulas & remedia hæc generalia, aliquos jam in particulari, verborum charitati contrariorum modos adferemus, ut ab iis abstineamus.

Caput X.

Cavenda sunt verba mordacia & scommatica, quæ fratrem nostrum offendere, aut ad indignationem provocare queant.

1. Ante omnia cavendum magnopere à verbis mordacibus & aculeatis, ne quos sales amariores in proximum jaciamus. Sunt certa quædam verba, quæ alios mordere, pungere, atque ad amaritudinem provocare solent: quia per illa clanculò & rectè eorum aut indoles, aut intellectus, aut ingenium suggillatur, quasi non usque adeò acutum, & minùs perspicax: aut denique alius quis naturalis, aut moralis defectus eorum notatur. Huiusmodi verba cumprimis noxia sunt, charitatique fraternæ quàm maximè adversantur: quæ dum etiam per modum ioci & facetiarum proferuntur, tum deteriora sunt & plus noěct; & eò magis, quo maiori elegantia & urbanitate oggeruntur; quòd ita profundiùs audientium animis incidant, & facilius eorum memoria recurrat. Pessimum verò & caput mali est, quòd illa proferens, interdum iis dictis, quasi re benè gestâ, conquiescat, ratus scitum & urbanum quendam leporem se protulisse, & insigne subtilitatis suæ acutique ingenii specimen exeruisse. Sed in hoc errat gravissime; quia tantum abest, ut ingenii sui aciem sic ostenderit, ut potiùs stuporem suum aliis atque peiorem etiam voluntatem patefecerit; cùm acceptum à Deo ingenium ad illi obsequendum, mordacibus quibusdam salibus, qui fratres suos contristent & scandalizent, & pacem charitatemque perturbent, impendant procudendis.

Quę verba maxime pungant.

2. *Quando quis*, inquit Albertus *Magnus*, *fœtentem habet anhelitum, evidens*

Tract. de virtut. c. 2. de humil.

Ex verbis cognoscitur cor Hominis.

evidens indicium est, hepar aut stomachum eius introrsum vitiatum esse: ita dum quis verba perversa effutit; certissimum morbi in animi interioribus latentis est argumentum. Quid autem S. Bernardus de Religioso in jocis mordaciore & amarulento dixisset? si enim omnes in ore Religiosi lepores & nugas, blasphemiæ & sacrilegiorũ nomine appellare non dubitet; quo vocabit nomine sales, qui charitatem lædunt, & proximum offendunt? Omnia hæc à Religione nimis quàm aliena sint, ac quidquid huius generis est, quàm remotissimè à Religiosi ore debet abesse: cuiusmodi sunt, scomma aliquod jacere, sarcasmo virulentiori mordere, irridere, epigramma aliquod satyricum vel componere, vel compositum referre, quo alicuius defectus, imperfectio, vel negligentia notetur; aliaq; id genus, quæ tam ioco quàm serio prolata nulla sunt ratione permittenda.

Lib. 2. de consider.

Ex temet ipso æstima fortunam alienam.

3. Ex se quisque poterit de illo coniecturam facere. An tibi gratum foret, si quis te ironico cavillo proscinderet; & in risum cachinnumque omnes solverentur, quod tam scitè scomma in te quadraret? Quod itaque tibi fieri nolles, vide ne id alteri facias: hoc quippe unum est de charitatis præceptis. Gaudereſne, si quis verbum aliquod inconsideratè & inconsultò à te prolatum, statim uti seriò dictum, abriperet, & adeò id ventis non committeret, ut quávis occasione ipsum identidem, velut adagium aliquod inculcaret ac repeteret? non equidem credo. Qui ergo alteri cuipiam velis, quod tibi nolis? & quod tibi bilem & stomachum moveret, si tibi fieret, quomodo id fratri irrogabis? Vel nudum nomen scurrilis scommatis, & dicacitatis satyricè mordacis offendit, omnisque Religiosi os dedecere videtur, quanto magis ipsemet effectus? Quapropter, ita penitus hæc omnia detestemur oportet, ut ne quidem nominare illa sustineamus. Sicut enim Apostolus de omni immunditia ait, *Fornicatio autem & immunditia nec nominetur in vobis sicut decet sanctos*; ita de hoc irrisoriæ dicacitatis vitio sentiendum. Propterea etiam id Apostolus prioribus illis coniunxit, dicens, *aut turpitudo, aut stultiloquium, âut scurrilitas, quæ ad rem pertinet*: id est, scurrilitas non concordat cum sanctitate vitæ quam profitemur, uti, ne talia nominare quidem. Quare bene S. Bernardus, *Etenim si pro otioso verbo reddet unusquisque rationem Deo in die judicii, quanto magis pro verbo impuritatis, & turpitudinis & impietatis*, pro illo denique quod charitatem violat.

Ephes. 5. 3.

De ordin. vitæ & morum instit.

Caput XI.

Obstinatè non esse contendendum, litigandum, contradicendum, reprehendendum, nec alia id genus oris vitia usurpanda.

Alia species verborum offendẽtium.

1. Danda insuper opera, ne cum alio quopiam pervicaciter contendamus, & adversus eius sententiam, nostram præfractè tueamur: hoc quippe unioni & charitati fraternæ permultum adversatur. Cuius

etiam S. Paulus nos commonefacit, discipulo suo Timotheo scribens: *Noli contendere verbis: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.* Et post paulò subdit, *Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem.* Unde etiam Sancti omnes ipsum unanimi consensu & seriò nobis inculcant, à quibus quoque id hausit S. P. N. & in suas regulas transtulit. Malle se, ait S. Dorotheus, rem omnino non fieri, quàm ut eius causa inter fratres contentiones & litigia oriantur. Quod ut profundiùs mentibus nostris inhæreret, addit, *Millies repetam hoc.* S. Bonaventura turpe & indignum ait esse, servos Dei inter se *muliercularum* trivialium *more* contendere & verbis concertare, S. Joannis Climacus scribit; Qui suam pervicaciter opinionem ac sententiam, quantumlibet veram propugnat, certus sit, à diabolo se ad hoc impelli. Et ratio est, quòd nihil aliud homines ad contendendum permovere solet, quàm nimiùs humanæ laudis appetitus! hinc omnibus ingenii nervis suam ipsorum laudem promovere & propugnare contendunt, ut, nimirum, sapientes & rerum gnari videantur, victoresque maneant, vel ne aliis minores esse ac cedere appareant. Ac proinde à dæmone superbiæ huc impelluntur.

2. Tim. 2. 14. & 24.

Reg. 18. commun.

Dorotheus.

In specul. discipl. p. 3. c. 3.

Climacus

Concitator litis refutatur.

2. Duplex hic error & defectus potest intervenire. *Primus* est eius, qui primò alteri contradictionem movet: quia ipse contentionis est & ligitii fons, initium, ac scabellum; ac proinde gravior huius est culpa. Sæpè rei, de qua disceptatur, parum interest, itané se habeat an secus: ipsa tamen pacis & charitatis jactura, quæ hinc sequi solet, non parui ducenda est. Alius hoc vel illud bona fide dixit, & ita rem habere sibi persuadet: tu itaque illum in bona sua fide relinquito, cùm inde parum momenti à parte rei dependeat. Monet Sapiens, *De ea re quæ te non molestat*, ac parum tua refert, *ne certeris* spiritu contradictionis, qui malus est. Esto etiam alicuius momenti ea foret, aut aliquod fratri tuo inde incommodū sequeretur, quòd suæ opinioni relinqueretur; ne tum quidem, aiunt Sancti, consultum esse verbis cum eo cōtendere aut contradicere, sed postea seorsum ei rei veritatem, ne in errore perseveret, aperire: quo & finis, qui spectabatur, obtinebitur, & inconvenientia evitabuntur.

Eccl. 11. 9.

Contradicens diligenti refutatur.

3. *Alter*, hîc notandus error, est, ut, si quando alium tibi contradicere contigerit, tu te ei obstinatiùs non opponas, nec sententiam opinionemque tuam mordicus tueare, neu sis nimis juris tui retinens; sed, postquam semel aut bis, quod verum censes, proposueris, nec tamen alii tuo sensui acquiescant, illis tu permittas sentire quod voluerint, fiet id silentio, perinde ac si plura nescisses, non eo tamen gestu mutuque salso, quo quidam non tam se victos ostendunt, quam vinci voluisse, & adversarii satis ultrò cessisse videri volunt.

Gloria fugientiū litis.

4. Qui jure suo, ut parest, cedit, & in id genus contentionib. ac litigiis vinci se sinit, seque ab iis separat, eum generosi & nobilis animi sui argumen-

gumentum præbere Sapiens ait in Proverb. *Honor est homini qui separat se à contentionibus.* Nec immeritò: quia insignem is hoc pacto erga proximum charitatem exercet, omnem amaritudinum & indignationum, quæ ex dissidiis & concertationibus oriri solent, occasionem præscindendo, viasque obstruendo. Dein erga se humilitatis actum ostendit, dum prævalendi, vincendi, & cum honore suo emergendi appetitum superat. Demum elicit quendam amoris Dei actum, impediendo peccata & culpas, quæ ex contentione sequi poterant, juxta illud Sapientis: *Abstine te à lite, & minues peccata.* Vice versa qui obstinatiùs altercatur, præterquàm quòd malo suo proximum exemplo offendat, causa est, ut pax & charitas amittatur, multaque inde inconvenientia & amaritudines consequantur; & adeò non honorem & æstimationem quam spectabat sibi comparat, ut eius etiam jacturam faciat. A prudentibus enim habetur pro capitoso, cerebroso, opinionis suæ tenaciore, ac suo jure cedere nesciente.

Prov. 20. 3. — *Eccl. 11. 9.* — *Eccl. 28. 10.* — Contradicens diligenti refutatur.

5. S. Thomas Aquinas in disputationib. scholasticis nulli unquam obstinatè & pervicaciter contradixisse scribitur; sed incredibili mansuetudine, & verborum moderatione, ac neminem despiciendo, sed magni omnes æstimando, sententiam suam proponere solitus: non enim disputando spectabat, ut superiores ipse ferret, victorque evaderet, sed tantum ut veritas disceptando erueretur. Notum quoque est exemplum duorum illorum senum, qui diu in eadem cella commorati, cùm nullam inter se rixam aut contentionem habuissent: experiri voluerunt, num possent inter se litigare de laterculo (utrius videlicet is foret) sed irrito conatu. Ita & nos à contentione & altercatione abstineamus oportet.

In histor. prædicat. p. 1. lib. 3. c. 14. — Exempla qui litis declinarunt, — Gloria fugientiū litis. — *In vitis Patrū p. 2. §. 92.*

6. Cavendum quoque, ne suum quis fratrem temerè reprehendat, vel corripiat, etiam si alioquin id sibi ex charitate ac debito modo facere videatur. Hoc namque Superioris officium est. Superiorem unum atque alterum habere, qui officii nostri nos commoneant, & peccantes arguant, aliquo modo toleratur; at, si is qui Superior non est, corripientis obire partes velit, non adeò gratum esse, nec in bonam partem capi solet. neque enim ordinariè homines libenter ab æqualibus corrigi & reprehendi volunt. Unde etiam Regula particulari nobis præscriptum est, ut *nemo præter eos, quibus per Superiorem licet, quidquam aliis jubeat, aliosvé reprehendat.* Atque ut nemo quidquam alteri sine expressa Superioris auctoritate mandare potest, ita nec reprehendere. Non est hoc negotium passim cuivis credendum: quin imò ipsimet Superiori, ut alicuius subditum erroris commoneat, & corrigat, eius faciendi antè opportunitas captanda, ac sedulò advertendum; verba quoque quibus usurus, ei maturè expendenda, &, quo ea modo proferet, præmeditandum, ut tum correctio, tum commonitio in bonam partem accipiatur, & in correpti utilitatem cedat. Quæ omnia

Cavenda est correptio, aut jussio illegitima.

cumprimis sunt necessaria. Cum verò quis, nulla animadversione præmissâ, statim fratris sui erratum coarguendum, & verò sæpè adhuc in flagranti (ut dicitur) delicto, sub specie zeli prosilit, non zelus charitatis id est, sed res, charitati maximè contraria, damnum afferre potiùs quàm utilitatem solet. Esto enim rationes ad hoc faciendum multas haberes; statim tamen alteri occurret tentatio, atque ipse secum dicet (& utinam id etiam verbo non exprimat) Quis te Superiorem meum constituit, cur te in officium alienum ingeris? *quis te constituit principem & judicem super nos?* Si tu alter dicas, illum hoc faciendo in Regulam peccare, ipse tibi vicissim oggerere poterit, regulæ perinde adversari, quòd ipsum reprehendas.

Exod. 2. 14.

Exemplũ correptionis intempestivæ.

7. Socrates cum quibusdam amicis, apud virum principem cænans, quendam de convivis, ob nescio quod super mensam commissum, quod notarat, delictum, asperiùs objurgavit. Platoni verò (qui eidem convivio præsens intererat) roganti, an non satius & consultius foret hanc correptionem in aliud tempus rejicere, & peccantem remotis arbitris redarguere? respondit Socrates. An non etiam meliùs & prudentiùs ipse fecisses, si mihi hæc non coràm, sed, sublatâ mensâ seorsim dixisses? Illius hoc pacto reprehensionem argutè retundens & retorquens, simul etiam notans, meam ipsum culpam incidisse, cuius alium insimulabat. Et huic potissimùm rei reprehensiones serviunt.

Causæ moventes ad correptiones intempestives.

8. Proinde non modò non est zelus & charitas, sed sæpenumerò prava corripientis indoles, malevolentia, vel impatientia, vel parua eiusdem mortificatio, quæ in fratris nævis & erratis videndis (imo non rarò in eo quod culpa non est) illum tam oculatum reddunt, ut continere se nequeat, quin ipse propalam id coarguat; nec nisi eo dicto, conquiescere, & contentari posse videtur. Non potest, nec vult se mortificare, & alium mortificare vult. Mortificationis & rigoris spiritum homo erga seipsum adhibeat, erga fratrem verò spiritu amoris & suavitatis utatur. Hoc enim & verbo nos & exemplo Sancti omnes docent, hoc etiam ad unionem & caritatem fraternam permultùm valet. Unde liquidò patebit, si, ne tum quidem, cum legitimè, ex caritate, leniter suaviterque id tibi facere videris, fratrem corripere & coarguere fas sit; multò minùs bonum id fore, quando nec tàm legitimè, nec tam bono fine atque hic est, suum illi peccatum aperis. Quapropter sedulò hoc caveamus, atque adeò ab omnibus verbis, quæ fratres nostros quoquomodo mortificare & deprimere valeant, abstineamus.

Pæna inconsiderate loquti.

9. Moises Abbas, referente Cassiano, cùm aliquando cum Abbate Macario in disceptationem venisset, verbũ aliquod mordacius & inconsideratius nescius effudit. At ecce, ipso instanti temporis vindicem Dei manum sensit: nam tam fœdus & teter, Deo permittente, ipsum diabolus inva-

Cassian Coll. lat. 7. c. 17.

invaſit, ut eum fœdas & horrendas immunditias in os tamdiu faceret injicere, Macarii precibus ab eo eſt hoſte liberatus. Ut hinc appareat, quantopere hoc vitium Deus deteſtetur, cum id tam diris in ferventi servo ſuo, tamque probatæ ſanctitatis viro (qualem Abbatem Moiſem fuiſſe conſtat) modis caſtigarit.

Aliud exemplum.

10. Huic non abſimilem caſtigationis modum legimus in Chronicis Ordinis Minorum: cum enim frater quidam ſenex iratus nonnihil quendam è confratribus, coram nobili Aſſiſiate, aſperiùs & præfractiùs alloqueretur; ipſe, etiam inter loquendum, ſtatim in ſe reverſus facti pœnitentiâ motus (fratrem enim ſuum ob illa verba turbatiorem, ſæcularem autem non leviter offenſum cernebat) ac conceptâ in ſeipſum ultione acceptum ſtercus ori ingeſſit, ipſumque dentibus maſticans, aiebat, *Stercus maſticet lingua illa, quæ adverſus fratrem ſuum iræ, furoriſq; virulentiam effudit.* Vir autem ille nobilis, (ut ibidem additur) zelum & fervorem, quo ſuam pius ille Religioſus culpam expiavit, videns, cùm mirificè ædificatus eſt, & velut extra ſe raptus, tum, maiore erga fratres affectu concepto, ſe ſuaque omnia in Ordinis obſequium ac miniſterium obtulit.

1. p. lib. 2. c. 25. hiſt. Min.

CAPUT XII.

Quibus modis, quibuſq; verbis caritatis fraternæ officium exercendum ſit.

In princip. tom. 2.

1. SAnctus Baſilius in ſermone, quo ad vitam monaſticam auditores eſt exhortatus, peregregium ac perutilitate exteriora officia obeuntibus documentum & præceptũ præſcribit, de modo, ſcilicet, quo eadem peragere oporteat. *Si quando*, inquit, *hæc tibi officia ſubeunda ſunt, in eo advigila, ut ad laborem corporis*, etiam benè & accuratè illa exequi allabores, & *verborum lenitatem ſuavitatemq; adhibeas*, ut reliqui nimirum intelligant, ea te facere ex caritate, itaque gratum iis tuum ſit miniſterium. Atque hoc eſt quod docet Eccleſiaſticus: *Fili*, inquit, *in bonis non des quærelam, & in omni dato non des triſtitiam verbi mali. Nónne ardorem refrigerabit ros? ſic & verbum meliùs quàm datum: nónne ecce verbum ſuper datum bonum?* Et ſic ille ſal eſt, quo, quidquid agis, condiri, ſaliri, ſapidumque reddi jubet Apoſtolus. Plus valet, & pluris fit, modus & gratia, quâ deſeruis, & verba dulcia, quibus aliis tecum reſpondes, quam quidquid agis. Et contrà, quantumlibet opereris & deſatigeris, niſi bono id fine agas, ac placidè & quæras, & reſpondeas; nihili id fiet, tam parum habebit gratiæ, ut totum quod agis, deperdere videaris. Unde Apoſtolus: *Sermo veſter ſemper in gratia, ſale ſit conditus, ut ſciatis quomodo oporteat vos unicuique reſpondere*: id eſt, verba & reſponſa veſtra plena ſint ſale gratiæ & ſuavitatis, quæ nulli nonquam gratiſſima eſt.

Doctrina de placabili affatu.

Eccl. 18. 15.

Coloſ. 4. 16.

2. Non ideò quòd occupatiſſimus ſis, quod varia tibi facienda incumbant, nec quod à te petitur, præſtare poſſis, æquum erit, te fratri tuo auſterè, proteruè, & parum manſuetè reſpon-

Formulæ hac in materia cavendæ & tenendæ.

respondere; quin potiùs tunc danda tibi opera, ut responsio tua tanta suavitate condita sit, ut alter tam contentus abscedat & lætus, tamquam si opere fuisses executus, & tua ipsi viscera coram spectanda præbuisses. Verbigratia dicendo, Quàm, sanè, mihi gratum foret id exequi, si liceret; verùm modo nec licet, nec vacat; suo tempore eius exequendi commoditas erit. Sin erit quòd facultate faciendi careas, dicito; facultatem ad hoc petitum ibo. Quare quod opere & facto complere non poteris, per bona verba supplere studeas, adeò ut de bona tua volunte saltem constet. Atque hoc etiam significat Ecclesiasticus: *Lingua Eucharis* (id est gratiosa) & sermo interioris amoris index, *in bono homine abundat.* hoc enim pacto caritas, & unio cum aliis quam maximè conservatur. Confundi nos ait S. Bonaventura debere, dum verbum aliquod durum & asperum proloquimur, quo frater noster offendatur aut indignetur: esto id inconsideratè, subitoque effundatur, & nonnisi primus sit motus, verbum denique quam levissimum sit: &, si interdum in hoc præ incuria impingere nos contingat, statim debere erubescere & humiliari, proximoque satisfacere, veniam ab eo suppliciter petendo.

Eccles. 6. 5

S. Bonavent.

Exempla.

3. S. Dositheus cùm infirmorum cura ac valetudinarium ei commissa essent, singulariter cavebat, ne quem eorum duriusculè compellaret, sed magna omnes pace & caritate complecteretur: sed nihilominùs quòd cum tam diversis illi agendum esset? aliàs cum coquo, num, videlicet, eo loci isthæc ponenda esset olla; aliàs cum dispensatore, cur, videlicet, optimum ac sanidissimum ægris non daret, vel cur postulata non tam citò daret; aliàs cum Refectorii curatore, quòd aliqua ad refectorium pertinentia usurparet; hinc fiebat, ut interdum contentiori voce loqueretur, ac verbum asperius & durius proferret. quòd cùm accideret, adeò ipse confundebatur, ut cellam suam petens, & in terram se abjiciens, amarissimis lacrymis commissum expiaret; donec vice quadam magister eius Dorotheus casu illac pertransiens id inaudiit; qui mox ex eo quæsivit. Quid hoc est Dosithee? quid commisisti? Ille statim multis cum lacrymis culpam suam confessus, *Pater*, inquit, *duriùs fratrem meum sum allocutus.* Quem idcirco Dorotheus redarguens & reprehendens, dicebat, *Haccine humilitas est? adhuc planè in vivis es, & integer.* Postquam verè eum jam corripuisset, *Iam surge*, ajebat, *quia tibi Deus ignovit*, *jam de novo incipiamus*, Aitque se tam lætè & alacriter inde surrexisse, perinde ac si ex Dei ipsius ore commissi condonationem audisset, propositumque renovasse, nullum posthac cum indignatione vel asperiùs alloquendi.

4. Ut autem omnes, tam qui caritatis officia obeunt, quàm quibus eadem impenduntur, fructum aliquem capiant, duo S. Basilius præcepta ac monita, brevia quidem illa, sed in primis substantialia, assignat. Interrogat igitur, quonam modo benè & debitè fratribus nostris servire poterimus?

Regula practica ad serviendum aliis utiles.

quæst. 160 & 161. & brevioribus.

rimus? ac respondet, si cogitemus, nos, fratri serviendo, Christo servire. *Matt. 25. 40.* Ipse enim dixit, *Amen dico vobis, quod uni de fratribus vestris minimis, fecistis, mihi fecistis.* Sic tua age, tamquam Deo serviens, & non hominibus, itaque fiet ut benè, debito modo, & bona cum gratia sis ea præstiturus. Serviendum fratribus, ut Christo.

Regula compensandi beneficiũ. 5. Rursus mox interrogat, Quomodo verò ipse recipiam obsequiũ, quod mihi à fratre impenditur? ac respondet. *Velut servus ab hero*; & sicut S. Petrus, dum pedes illi Dominus lavare voluit, *Domine tu mihi lavas pedes?* Hoc scil. modo, tam in his, quàm in illis, hinc conservabitur humilitas: neque enim serviens indignabitur, nec ex obsequio fratri suo exhibito defatigabitur, quòd illum, ut Dei filium Christique fratrem intueatur, & in illo se ipsi Christo deservire secum putet; neq; obsequium recipiens, inde extolletur, quòd sibi omnes ministerium deferant, quin imò magis ideò confundetur & humiliabitur, considerando non id sibi, sed Deo ac Religioni impendi: illinc verò mutua etiam inter fratres caritas, eandem ob causam conservabitur, & valde adaugebitur. Obsequia fratrum acceptãda, tanquam à Deo profecta.

Caput XIII.

Quid agendum, si quæ suboriatur nobis cum fratre indignationis & offensionis materia.

Regula practica ad serviendum aliis utiles. *quæst. 160 & 161. & brevioribus.*

Primum remediũ insurgẽte litis occasione. 1. VErùm, quia tandem homines sumus, nec omnes tam solidè firmiterque pedem figunt, quin aliquando cespitent & impingant, verbum aliquod asperius atque offensivum loquendo, vel aliquam læsionis occasionem fratribus dando; utile fuerit videre, quo modo & in eventu nos geramus. Hoc ergo cùm contigerit, *non eodem erit accentu tonoq; illi respondendum*, id est asperè & durè; sed virtus & humilitas locum in nobis habeat oportet, ad hoc æqui boníque consulendum, & discretè dissimulandum: Nec tam exilis ac tenuis nostræ caritatis ignis esse debet, ut aliquot aquæ guttulis extinguatur. Idcircò eam, teste Basilio, vocavit Apostolus *caritatem fraternitatis*, ut indicaret scilic. non debere amorem esse levem, nec qualemcunque, sed singularem, ferventem & potentem. *Caritas fraternitatis*, inquit, *maneat in vobis*; Et, *Caritate fraternitatis invicem diligentes.* Peroptandum quidem inprimis esset, ne quis ullam tam opere quàm verbo, fratri indignandi offensionisque vel minimæ occasionem præberet; simul nihilominùs optandum est, ut nemo tam vitreus, fragilis, puerilis, & in virtute tenellus sit, ut ob frivolas aliquas ineptias statim animo turbetur, contentiori voce loquatur, ac pacem amittat. Satius foret, alter alterum non reprehenderet, nec quisquam in alterius officium se ingereret; si quando tamen ex infirmitate quis fratrem suum reprehenderit, minimè par est, ut reprehensus statim illi hanc oggerat & exprobret, petens, num sui reprehendendi facultatem ac copiam habeat, vel Regulâ speciali vetari dicat, ne quis in alterius se partes & munus ingerat. Inde enim non aliud sequitur,

Non respondere codẽ tono rei altiore.

In quæstion. bre. q. 242.

Heb. 13. 1.

Rom. 12. 10.

tur, quàm, ut jam ſit aliquid, quod, tacendo, & diſſimulando, nihil omnino fuiſſet.

Parabolæ de hac doctrina.

2. Cùm duo corpora dura invicem colliduntur, fragorem edunt ac ſtrepitum: at, ſi durum quid molli illabitur, ne auditur quidem ac percipitur. Globus balliſta emiſſus turrim è ſecto etiam lapide conſtructa dejicit, magnumque ſtrepitum ciet; at in ſaccos lana ac tomento plenos incidens, vim omnē deperdit ſuam, inque illa mollitudine extinguitur: Locum hîc habet dictum Salomonis: *Reſponſio mollis* & ſuavis *frangit iram*, contrà *ſermo durus*, & verbum aſperum magis eam accendit, *& ſuſcitat furorem.* hoc enim eſt igni ligna adjicere, ſecùs ac ſuadet Sapiens, *Non ſtrues in ignem illius ligna.* Tua reſponſione flammam non reſuſcites nec accendas, ſed tanta ſis virtute præditus & lenitate, ut, ſi fors quiſpiam aliquando te duriùs & aſperiùs compellet, non ideò motum ullum edat, nevé quis id exteriùs, vel audiendo, vel videndo percipiat; ſed omnis aſperitas ac durities ibidem illicò ſubmerſa extinguatur.

Prov. 15. 1.

Eccl. 8. 1.

Praxis reſpondendi acutius loquēti.

Doroth. doctrin. 15.

3. Modeſtum & humilem quemdam in id genus occaſionibus reſpondendi modum nos S. Dorotheus docet. *Si quis*, inquit, *aſperè nos affabitur & increpabit, vel etiam objiciet ea quæ nunquam fecimus; nihilominùs ſubmiſſè & humiliter reſpondeamus, veniam ab illo petentes, tanquam ſi nos ita loquendi occaſionem illi dediſſemus, etſi eam minimè dederimus dicamusq́ue, Ignoſce frater, & ora pro me.* Quod ipſe de quodam è priſcis illis Patribus adducit, qui ſic faciendum ſuis conſulebat. Hoc modo ſi communiti ſimus; hinc, inquam, ſedulò advigilantes, ne quem offendamus, ac nullam fratribus ſuccenſendi ſtomachandique occaſionem demus; illinc verò parati ſimus, ad ferendum & benignè interpretandum, quidquid hac in parte obvenerit: ſumma pace & unione gaudebimus.

Quomodo incessu necessitatis respondendum sit.

4. Si tamen aliquando te ſecus agere contigerit, & aliqua tibi à fratre diſſidendi ſe obtulerit occaſio, tum quòd ipſe temerè inconſiderateque quid adverſum te effuderit, tum quòd tantæ virtutis non ſis & humilitatis, ut id æquo animo feras & diſſimules; ſed durus malleus in duriorem incudem incidens, ſtrepitum concitet; adeò ut tu fratri tuo ſuccenſeas, maleque in eum ſis animatus, & ipſe viciſſim in te, quòd cum ſtomacho illi reciprocè reſpondeas; tunc, inquit Bonaventura, hæc animi à fratre tuo alienatio protinus eſt exuenda, nec ſinendum ut profundas vel in te, vel in illo radices agat: ſed danda tibi opera, ut quamprimùm illi, etiam antequam menſæ accumbas, aut ſaltem cubitum concedas, ſatisfacias, & cum eo in gratiam redeas. Et in hanc rem adfert illud Apoſtoli, *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*, deſinat hæc, antequam deſinat dies.

S. Bonavent.

Eph. 4. 26

Medium reconciliationis inter diſſidentes.

5. Optimum autem ſatisfaciendi, & in gratiam redeundi modum eſſe docet, veniam ab invicem petere: quem & S. P. nobis in Conſtitutionibus præſcribit: *Non eſt ferenda*, inquit, *inter ullos domeſticorum perturbatio,*

3. *p. Conſtit. c.* 1.

liter. P. & habetur reg. 32. Rectoris. batio, *vel ira mutua, si quid autem huiusmodi accideret*, vel ex nostra fragilitate, vel inimici ignem discordiæ inter fratres semel exortæ semper insufflantis ac foventis instigatione, *curet* Superior, *ut statim cum satisfactione debita in gratiam invicem redeant.* Et inter alia eiusdem S. Patris monita spiritualia, quæ calamo exarata habemus, hoc est, ut, si quid huiuscemodi in domibus nostris oboriatur, statim dissentientes ab invicem veniam postulent, hæcque demum *debita* illa *satisfactio est*, quam Constitutiones requirunt: Hac autem humilitate violata & distracta caritas resarcitur ac redintegratur. Quod bene S. Bernardus observavit his verbis; *sola* *Serm. 2. de Natal. Domin.* *humilitas, est læsæ caritatis reparatio.* In hac autem venia tam petenda, quàm *Colos. 3. 13* concedenda omnes quàm facillimi simus oportet, juxta illam Apostoli sententiam, *Supportantes invicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam*: quin imò par est, ut alter alterum hoc in officii genere præveniat, *ut nemo coronam tuam* ac lauream, qui enim sponte cedere incipit, sese humiliando, & primò veniam petendo, næ illi sibi egregiam & illustrem coronam comparat. Quocirca qui senior, aut in virtute ac mortificatione provectior est, aut esse saltem debet; primus jure suo cedat, nec respiciat nescio quos apiculos aut circumstantias, nec an ipse injuriam sit passus, aut majoribus ad indignandum rationibus nitatur. Pastores Abraham & cognati eius Loth, cùm invicem ob pascua gregum litigarent, statim Abraham jure suo cessit, *Gen. 13. 8.* Lothoque optionem dedit, dicens, *Ne quæso sit jurgium inter me & te, & inter pastores meos & tuos; fratres enim sumus. Ecce universa terra coram te est, recede à me, obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.*

6. In Chronicis Cisterciensium *Exemplum.* narratur de quodam monacho, quod quoties sacras Eucharistiæ epulas adiret, tanta à Deo suavitate perfunderetur, ut favum mellis se recipere crederet, quæ suavitas ac dulcedo ad triduum in eo durabat. Quadam die cùm unum de fratribus imperiosiùs increpasset, & nondum ei reconciliatus ad sacram synaxin accessisset, tantum abfuit ut solitam mellis suavitatem perceperit, ut sibi amaritudinem fellis in ore habere videretur; quia nimirum Christi Domini in Evangelio mandatum non adimpleverat, dicentis: *Si offers munus tuum ad altare,* *Matt. 5. 23.* *& ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* E quibus liquidò constabit, quantopere Deus velit, ut quis fratri suo quamprimum reconcilietur, cùm eum, etiam ad altaris pedem consistentem, reverti, & in gratiam cum eo redire jubeat, antequam victimam offerat.

Caput XIV.

Tria proponuntur monita, tunc observanda, cùm aliqua indignandi offensionisq; nobis occasio offertur.

Remove te ab ira, ut nō incidas in iurgia.

1. Ex dictis tria colligere possumus documenta, tunc usui nobis futura, quando frater nos offendit, aut aliquam indignationis materiam dedit. *Primum est*, ut ab omni vindicandi affectu ac desiderio simus quam alienissimi. Omnes invicem fratres sumus, & eiusdem corporis membra; nullum autem unquam membrum ab alio læsum, in ipsum insurrexit, aut vindictam sumpsit, neque ullus hactenus puer tam fatuus repertus est, qui quòd linguam momordisset, iratus dentes, qui morsum inflixerant, sibi putaverit evellendos.

Corporis unius membra sumus omnes.

Domestici invicem sunt, ut uno illato damno secundùm nolint inferre. Sic & nos, aliquâ nobis à fratre injuriâ irrogatâ, dicamus oportet, Corpus meum est, ignoscamus illi, nullum ei malum vel faciamus, vel velimus; uno illato vulnere, nefas est secundum in hoc Religionis corpore infligere. *Nulli malum pro malo reddendo.* Non hîc loquor de vindicta in re aliqua gravi: nam in statu Religioso omnes quam longissimè ab ea distant, & distare debent; sed in rebus levibus, quas citra gravem noxam videtur unus alteri aut velle, aut facere posse. Dicit quis, Nollem sanè fratri meo sinistri quid contingeret; sed verbum unum alterumve illi dictum vellem, quod profectò sentiret, & è quo malè se in hac re fecisse deprehenderet. Alius gaudet, cùm is, erga quem minùs se sentit affectum, reprehenditur, aut castigatur. Alius rursus nescio quam delectationem, aut complacentiam sentit, quod hoc illudve benè alteri non successerit, vel quòd mortificetur & humilietur. Vindictæ hoc genus est, & malum, nec, qui huiusmodi est, ex toto corde injuriam fratri suo condonavit; & nonnisi cum scrupulo & animi remorsu dicere poterit illam orationis Dominicæ partem: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Hoc inter nos Religiosos maius aliquâ ratione piaculum foret, quàm si mundani in re quapiam magna de inimicis suis ultionem exigerent. Monet proinde Salomon, *Ne dicas, Quomodo fecit mihi, sic faciam ei*; ne optes talionem fratri rependi: hoc namque est se de eo velle ulcisci.

Rom. 12. 17.

A levioribus etiam vindictis cavendum.

Matth. 6. 12.

Prov. 24. 29.

2. *Secundum documentum est*, ut non solùm à quocunque vindictæ desiderio, quo nos lædenti malè velimus, procul absimus, verùm etiam ab alia re caveamus, quam filii huius sæculi sibi putant licere. Solent hi dicere: Nullum ei malum precor aut opto, mihi tamen ultra dentes is in cor non ingredietur, id est, nunquam ei amicus ero. Fovent isti aversionem & rancorem quendam adversus eum, à quo læsi sunt, ut posthac illum bonis oculis respicere, ut ipsimet fatentur, nequeant. Id in sæcularibus reprehendi solet; & verò dubitamus interdum, num hi, loquendo in rigore, præceptum de caritate fraterna

Offensus amaritudinē perpetuam vita.

terna

terna adimpleverint: hæc namque causa esse solet, cur illum exinde non alloquantur, & aliquod etiam aliis scandalum præbeant. Quanto ergo majus piaculum foret, si quid horum inter nos occurreret, & aliquã ipsi in cordibus nostris adversus fratrem amaritudinem vel displicentiam foveremus, nec eum tam æquis oculis sicut antè, *sicut heri & nudius tertius*, aspiceremus? Res hæc à Religiosis cœtibus esse debet alienissima. Quare monet Apostolus; *Omnis amaritudo & ira, & indignatio tollatur à vobis.* Et mox: *Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem sicut & Deus in Christo donavit vobis.* idque ex animo & corde faciamus. Nostin' quàm ex corde? dicit Apostolus: *Sicut & Dominus donavit vobis, ita & vos.* Vide quàm ipse nobis ex corde parcat & condonet, quando commissorum nos pœnitet, veniamque eorundem ab ipso poscimus. Nulla quippe in eo remanet alienatio, non sinister oculus, non rancor, non obliquè nos intuetur, sed amicitia eius perfectè & in integrum restituimur, tamque benevolè nos complectitur & diligit, ac si nunquam eum offendissemus; non præterita scelera nobis exprobrat, nec ampliùs eorum recordatur: *Peccatorum*, inquit, *& iniquitatum eorum jam non recordabor ampliùs.* *Et projiciet*, ait Propheta, *in profundum maris omnia peccata nostra.* Pari ergo modo nos ignoscere delinquentibus debemus, iniuriarumque acceptarum oblivisci, nec ulla in nobis à fratre offendente manere alienatio, nec obliquus oculus, aut rancor, sed eum ita in gratiam recipere, ac si nunquam nos læsisset, aut læsionis quidquam inter nos occurrisset. Si tibi sic Deum ignoscere velis, ignosce sic fratri tuo: sin minùs, time illam Christi Domini in Evangelio comminationem; *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordib. vestris.* Et illam: *Dimittite, & dimittemini; eâdem quippe mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis.*

Gen.31 2. Ephes. 4. 31. & 32. Coloss.3.13.

Deus ex corde remittit, ergo & nos omnes reliquias offensionu tollere debemus

Heb. 10. 17. Ezech.8. 22. Michea 7. 19. Matt. 18. 35. Luc.6.37.

3. *Tertium documentum* (per quod præcedens meliùs exponitur) S. Basil. suggerit. Sicut inquit, particulari erga aliquem affectu nos ferri nõ oportet, ob plurima incommoda, quæ ex amicitiis privatis nascuntur, ut postea dicturi sumus; ita nec ab aliquo alieni esse debemus vel aversi; nam & hæ aversiones nõ pauca damna secum ferunt. Quodnam verò maius dari fingique incommodum & inconveniens poterit, quam si (quod Deus avertat) de quopiam nostrum dicatur, Petro videlicet, non benè convenit cum Joanne; exinde non ea, quæ solebat, inter eos viget familiaritas & caritas; sinistro, & parum amico, invicem oculo contuentur, à se alieniores sunt? Hæc sanè collisio & ruptura huiusmodi est, ut universum Religionis corpus subvertere, & in ruinam trahere valeat. Si enim Christus Dominus ex isto præcipuè symbolo nos pro suis discipulis cognosci velit, quòd alterutrum diligamus; sequitur, eum, qui fratrem non amat, sed odit, nec Christi discipulum, nec bonum Religiosum fore. Cui incommodo ut occurra-

Aversiones vitandæ. *Serm. 4. de instit. monach. Cap. 18. Ioan.13. 35.*

curratur, hoc observandum est: cùm particulari aliquo erga hunc illumve affectu te ferri sentis, hunc totis viribus excludere, & à te relegare debes, ne in corde tuo radices is agat, aut prædominetur; qua in re singillatim illud rerum spiritualium magistri præscribunt, diligenter scil. tunc homini cavendum, ne voluntas & affectus hic particularis foras prorumpat, nec per opera exteriora se prodat; sed ita celetur, ne quis eum aut intelligat, aut videat: hoc namque maximam scandalum & aliorum offensionem parere solet: ita quoque cùm primùm à quopiam alienationem aversionemque in animo senseris, quàm diligentissimè ac statim illa effugienda est, ne in animo radices figat, ac longiùs se dilatet.

Alienatio animi à fratre non est prodēda. 4. Potissimùm verò tibi opera danda, ne ex operibus quis colligat, hanc te aversionem tentationemque à fratre habere: hoc enim plurimos offendere, & incommoda plurima causare natum est. Nec tantùm cavendum, ne hæc ab aliis notetur, verùm ne ab ipso quidem, à quo alienus es. Intelligi id commodè poterit ex illo, quod præ manibus habemus. exemplo. Quemadmodum sunt nonnulli, qui particularem suum in aliquem affectum ita celant, ut à nemine percipiatur, ne quem per eum offendant, vel scandalizent; ei tamen, erga quem sic afficiuntur, eum multis in rebus declarant ac patefaciunt, nunc apertè, nunc rectè (quod noxium inprimis & perniciosum est:) ita quoque sunt nonnulli, qui tametsi caveant ne quis alius percipiat alienationem illam mentis à fratre suo, ut scandalum & offendiculum inde secuturum evitent; ei tamen, à quo dissentiunt, aliquibus eam signis satis evidenter produnt, vel in conversatione ab iis se subducendo, vel solitam vultus hilaritatem non præferendo, vel denique in omnibus quæ se offerunt occasionibus, austeritatem & aversionem quandam ab iis demonstrando; quin imò datâ operâ volunt, ut alius ille videat, se illi ob acceptam ab eo injuriam succensere. Id quod similiter minimè leve malum debet censeri: vindictæ namque de fratre sumptæ genus quoddam est. Hæc igitur omnia remis velisque fugiamus.

Matth. 5. 44. Rom. 12. 20.

Exemplum. In vita Henrici Bruni c. 7.

Magis benefactis sananda. 5. Propterea, quemadmodum sancti scriptores, ad præcavenda majora pericula, consulunt, ut dum à qualibet tentatione oppugnamur, cautiores tum incedamus, ac tum magis vigilemus, ne tentationi huic aliquo modo succumbamus vel consentiamus: ita, dum aliquam à fratre aversionem, alienationem, motumq; inordinatum senties, cautiùs ac circumspectius incedas necesse est, ne ab illa transversim abripiaris, & aliquid dicas faciasve, quod animum & tentationem tuam patefaciat, offensionisque aliquam fratri occasionem præbeas: imò tunc magis eniti debes, ut benefaciendo illum prævenias & vincas, Deum videlicet pro illo rogando, benè honorificeque de ipso loquendo, & quacunque re poteris, ipsum juvando, juxta id quod in Evangelio Dominus consulit, & Apostolus faciendum monet, benefactis scili-

scilicet malum esse vincendum & expugnandum. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius,* carbones, inquam, amoris & caritatis.

Matth. 5. 44. Rom. 12. 20.

Exemplum. *In vita Henrici Bruni, c.7.*

6. Thomas à Kempis refert Sacerdotem quendam Dei servum, & suum in eodem Cœnobio contubernalem, cùm alicuius negotii exequẽdi causâ ad alium Conventum proficisceretur, in via in virum sæcularem incidisse: qui cùm familiariter inter se agerent, deque rebus spiritualibus sermonem inferrent, eo longiùs protracto, sæcularis dicere cœpit, se rem illi, quæ aliàs sibi contigerat, narrare velle: scilicet, multùm fluxisse temporis, quo, dum sacrum Missæ officium audiret, nunquam in sacerdotis manibus sanctissimum Christi corpus videre potuerit. Ratus autem id contingere, quòd ab altari esse remotior, nec ob visus infirmitatem eatenus pertingere posset, propiùs se ait ad altare & Sacerdotem celebrantem accessisse, nõ tamen plura quàm antè conspexisse; & hoc amplius anni spatio durasse. Cumque animi dubius & perplexus æstuaret, causam tamen ignoraret, secum statuisse, bono cuidam Sacerdoti in confessione illud aperire: qui cùm prudenter matureq; conscientiam & animi statum explorasset, comperit hominem hunc, ob acceptam aliquam injuriam, quam condonare nullatenus voluisset, inimicitiam & rancorem animo fovere. Hominis ergo malitiam & duritiem cordis perspiciens, partim eum reprehendit, partim commonuit, simul etiam periculi, in quo versabatur, gravitatem indicavit, & nisi ex corde offensas remitteret, frustra se peccatorum suorum veniam sperare; atque unum hoc in causa fuisse, cur Ven. altaris Sacramentum videre non potuisset. His igitur salutaribus monitis auditis, in corde se compunctum fuisse, & confessarii consiliis parendo, inimico injuriam omnem condonasse; quare confessione peractâ, & pœnitentiâ absolutioneque acceptâ, templum ingressum esse, & divinissimum Christi corpus in sacrificio Missæ sine difficultate ulla & obstaculo conspexisse: &, in gratiarum actionem se, ob hoc singulare beneficium, & alia, quæ creaturis suis mirabiliter donaret, Deum Opt. Maximum benedixisse, nec exinde benè dicendo satiari potuisse.

Magis benefacta sanda.

CAPUT XV.

De judiciis temerariis: in quo illorum malitia & gravitas sita sit, declaratur.

1. TV *autem*, ait Apostolus, *quid judicas fratrem tuum, aut quare spernis fratrem tuum?* Inter reliquas tentationes, quibus dæmon, boni nostri adversarius, nos oppugnare solet, una eaque principalis est, nos ad sinistra judicia & suspiciones malignas adversum fratres nostros concipiendas sollicitare, ut, quam de illis habemus, opinione bonâ & æstimatione ex animo erasâ, simul etiam ipsum morem & charitatem fraternam eripiat,

Rom. 14. 10. Judicia Temeraria inique.

piat, aut saltem in ea nos intepescere & refrigescere faciat. Hac de causa nostrum est, tentationi huic, qua possumus contẽtione resistere, eamque ut gravissimam ducere, quòd nos in primario quodam membro, caritate inquam, lædere conetur. Unde nos, monet Augustinus, *Præ omnibus cavenda est suspicio, quæ est amicitiæ venenum*; id est, si fraternum amorem & charitatem sartam tectam habere, integramque conservare velis, ante omnia cavendum, ne quem temerè judices, aut pravam de eo suspicionẽ concipias: hæc enim charitatis pestis est exitialissima. S. Bonaventura porro ita eam describit, *Occulta pestis, sed gravissima, quæ Deum fugat, & fraternam caritatem lacerat.*

Li de amicit. c. 24.

In stimulo amoris, c. 10.

Qua in re hæc iniquitas.

2. Vitii huius malitia & gravitas consistit in mentali proximi infamatione, eum ob levia quædam & nullius momenti indicia ac coniecturas contemnendo, vilipendendo, & vilem contemptumque ei in corde suo locum assignando. In quo profectò non mediocrem fratri suo injuriam & contumeliam irrogat: eo verò maior hæc futura culpa est, quo res, circa quam proximus dijudicatur, gravior erit, & indicia minùs evidentia. Culpæ porro huius gravitas ex alia simili colligetur. Si tu fratris tui nomen & famam apud alium lacerares, ita ut hic bonam, quam de eo opinionem conceperat æstimationemque exueret; & ipsum quà posset insuper infamaret, satis apparet, maximum quoddam id peccatum fore, eandem autem tu illi injuriam infers, dum sine causa & sufficientibus indiciis, bonum nomen opinionemque, quam de ipso habebas, eripis: tantidem enim fratri tuo est, se apud te benè audire & æstimari, quanti apud alium quemlibet. Atq; inde quivis facilè perspiciet, quantã in hoc fratri injuriam & malum inferat. An non enim grave tibi foret, si quis sine sufficienti causa, te ut talem duceret? Atqui eamdem tu alteri injuriam infers, dum eum apud te talem esse judicas. Ex te tuaque mente eum metire: hæc enim charitas erga proximum, nec non justitiæ, mensura & norma.

Iudicium temerarium æquivalet detractioni.

3. Notandum hoc loco est, aliud esse temerarii judicii tentatione pulsari, aliud ei cedere & succumbere: sicut & in aliarum materiarum tentationibus dicere solemus: aliud enim est, ad inhonesta & illicita tentari; aliud vinci, obscænisque tentationibus consentire. Et ut dicimus prius nullum malum continere, sed posterius: ita nec hic, malum est à cogitationibus temerariorum judiciorum divexari; quamquam longè melius foret, tanta nos erga fratres caritate & amore ferri; tanti eos æstimare, tam etiam benè propria delicta agnoscere, ut ne cogitemus quidem de alienis respiciendis, animoque volvendis, Demum ut S. Bernardus ait: *Non nocet sensus, ubi non est consensus*: at ubi consensus adest, tunc culpa contrahitur. Pari modo tum quis à temerariorum judiciorum tentatione dicetur victus, quando determinatio in illam consentit, & æstimationem & reputationem, quã frater apud ipsum habebat, propterea exuit,

Discrimen inter apprehensionem sinistram & Iudicium et ut inter tentari & consentire.

De interior. dom. c. 19.

exuit, eumque minoris facit, juxta superiora Apostoli verba. Quare, quando confessionem instituet, temeraria de fratre judicia sibi occurrentia non est quòd exponat, sed, quòd iisdem consensum præbuerit, & ab illa tentatione superatus fuerit.

Iudicium malum de proximo alteri aperiedū quia sæpius erramus. 4. Commonent hoc loco Theologi quàm diligentissimè homini cavendum esse, ne, quod de proximo formavit judicium, aut malam suspicionem alteri cuipiam revelet, ne fortè causa sit, cur & ille de proximo idem judicium ac suspicionem concipiat, vel in ea, quæ antè fortassis illi occurrerat, confirmetur. *Tam prava siquidem nostra in malum inclinatio est, ut faciliùs ac citiùs de alio credamus malum quàm bonum.* Adhæc homini confitenti advertendum, ne personam de qua huiusmodi judicium formavit; uti nec eum, qui sibi propter hoc, vel illud offendiculo fuit, confessario aperiat: ne & ipse malam aliquam propterea suspicionem concipiat, vel saltem minoris eum æstimet. Tantam scilicet nos circumspectionem & solicitudinem Doctores & sancti Patres in honore & fama proximi conservanda adhibere volunt: & tu ob leves & tenues quasdam conjecturas ac indicia, æstimationem illam & reputationem, quam apud te habebat, & cuius apud omnes tuendæ naturale quoddam jus habet, quamdiu opera ejus contrarium evidenter non ostenderint, illi cupis suffurari?

Iudicans temere, involat in Dei jurisdictionem. 5. Præter injuriam explicatam & malum, quod hac ratione quis proximo infert, aliam insuper vitium istud malitiam, & gravem in Deum injuriam continet: quòd, nimirum jurisdictionem & judicium, Deo proprium, sibi arroget, contrà ac Redemptor apud Evangelistam præscripsit: *Nolite*, inquit, *judicare & non judicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini.* Luc. 6. 37. Temeraria hîc à Domino vetari judicia S. Augustinus ait, qualia sunt, cordis intentionem, aliaque incerta & occulta animi arcana dijudicare: quod huius rei cognitionem sibi soli Deus reservarit; & ideo vetat, ne nos temerè eius inquisitioni ingeramus. Lib. de serm. Domin. in monte, c. 28. Particulariùs hoc ipsum declarat Apostolus, ad Romanos scribens: *Tú quis es qui judicas alienum servum?* Rō 14. 4. judicare, actus est Superioris: hic autem homo, tuus subditus non est, herum habet, Dominum inquam cœli; cui *stat aut cadit:* illi eum ut judicium in illum exerceat, committe, tu Dei jurisdictionem & partes usurpare noli. *Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo.* 1. Cor. 4. 5. Hanc Apostolus dat rationem, cur neminem dijudicare debeamus; quia, scilicet, occultæ & incertæ sunt causæ quæ ad Dei tribunal pertinent. quocirca, qui id genus causis dijudicandis sese immiscet, Dei munus, jurisdictionem & judicium sibi vindicat.

Exemplum. Vit. patr. 6. Quidam de priscis illis monachis, cùm ob indicia quædam incerta, quæ viderat, vel ab aliis audierat, malè de quopiam alio monacho judicasset, statim de cœlo vocem delapsam

ipsam audit, dicentem. Homines judicium meum sibi assumpserunt, inque alienam jurisdictionem involarunt. Si autem tam nos, quàm Sancti ita etiam de illis censent rebus, quæ aliquam saltem mali speciem & apparentiam præ se ferunt; quid dicendũ de iis, qui etiam quæ ex se bona, in malam partem interpretantur, ea scil. prava mentis intentione, & ob respectus aliquos humanos fieri asserentes? Quod qui faciunt, multò magis jurisdictionem judiciumque Dei usurpant, cùm etiam intra humanorum cordium adyta penetrare, & occultas intentiones ac cogitationes (quod Dei proprium est) judicare velint. S. Jacobus ait: *Facti estis judices cogitationum iniquarum.* Et Salomon ait, eos velut ariolos ac divinatores fieri velle, judicantes ignota, & quæ scire non valent. *In similitudinem arioli & conjectoris æstimas quod ignoras.*

Iac. 2. 4. Prov. 23. 7.

Caput XVI.

Recensentur causæ ac radices, è quibus temeraria judicia pullulant, & de eorundem remediis.

Prima radix temerarii judicii superbia. S. Bonavent. in stim. amoris c. 10.

1. PRima è qua temeraria judicia pullulare consueverunt, radix, est ea, quæ simul omnium malorum & peccatorum est origo, superbia videlicet; sed huius vel maximè. S. Bonaventura rem hîc notat consideratione dignissimam: nempe eos qui se pro spiritualibus habent, magis quàm alios ad temerè dijudicandum & alios suggillandum tentari solere; ut implere velle videantur illud Apostoli, sed alio in sensu, dictum: *Spiritualis autem judicat omnia.* Putant tales se deprehendere in se ipsis quædam Dei dona, ob quæ cùm humiliores esse deberent, in iisdem magis evanescunt; putantesque se esse aliquid, præ se alios parui faciunt, dum eos vel minùs recollectos, vel ob rerum exteriorum occupationem distractiores & magis divisos arbitrantur. Inde spiritus quidam reformativus eos invadit, quo vitam aliorum reformare gestiunt, suiipsorum obliviscentes.

Remedium contra hanc radicem est simplicitas.

2. Sancti Patres docent, simplicitatem humilitatis esse filiam; quia verus humilis oculos apertos tantùm habet ad sua ipsius defectus & delicta notanda, clausos verò ad aliena; & tam multa semper in se notanda & plangenda invenit, ut nec oculos, nec cogitationes ad alienas imperfectiones respiciendas convertere possit. Ac proinde si quis verè humilis foret, quam longissimè ab id genus judiciis abesset. Ideo Sancti remedium hoc, velut cùm ad hanc rem, tum ad alias plurimas efficacissimum suggerunt, ut nimirum oculos nostros non nisi ad proprias imperfectiones notandas (*ut sciam quid desit mihi*) clausos verò ad aliena vitia observanda: ne de hypocritarum numero simus, quos Redemptor in Evangelio festucam asserit in oculo vicini videre, trabem autem in proprio cernere non posse. *Quid autem*, inquit, *vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Oculos quippe semper in proprias imperfectiones defixos habere,

Psal. 38. Matt. 7. 3.

2. Proprios defectus considera, alienos neglige.

bere, magna bona & commoda secum adfert, humilitatem, inquam, confusionem, timorem Dei, recollectionem animi, magnam denique pacem & mentis quietem: uti alienos defectus intueri, ingentia parit mala & incommoda, videlicet superbiam, temeraria judicia, indignationem erga fratrem meum, eiusdem quoque vilipendium, inquietudinem conscientiæ, zelum indiscretum, aliaque eiusmodi animum turbare nata. Si quem verò te contingat interdum in proximo defectum videre; ita eum à te videri debere Sancti volunt, ut fructum spiritualem inde aliquem decerpas. Insignem ad hoc modum *In regul. Nov. c. 12.* nos docet S. Bonaventura: Si quando, inquit, in fratre aliquid quod tibi displiceat, notabis, antequam eum dijudices, oculis in interiora tua conversis, dispice, num quid in te sit quod reprehensionem mereatur: si quid ergo huiusmodi in te inveneris, sententiam adversus teipsum pronuncia, & cuius rei alium condemnare volebas, eius potiùs te condemna, ac *2. Reg. 24. 17.* dic cum Propheta regio, *Ego sum qui peccavi, ego iniquè egi*: ego sum ille iniquus ac perversus, qui non mereor ut terram osculer, quam frater meus calcat, & ego eum dijudicare audeã? & quid est, &, quod in fratre meo noto, præ illo, quod in me verè esse scio?

Informat. honest. vitæ in documẽto ibi addito. Alium valdè bonum modum assignat S. Bernardus, in hoc negotio inprimis observandum. *Cùm vides*, inquit, *aliquid* in alio, *quod tibi displicet*, statim *vide si hoc est in te*, & idipsum *abscinde*. *Si verò vides aliquid, quod tibi placet*, quamprimùm etiam *vide, si hoc est in te, & si est, tene; & si non est, assume*, & acquirere stude. Et sic ex omnibus quæ in proximo videbimus, proficiemus.

3. Mala proximi nos negligere. — Bona æmulare.

3. Aliam horum judiciorum radicem assignat S. Thomas. *2. 2. q. 60. art. 3.* Tradit enim, interdum illa ex corde maligno & virulento enasci, &, prout quis quid fecerit, vel fecisset, ita alios quoslibet dijudicare: juxta illam Sapientis gnomen, *Stultus in via ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat*, id est, ut vulgari nostro dicitur adagio, Fur quoslibet esse sibi putat similes. Sicut, qui cæruleum vitrum diaphanum oculis admovet, quæcunque videt, cærulea esse putat; si verò rubrum, rubra: sic malo & imperfecto omnia videntur esse mala, & nihil non perperam ipse interpretatur, quòd per eiusdem qualitatis specularia ea perspiciat. quòd enim ipse pravo fine & intentione omnia facit, credit & alios ea pari intentione facere. Egregiè in hos quadrat illud Apostoli: *in quo judicas alterum, teipsum condemnas, eadem enim agis quæ judicas.* *Rom. 2. 1.* Bonus & sincerus, omnia semper in saniorem partem accipit, etsi alioquin argumenta non desint, quæ rem dubiam reddant; in deteriorem verò partem ea interpretari, malitiam redolet. Quemadmodum (ait S. Dorotheus) qui sanæ complexionis & stomachi est, cibum quantumlibet malum in bonam substantiam convertit; & contrà, qui cachexia laborat & morbidum affectumq; habet stomachum, etiam alimenta bona in vitiosos humores vertit: ita qui-

Marginalia: *Secunda radix.* — *Eccl. 10. 3.* — *Temere judicans eidẽ vitio solet esse obnoxius.* — *Omnia munda mundis.* — *doctrin. 26.*

quicunque bona mente & virtute præditus est, in bonum sensum trahit omnia; qui verò virtutis cultor non est, in noxium succum cuncta commutat, quælibet in malum accipiendo.

4. His SS. Patres præscribunt hoc remedii, quamvis etiam id, quod videtur, apertè malum esset (quamquam non sit peccatum, pro malo illud habere, quod tale constat esse,) insignis virtutis ac perfectionis signũ daturum eum, qui proximum quoad potuerit, excusare conabitur. Unde S. Bern. *Excusa intentionem, si opus non potes, putà ignorantiam, putà subreptionem* & oblivionem naturalem, *putà casum*, & subitum primumvé motum. Sanè, si proximum sicut nosipsos amaremus, & ut alterum me (amicus enim est alter ego) intueremur, eius excusandi modi rationesque minimè deessent. Quàm porrò ipse se homo excusat, quàm se propugnat, quã culpas suas imminuit & purgat! eodem prorsus modo cum proximo ageremus, si eum ut nosmetipsos diligeremus. Cùm autem error tam evidens & culpabilis est, ut nullus sit excusationi locus, ait idem Sanctus, cogita violentam peccandi occasionem ei oblatam, tentationemque, à qua oppugnatus fuit, fuisse gravissimam, & intra temetipsum dicito: Si hæc tentatio tam acriter & vehementer me impetivisset, quam hunc impetivit; si item diabolo tentatori tanta oppugnandi mei potestas daretur, quanta ei est ad hunc tentandum data; quam, Deus bone, graviter ac turpiter impegissem! De S. P. N. Ignatio legimus, si quid videret, quod tam evidenter & clarè malum esset, ut excusationi esset locus, nec ullum pateret purgationi effugium, judicium suum suspendere, & ad sacram Scripturam confugere solitum, ac dicere, *Nolite ante tempus judicare*, nec non ad illud Domini ad Samuelem, *Deus intuetur renes & cor*; denique illud Apostoli, *Domino suo quisque stat aut cadit*.

Serm. 40. in Cantic.

Mala aperta charitas excusat.

Lib. 5. c. 6. Vitæ.

1. Cor. 4. 5.

1. Reg. 16. 17.

Rom. 14.

5. Aliam, eamque non postremam, huius vitii radicem ponit S. Thomas, videlicet, temerarium judicium, quòd quis ab eo, quem ita judicat, animo sit alieniore, ei invideat, aut æmuletur. Hæc enim vehementer ipsum inclinant, ut omnia quæ alter agit, mala esse judicet, eaque, ob levissima etiam indicia ac signa, in deteriorem partem interpretetur: *quia unusquisque faciliter credit quod appetit*. Hoc ex eius contrario clariùs patebit: quando enim quis alium magno amore prosequitur, statim universa ipsius opera, bona ei & laudabilia videntur, & tantum abest, ut ea damnet vel sequiùs interpretetur, etsi alioquin talia esse revera videat, ut potiùs excuset & imminuat: nam *caritas non cogitat malum*. Unus idemque defectus, una eademque indicia, alia producunt quoad eum quem amas, & alia quoad eum, à quo alieniores, judicia. Utrumque quotidiana nos edocet experientia, nempe huius opera tibi displicere, & insulsa videri, istius verò licèt fortè plura & deteriora sint, tamen te non offendi, sed levi oculo ea pertransire. Benè dixit Sapiens, *Odium suscitat rixas*, & contrà,

Tertia radix, Affectus corrumpens judicium.

1. Cor. 13. 5.

Prov. 10. 12.

contrà, *universa delicta operit charitas.* itaque judicare alterum, est quidam defectus amoris. Inde quoque fit, ut etiam id quod delictum non est, sæpenumerò nobis in fratre displiceat; ipsius inquam gestus, sermones, discursus, procedendi modus; imò verò interdum quod cum virtute ac laude coniunctum est.

Remedium charitas & simplicitas.

6. Unde consequitur, sicut simplicitas ad mutuam caritatem conservandam, permultum confert, ita quoque caritatem maximè juvare, ut invicem colatur simplicitas. Hæ quippe duæ virtutes, ceu amabiles sorores, sibi invicem connexæ & coniunctæ sunt. Non parum etiam huc faciet, ipsam diaboli astutiam & malitiam attentè considerare; qui nescio quas ob reculas, aliquando non vitiosas, vel ob vitia tam levia, ut id genus defectibus homines carere nequeant, fratrum æstimationem, ac consequenter amorem in cordibus nostris extinguere contendit: nullus quippe vivit sine crimine, qui saltem non aliqua peccata venialia habeat. 1. Ioan. 1. 8 *Si dixerimus,* inquit S. Joannes in Canonica sua, *quoniam peccatum non habemus, ipsi nos sed cimus, & veritas in nobis non est.* Prov. 24. 16. Et, *Septies,* id est sæpiùs, *in die cadere iustum* testatur Salomon; nec tamen propterea desinit esse justus. Non est igitur æquum, ut ob rem propter quam quis non desinit esse justus, nec vel minimum divinæ gratiæ apicem deperdit, amicitiâ & gratiâ tuâ excidat. Verus siquidem amor caritatis non est velut aciculis adstrictus, nec inanibus paleis nititur, sicut amicitia & caritas mundana,

Deus defectibus non avertitur, ergo nec tu.

quæ ob futiles aliquas ineptias ac nugas, vel quia amicum tuum non eo quo se dignum credebat, modo favoreque excepisti, dissolvitur. Sed caritatis amor, in Deo, qui nec errare, nec deficere potest, fundatur. Hæc igitur Dei viscera & naturalem conditionem imitemur, utpote qui non propterea minùs nos amat ac complectitur, quòd delictis, imperfectionibus & peccatis venialibus pleni simus (uti revera sumus) nec propter hæc, de amore suo vel punctum diminuit. Tot in me defectus & imperfectiones patienter tolerat Deus; & ego ne parvum quidem in fratre defectum possum tolerare, quin statim mihi is displiceat, fastidium generet, & ei ob eundem indigner & succenseam. In quo ostendis, amorem tuum non purè è caritate proficisci, nec propter Deum esse: si enim is purus esset, sanè, quòd Deo non displicet, nec tibi displicere aut tædium afferre debebat: quod hero & Domino nostro non displicet, nefas est servis eius & famulis displicere. Ipse, Dei est filius, eiusque intimus & dilectissimus: si ergo illum Deus amet & æstimet, rationi consentaneum est, ut tu illum ames & æstimes. *Charissimi, sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere.* 1. Ioan. 4. 11.

7. Huc accedit quædam doctrina S. Gregorii, & est communis aliorum Patrum: docent nimirum, Deo familiare esse, ut interdum minora quædam dona deneget iis, quibus alia magna concedit, in iisque ex alta ac secreta dispensatione & providentia sua quasdam imperfectiones & defe-

Lib. 34. Mor. c. 15. & in 4. p. Pastor. in fin. & lib. 3. Dial. c. 14.

Magnis Sanctis subinde

Deus relinquit parvos defectus.

defectus relinquat, ut videntes, se malam aliquam inclinationem, passionem, & consuetudinem, quam habent, at numquam stirpitus exstirpare queunt, & quæ, licèt sæpiùs eam cavere proponant, toties recurrit, identidem tollere velle & debere; se semper humilient, erubescant, simulque intelligant, minùs se viribus & marte suo in maioribus vitiis superandis posse, cum minora vincere nõ valeant. Potest igitur quispiam una ex parte multas habere virtutes, & ad magnæ perfectionis apicem pervenisse, imò & sanctus esse; ex altera verò, leves aliquos defectus & imperfectiones habere, sibi ad probationem & exercitium juge virtutis ex divina dispensatione relictas, ac ne ob dona & talenta accepta se insolenter efferat, sed in humilitate conservet.

Conclusio.

8. Ex dictis igitur, in rem nostram id dicamus, videlicet non debere nos ullum, ob aliquot huiusmodi defectus, judicare, aut minoris facere; neve nos, quòd eisdem carere videamur, magni facere, aut cuipiam præferre. Meminerimus illius sententiæ S. Gregorii, quia fratrem illum, ait, cum eo defectu perfectum, & te, sine hoc; imperfectum esse posse sic fiet, ut una ex parte humilitatem, ex altera æstimationem & amorem erga fratrem conserves ac foveas, & ab illo propter hoc judicando, aut minoris faciendo abstineas.

***

Caput XVII.

Superiora variis exemplis confirmantur.

Vit. Patrum p. 1. §. 127. I. Angelus temere judicantem arguit.

1. Abbas Isaac, ut in Vitis Patrum refertur, cùm aliquando è solitudine, in qua degebat, ad congregationem Monachorum venisset, temere eorum quendam judicavit, castigationeque dignum censuit, quòd nonnulli parvæ in eo virtutis signa observasset. Qui cùm ad propriam cellam aliquot pòst diebus rediret; ad eius ostium stantem Angelum reperit, à quo ingredi volens, impediebatur. Causam rei huius rogatus Angelus, missum à Deo respondit, ut sibi Isaac diceret, quemnam in locum monachum illum, quem ipse jam ante judicarat & condemnarat, eiectum vellet ac juberet. Tum verò culpam suam agnoscens Abbas, veniam commissi à Domino petiit. Respondit Angelus, hac quidem vice Dominum ignovisse, videret verò etiam atque etiam deinceps, ne cuiusquam judicem ageret, aut sententiam de quopiam proferret, antequam Dominus, qui universalis est Judex, eum judicaret.

Greg. lib. 3 dial. c. 6. II. Dæmon temere judicantẽ corripit.

2. Cassius Episcopus Narniensis, vir sanctimonia vitæ singulari, vultum & genas mirè rubentes & inflammatas habebat: quem Totila Gothorum Rex aliquando cernens, vinolentum credidit, & nimio vino ruborem hunc assignavit. Sed ecce, servi sui honorem Dominus statim defendit ac propugnavit: etenim quem-

quemdam de servis regis; eum inquam, qui sceptrum regale ante eum gestabat, à maligno spiritu corripi, & in Regis totiusque exercitus conspectu atrocissimè torqueri permisit. Energumentum ergo ad Cassium adduci imperat: quem cùm is, oratione ad Deum fusâ, & signo crucis super eum efformato, à diabolo liberasset, sententiam & judicium suum Rex illico mutavit, & Cassium in majori deinceps veneratione habuit.

Vit. Patrum.

III. Signũ gratię temerario judicio perditum.

3. In Vitis Patrum scribitur, duos fuisse monachos, sanctitate & fraterno amore præstantes; quibus hunc Dominus favorem concesserat, ut alter in alterius anima Dei gratiam, signo aliquo visibili (quodnam verò id fuerit, scripto ibi non proditur) notaret. Horum alter die Veneris summo manè cella egressus, incidit in monachum manducantem: quo viso, ulteriùs non examinans, num legitimam istam matutinè comedendi causam necessitatemvé haberet, Cur, inquit illi, tam intempestivè & matutinus comedis, frater, cùm hodie sit feria sexta? graviter eum in eo deliquisse ratus, Ad cellam inde reversus contristatus est socius, quòd solitum gratiæ divinæ argumẽtum ac signum in eo ampliùs non videret; & ait; Quid fecisti frater, postquam hinc egressus es? Negavit ille quidquam se mali (quantum quidem sciret) commisisse. Tum alter, fortè aliquod verbum inutile & otiosum locutus es? Exinde dictorum indicatorumq; de alio monacho recordatus, rem omnem ex ordine narravit. Ergo ambo, culpam hanc expiaturi, duas con-

Signum gratiæ amittit temere judicans.

tinuò hebdomadas jejunarunt. quibus exactis, solitum in socio socius divinæ gratiæ indicium rursus notavit.

4. Mirabilem hac de re visionem frater Leo, unus è primis Francisci sociis, sibi à Domino oblatam vidit. Apparuere illi multi fratres Minores, longo ordine procedentes, splendore & lumine miro coruscantes: inter quos unus, cæteris luminosior & gloriosior, eminere visus est, quod illius ex oculis radii, solaribus clariores & fulgentiores, promicabant, tantæque claritatis, ut in eos ipse defigere obtutum fulgore præstrictum non valeret. Percunctatus Leo, Ecquis ille frater esset, tam lucidos & fulgidos oculos habens, intellexit esse Bernardum de Quintavalle, primum S. Francisci socium: luminis autem & fulgoris huius insoliti causam esse, quòd, dum viveret, in aliis notata in meliorem partem semper interpretaretur, adeoque omnes se meliores digniore sque censeret. Nam si quem mendicum pannosum & lacerum videret, dicebat; Sanctiùs hic strictiusque paupertatem observat quàm tu; nec aliter eum intuebatur, quàm si paupertatem illam sponte amplecteretur, ac studio ambirent. Si quos autem divites, & splendidè vestitos conspicaretur, magna quadam animi compunctione sibi dicebat, Hi forsitan interiùs cilicium gestant, ac carnem suam in abscondito castigant, etsi alioquin exteriùs pretiosas vestes gestent, ut vanam è luxu vestium gloriam fugitent: propterea fieri potest ut te meliores sint. Et ob istam ocu-

In Chron. Minor. 1. p. lib. 6. c. 9. & refert Marulus lib. 5 c. 1.

IV. Singularis gloria data non judicanti temere.

lorum simplicitatem, hanc eorundem claritatem & gloriam à Domino illi datam fuisse. Hoc & à nobis exemplum est imitatione exprimendum. Quamobrem benè S. Dorotheus consulit, ut, dum alterius cellam subimus, omniaque incomposita & malè disposita videmus, ipsumque fratrem sordidulum, statim intra nosipsos dicamus; O beatum ac ter felicem fratrem, qui, quòd totus in Deum absorptus sit, hinc de exterioribus his parum sollicitus est. sin cultum & nitidum, dicamus; Exteriora hæc composita interioris nitoris ac munditiei signum sunt: talis quoque eius est anima.

Doctrin. 46.

Cap. 38.

V. S. Frãciscus castigat temerarium judicium.

5. S. Franciscus, uti iisdem Chronicis scriptum proditur, cùm Italiam Evangelii prædicandi causa obiret, incidit in via in hominem paupertate & morbis gravatum, cuius miseria cùm è pietatis affectu tangeretur, cœpit verbis misericordiam mirè spirantibus, de hominis istius pauperie ac morbis cum socio loqui. Cui socius, *Equidem frater, magna mendicus hic premi paupertate videtur; at fortasse desiderio & cupiditate opulentior est omnibus in terra viventibus.* Quod dictum indignè ferens Franciscus, & eum ob temerarium hoc judicium statim graviter coarguens, *Frater*, inquit, *si meus esse deinceps socius & sectator velis, pœnitentiam, quam tibi ob hanc in proximum tuum commissam noxam injungam, æquâ mente suscipias necesse est.* Fratri ergo huic magna se ad quamlibet pœnitentiam suscipiendã humilitate, promptitudine, delictique agnitione offerenti injunxit, ut vestes exueret, nudumque se ad mendici illius pedes abjiciens, in illum se, murmurando obloquendoque deliquisse palàm confiteretur, veniam commissi rogaret, utque sibi Deum propitium precibus redderet, supplex peteret. Quam pii Patris pœnitentiam statim exactissimè socius adimplevit.

Pœnitẽtia temere judicantis.

6. Idem S. Franciscus (ut ibidem refertur) cùm ob frequentes & assiduas lacrymas oculorum invaletudinem contraxisset, ut propè cæcutiret, F. Bernardum adire statuit, ut pio illius de rebus divinis sermone aliquantulùm in sua ægritudine recrearetur: habebat is namque singularem quemdam de Deo divinisq; loquendi gratiam ac talentum, ideoque sæpè noctes integras ambo de rebus spiritualibus ac cœlestibus sermones, magna animarum utrimque voluptate, miscebant. Ad Bernardi ergo cellam, in monte quodam ab hominum consortio remotam, cùm Franciscus accessisset; Bernardus in contemplatione abreptus erat, unde vir sanctus ei jam vicinior, inclamavit, *Frater Bernarde, egredere, ad cœco huic loquendum.* Sed, quia totus in Deum mente absorptus erat, nihil audiebat, nec ullum viro sancto verbum reddebat. Quamobrem breve post intervallum Franciscus denuo clamavit, *Frater Bernarde, veni, & tuo misellum hunc cœcum alloquio solare.* Sed, Bernardo nihil dum respondente, Franciscus recedit tristior, secumque murmurans, quòd toties inclamatus Bernardus, nihil respondere sibi

Idem i[...] se san[...]

Cap. 7[...]

ſibi voluiſſet. Ergo per viam conquerens,& confuſus, aliquantulùm ab ſocio ſeſe divellit, & ſe ad orandum componit, ſecum animo voluens, quid in cauſa foret, cur ſibi vocanti Bernardus non reſpondiſſet: &, ecce, vox de cœlo delapſa eum reprehendit; &, Quid, ait, turbaris homuncio? Æquumne videatur, ut propter creaturam homo Deum ſuum relinquat? *Frater Bernardus, à te vocatus, mecum erat, non ſecum: ideoq; ad te venire non poterat, nec verbum tibi reſpondere, quòd te vocantem non audiret.* Redit extemplò vir ſanctus ad Bernardum, de temeraria illa cogitatione ſe accuſaturus, & pœnitentiam, quam is idcirco injungere vellet, accepturus. Quem ubi jam ab oratione ſurrexiſſe advertit, ad illius ſe pedes ſupplex abjicit, ſuam culpam aperit, & quibus à Deo verbis reprehenſus eſſet, declarat: ſimul illi in virtute obedientiæ iniungit, ut ad expiationem criminis id ſibi faceret, quod ei præſcripturus eſſet. Veritus & ſuſpicatus Bernardus, ne ille quid ſibi, in extremam ſuiipſius humilitatem tendens, imperandum injungeret (quod illi, ad ſui ipſius deſpicientiam & caſtigationem facere ſolenne erat) rationes aliquas, cur hoc à ſe onus amoliretur, adducit, & ait: Paratus equidem ſum, Pater, facere quod mihi mandaris, modò viciſſim id te acturum polliceare, quod ego tibi injunxero. Accepit conditionem S. Pater, ut qui ad obediendum eſſet quam ad imperandum promptior. Tum Franciſcus; In virtute ſanctæ obedientiæ, inquit, ad præſumptionis meæ caſtigationem, tibi mando, ut unum pedum tuorum mei in terram proſtrati faucibus, alterum ori meo ſuperimponas; ac tertiò guttur & os meum pede conculces ac premas; talia inſuper verba quæ ego promereor, addas: Hîc humi provolutus eſto, ſcelesté fili Petri Bernardoni: undenam tibi tam vili abiecto tanta ſuperbia? His auditis, Bernardus, hæſit anceps, & animi pendens, facturuſne id eſſet: ſed quia id obedientia præceperat, nevé ſanctum Patrem contriſtaret, quanta potuit maxima reverentia imperata perfecit. Quo facto dixit Franciſcus: Jam tu in virtute ſanctæ obedientiæ mihi impera, quid à me fieri velis. Tum Bernardus: In virtute ſanctæ obedientiæ tibi mando, ut, quotieſcumque ſimul erimus, meos defectus quâm acerrimè coarguas. Hoc Franciſcus graviter accepit, quòd Bernardum, ob inſignem ſanctimoniam, magna in veneratione haberet: inde factum, ut longo pòſt tempore eum non adierit, ne animam tam ſanctam expacto convento reprehendere cogeretur; ſed, cùm illum aut viſeret, aut aliquid de Deo auditurus adiret, breviſſimè ſe ab illo expediret.

7. Cùm Sacerdos quidam Eccleſiæ Abbatem Arſenium ægrotum viſitatum veniſſet, eum in molli ſtragulo recubantem, caput verò in molle cervical reclinantem invenit. Venerat cum illo forte ſenex quidam monachus: qui Arſenium eo in ſtatu videns, offendi & ſcandalizari cœpit, nimis delicatam culcitam & cubile id *Surius in vita Arſen.*

eſſe

esse cogitans ei, quem vulgò omnes ut sanctum suspiciebant, nesciens quis vir esset Arsenius. Tum Sacerdos (vir scilic. prudens) senem in partem paululum sevocatum, sic compellat: Dic mihi, obsecro, Pater, qui fueris, ecquod vitæ genus sectareris, antequam Monachus fieres? Vitam admodum pauperem duxisse se, nec quidquam rei supellectilis, aut census habuisse, unde viveret, confitetur. Tùm verò subdit sacerdos, Noris Arsenium, antequam monachicum institutum iniret, virum deliciis assuetum, magnæque authoritatis fuisse, adhæc Pædagogum ac curatorem principum, cuiusque in domo aurum vilissimum fuerit. Jam verò vide, mirumne sit, hunc virum, qui omnia hæc generosè contempsit, & ad istam humilitatem & paupertatem se abjecit, antè in lautis deliciis & splendoribus educatum, jam senio exhaustum & morbo oppressum, molli pulvinari & cervicali supercubare? Quo audito, senex confusus obmutuit.

Persona-rum di-scretio habenda.

8. Abbas Machetes apud Cassianum docens temerarium judicium esse devitandum, de seipso commemorabat, de tribus se rebus quondam alios judicasse. Prima erat, quòd cùm monachis quibusdam permolestus in ore tumor natus esset, & ii huic malo medicinam excogitarent; hoc ipse ex imperfectione parvaq; mortificatione procedere censuisset. Secunda, cùm aliqui de vitæ, quam profitebantur, austeritate nonnihil remittentes, in invaletudine corporis, stragilo è pilis caprinis contexto, & melotæ, aut incubarent, aut tegerentur; id ipse ut nimis delicatum, & rigori monastico contrarium carpsisset. Tertia, quòd, cùm sæculares pia quadam intentione benedictum à monachis oleum peterent, illudque hi benedicerent, petentibusque darent; id ipse magnam præsumptionem redolere, qua sanctitatis opinionem aucuparentur, existimasset. Fatetur autem de seipse; Deum ob malas has suspiciones, permisisse, ut in hæc tria ipsemet incideret, ac fecisse se, quod in aliis antè culparat. Innatum enim & ipsius ori tuber, præ cuius dolore & molestia, Superioribus ita jubentibus, ipsum etiam tolli & incidi curare coactus est: deinde, quòd & ipse id genus straguli in eadem invaletudine adhibuerit: demum, quòd magna sæcularium importunitate & instantia victus, benedictum iis etiam ipse oleum dederit. Quare monet omnes, suo ut exemplo sapiant, & timeant; & ab hoc sibi vitio caveant, certò in id eos prolapsuros asserens, quod in aliis sugillassent, uti sibi contigit.

Cassian. lib. 5. de instit. renuntiant. c. 30.

Quæ quis in aliis judicat, in eadem ipse labetur.

Refert Anastasius Sinaita (floruit is sextæ Synodi tempore) suo in Monasterio montis Sina, monachum fuisse, qui quòd rebus communibus, putà choro, jejuniis, disciplinis sumendis, aliisque id genus rebus, non pro eo ac oporteret vacaret, vulgò non adeò bonus ac fervens Religiosus habebatur. Sed hic morti jam proximus, ridere cœpit & lætari. Reprehendens eum Anastasius, Quid, inquit, monachus jamjam animam agere

Anastas. Abbas.

Noli judicare, & salvaberis.

actutus, qui tam negligenter ac remissè vixerit, adhuc rideat? Cui ille: Ne mireris, Pater, quia misit mihi Angelum Dominus, qui me de salvatione certum reddidit, ut promissum eius adimpleretur quo spondet, *Nolite judicare, & non judicabimini, dimittite, & dimittemini*, (*Luc.6.37.*) Et quamvis verum sit, me in rebus communis observantiæ minùs religiosum fuisse, partim ob negligentiam, partim ob corporis infirmitatem; æquanimiter tamen aliorum cavillationes tuli, & ex corde iis omnem injuriam & offensam remittens, adeò neminem judicavi, ut, quidquid ipsi aut dicerent aut facerent, bonam in partem sumerem. Et hæc est risus & exultationis meæ causa.

Caput XVIII.

Alia quadam unionis & amicitiæ non bona genera.

1. Hactenus de bona & spirituali unione amoreque locuti sumus, jam de triplici unione & amore, non bono, aut spirituali, sed malo & noxio agemus. (Triplex amicitia mala prima particularis vocata.) S. Basilius in Constitutionibus monasticis docet, (Cap.30.) bonos Religiosos magna quidem inter se caritate & unione conjunctos vivere debere; ita tamen, ut omnis particularis amicitia, propensio, vel affectio, duobus, aut tribus, inter se singularem quamdam ab aliis familiaritatem ac societatem ineuntibus, ab iis exulet: hoc enim non caritas, sed carnalitas foret, divisio & seditio: etsi alioquin, id amicitiæ genus bonum & sancto fine institutum videatur. Et alio loco ad singularia magis descendens, ait, *Quòd si quis inventus fuerit, qui maiori quadam animi propensione monachum fratrem, vel propinquum, vel alium quemvis quavis de causa videatur diligere; hunc castigare oportebit, ut injurium publicæ caritati.* (*Serm. 1. de instit. mon.*) Cuius rei rationem assignat tum illo loco, tum magis sermone proximè sequenti, quomodo scilicet injurius sit in universam congregationem: *Qui enim*, inquit, *unum aliquem magis quàm cæteros diligit, is quòd non perfectè cæteros diligat de seipso indicio est*; quia non hos tantum amat, quantum illum; atque ita reliquos offendit, & toti communitati injuriam facit. & si vel unum duntaxat offendere, tam grave sit, ut apud Prophetam dicat Deus, hoc esse pupillam oculi sui tangere; (*Zach.2.8.*) quid erit totam communitatem, & talem quidem communitatem, offendere? Unde seriò Religiosos ibi Basilius commonet, ne unum plus alio diligant, vel particulari in hunc potiùs quàm in illum amore ferantur, ne quem sic offendant aut lædant, *Nemini dantes ullam offensionem*, inquit Apostolus: (*1.Cor.6.3.*) sed communi quodam & generali amore caritateque erga omnes & singulos ex æquo afficiantur, imitando scilicet Dei nostri bonitatem & caritatem, *qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & iniustos.* (*Matt.5.1.*)

2. Addit autem idem Doctor particulares has amicitias in Religione magnum esse æmulationum, suspicionum, uti & odiorum & inimicitiarum, seminarium, quin & causam variarum in domo divisionum, factio- (*Basil. serm. 2. de instit. monac.*) (Mala familiaritatis privatæ.)

factionum, conspirationum, & particularium congressuum : quæ Religionis pestes sunt & exitium. In his quippe conventiculis hic suas aperit tentationes, sua ille judicia & opiniones; nonnemo querelas depromit, alius alia secreta revelat, quæ silentio involuta oporteret: in his audire est murmurationes ac detractiones; hîc unus alterius mores ac vitia depingit, ut ne Superiori quidem interdum parcatur; hîc unius imperfectiones ad alium occulto quodam contagio derivantur, ut intra paucos dies quidquid unus in se mali habebat, alius imbibisse se comperiat. Hæ denique familiaritates & amicitiolæ in causa sunt, cur multæ Regulæ infringantur, multaque quis faciat non facienda, quò amici ac loci moribus respondeat, uti reipsa sua malo huiusmodi amicitiarum sectatores experiuntur.

Tom. 1. p.51. 3. De hisce amicitiis & familiaritatibus agens S. Ephrem, haud exiguum ait eas animæ detrimentum inferre: unde nostrum est remis ac velis eas fugere, ab iisque quam maximè abstinere; hoc velut fundamentum præsupponendo, non esse hîc in Religione particulares amicos, per has familiaritates & singularitates, universæ communitati noxias conciliandos, aut colendos. Amicitia siquidem nostra spiritualis sit oportet, non in carne & sanguine, non in conversatione & familiaritate non in aliis quibusdam titulis & fundamentis humanis; sed in solo Deo Opt. Max. qui omnia simul complectitur, fundata: proinde pari erga singulos & omnes nos amore ferri potest, tanquam erga Dei filios, & fratres Christi. Ne sinamus, obsecro, cor nostrum ab aliqua creatura, sed à solo Deo occupari, & captivum detineri.

4. Et Joannes Lucensis, singulari vir sanctimonia, (ut in Chronicis Minoritarum proditur) conversationes & familiaritates aliorum studiosè subterfugiebat ac declinabat: de quo cùm quidam de amicis eius, qui ex ipsius familiaritate magnum capere fructum desiderabat, aliquando quæreretur, ac peteret, cur tam rarò uteretur familiariter iis, qui tam intimè erga ipsum afficerentur? respondit Dei servus, Tuo id bono & commodò facio, quo enim Deo ero coniunctior & unitior, hoc futurus sum utilior iis qui meam amicitiam ambiunt, mihique favent; vestræ autem istæ teneriores amicitiæ nonnihil me à Deo disiungunt ac separant; itaque tam vobis, quàm mihi obsunt. *3. p. lib. 5. c. 49.*

Caput XIX.

De altero amicitiarum & unionum non bonarum genere.

Est & aliud amicitiarum particularium genus, à superiori quidem illo differens (quòd alium hæ finem spectent) non minùs tamen, imò fortasse magis, communitati, fraternæ unioni, caritatique damnosum; *quando scilicet quispiam emergere, ascendere, ad altiora promoveri, & famam nomenque aliquod sibi comparare cupiens,* *Altera mala amicitias Ambitus.*

cupiens, iis sese associat & coniungit, quos hisce consequendis sibi putat opem aliquam posse præstare. Quemadmodum, inquit Cassianus, graves corporum morbi paulatim & per intervalla generantur, ita & spirituales infirmitates, & gravia animarum mala sensim etiam crescunt.

Collat. 6. Abbatis Theodori.

Mala huiusce ambitûs, primo ambienti.

2. In præsens ergo ostendemus, quomodo hæc in anima firmitas nascatur; & simul dicemus, ecquæ communis ordinariaque causa sit, cur Religiosus studiis vacans, paulatim malè, deinde peiùs, habere incipiat, ac tandem in totalem ruinam & exitium ruat. Exit aliquis è Novitatu multo per Dei gratiam fructu collecto, & egregiè (prout oportet, ac ratio poscit) erga res spirituales animatus & affectus: ad Collegium aliquod mittitur, in quo pro studiorum fervore & æstu, in spiritualibus exercitiis segnescere incipit, vel partem eorum omittens, vel ex consuetudine, ac pro forma (ut dicitur) ea duntaxat peragens, nullum ex iis fructum colligendo; quod in idem recidit. Progreditur ulteriùs; &, quia hinc illum arma deficiunt spiritualia, quòd non eo, quo par est modo, pietatis exercitia obeat; illinc verò humana scientia inflat, & evanescere facit; paulatim quæ ad ingenium, & dona naturalia spectant, magni facere incipit, flocci verò pendere ea quæ virtutis sunt, & humilitatem redolent. Hæc est janua, per quam ut plurimum omne scholasticorum litteris vacantium exitium ac ruina ingreditur. quocirca id serio commonendum est, ut sic malum præveniatur, & à ruina caveatur. Minuitur quoque in illis, ac sensim perit, omnis erga virtutem, humilitatem, mortificationem, & quidquid ad spiritualia & profectum in spiritu refertur, æstimatio; contrà crescit affectus erga litteras, & quidquid ad naturalia talenta spectat, dum per illa solùm se profecturos, ascensuros, promotum iri, & nomen aliquod assecuturos arbitrantur. Unde in hoc unum oculos defigere incipiunt, & ab aliis ut ingenio præstantes, & eximiis naturæ dotibus instructi, haberi volunt: quare si quæ proponunt argumenta, & si quas conclusiones formant, eas quam optimè succedere desiderant: & ad ea ventum aliquem captandum vela sua explicant & accommodāt, & elucendi, ostentandique se, forsan verò & alios obscurandi & deprimendi, ne sibi præcellant, undequaque occasiones captant. Ex hoc principio transeunt ulteriùs, & præceptori placere, eiusque gratiam aucupari incipiunt, nec non gravis alicuius Patris, omniumque quos apud Superiores sibi auxilio esse, vel aliquid in rem præsentem posse existimant. Cum his omnibus amicitiam & familiaritatem contrahunt; ea tantùm intentione ac scopo, ut emergant, promoveantur, nomen obtineant, inque rebus suis eos benevolos & amicos sentiant.

1. Cor. 8. 1.

Scholasticorum ruina,

Quòd scientiā virtuti præponant.

3. Hoc unum est è maximè noxiis ac damnosis Religioso statui, unum de caritati unionique fraternæ maximè contrariis. Ecquæ enim maior & exitialior in Religionem pernicies ingredi queat, quàm ambi-

Proinde communitati.

tio & emergendi desiderium? quæ damnosior Societatem inficere pestis, quàm si eius membra dicere incipiant, Necesse est hominem sibi prospicere, aliorum favorem ambire: id ni faciat, obscurus jacebit, ignotus, nulloque in pretio ac numero habebitur: & in Societate hactenus res hac ratione & via prosperantur ac benè succedunt? Ab huiusmodi nos Deus sermone liberet; imò impediat, ne quis inveniatur, qui pestilens hoc virus in alterius sinceri, vel ab hoc alieni cor instillare incipiat; & oculos eis ad suiipsorum interitum ac perniciem, adaperiat. Nimium quantum ab hac peste distat sinceritas & veritas instituti illius quod Societas profitetur. Sanctus namque Pater noster in decima Constitutionum parte sic statuit: *Omnes qui se Societati addixerunt, in virtutum solidarum ac perfectarum, & spiritualium rerum studium incumbant: ac in huiusmodi maius momentum, quàm in doctrina, vel aliis donis naturalibus & humanis constitum esse ducant.* Hoc unum scilicet, Societas magni ducit atque æstimat. Quare tuum est vigilare, ne suâ te serpens ille antiquus astutiâ ac virulentiâ inficiat, persuadendo, te maiorum tuorum statuta infringendo, & de vetito fructu comedendo, fore sicut Deum. Vide, ne ei credas, suggerenti hac te via ad honores & nominis famam perventurum: mentitur enim pro more suo, utpote mendax: hoc enim magis cōtemnêris, & despectui ac ludibrio eris. at, si per aliud illud iter virtutis incedas, ita ut res spirituales, eaque quæ ad tuum in spiritu profectum pertinent, semper apud te potiori & antiquiori loco sint, non mediocriter proficies; & utrumque tibi Dominus dabit, virtutem inquam, ad quam adspiras, & honorem æstimationemque hominum; & tam apud Deum, quàm apud homines in pretio eris.

10.p.Cōst. § 2. & regul.16. Summar.

Gen.3.5.

4. Huc spectat quod in libris Regum legitur. Cùm enim Salomoni promisisset Deus, se, quidquid demum postulasset, illi haud gravatè concessurum. Salomon in Sapientiam unam oculos conjiciens, eam à Domino petiit. Unde ait Scriptura: *Placuit ergo sermo coram Domino, quòd Salomon postulasset huiuscemodi rem, & dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec divitias, nec animas inimicorum tuorum; sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium, ecce feci tibi secundùm sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens,* in tantum ut per excellentiam & antonomasiam sis appellandus Sapiens, & *nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* Adhæc (quod ad propositum nostrum facit) adeò Salomonis postulatio Deo placuit, ut non sapientiam modò quam petierat, illi dederit, & quidem tam abundantem, uti diximus; verùm etiam ea quæ non petiit. *Sed, & hæc,* inquit, *quæ non postulasti dedi tibi, divitias scilicet & gloriam, ut nemo fuerit similis tui in Regibus cunctis retro diebus.* Eodem plane modo tecum aget Deus; si enim tibi veram sapientiam veras, inquam, & solidas virtutes elegeris, & in eas oculos conjeceris;

3 Reg.3. 10.

Vnde pedea solida promotio.

jeceris; dabit virtutem quam deſideras, & in quam oculum conjeciſti; dabit inſuper honorem & æſtimationem, in quam oculum non direxiſti: Utrumque, inquam, tibi Deus impertiet. Sic quotidie fieri experientiâ videmus, tales nimirum, tum coram Deo, tum coram hominibus in tam Deo, tum coram hominibus in
Luc.14.11. c.18.14. in pretio eſſe & honore. Quia fixa Dei promiſſio eſt, eum qui ſe humiliat exaltandum; & quanto te magis humiliaveris, & uni virtuti applicueris, tanto exaltandum magis, & maiori in pretio futurum; quoque magis honorem ac ſpecioſos titulos fugoris, eò magis fore ut illa te inſequatur, uti umbra fugientem: ambitioſos verò, & qui, Chamæleontis inſtar, aëre paſcuntur, ut repleantur & magni appareant, quo contentioſiùs & cupidiùs honorem & æſtimationem ambient, minùs eam aſſecuturos; quâ enim viâ ſe ſperant aſcenſuros, eâ deprimuntur & deſcendunt, & per quam ſe æſtimatum iri cogitant, per eam deſpiciuntur. Ab omnibus quippe habentur ſuperbi, inquieti & Religionis totius perturbatores; unde nihil reſtat, quàm ut ex eâdem, ceu membra damnata ac putrida, ne alios contagio ſuo inficiant, reciſi projiciantur.

Profeſſio partum & ſectarũ oritur ex admiſſione ambitus. 5. Itaque, ut ad inſtitutum materiam revertar, dico; quemadmodum in Religione ab omni honoris deſiderio & ambitione debemus eſſe remotiſſimi; ita & ab amicitiis hiſce privatis, quæ eôdem referuntur, ineundis, quàm longiſſimè diſtare debemus, ut, ſcilicet, nulli ſingillatim obſtricti vel obligati ſimus, neque locum hîc habeat illud Apoſtoli, *Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verè Cephæ.* 1.Cor.1.12 Ego, inquam, non ſum huius vel illius, ſed mei Superioris, huic uni alligatus ſum, huic adhæreo, nulli verò alteri in particulari. Nullis in Societate opus habemus patrinis vel patronis, nullius captanda benevolentia eſt, nulli adulandum: neque enim competitores ſumus, neque huc venimus, ut, præter unicam ſalutem noſtram quidquam quæreremus. Eſto bonus Religioſus, & de ea ſolùm re ſerio ſolicitus, cuius cauſa ad Religionem veniſti, & nulla re prorſus habebis opus, præterquam uno Deo. Qui eiuſmodi eſt, pacem & quietem in Religione invenit; alii verò nunquam invenient, uti ipſimet experiuntur, & deteſtantur. Erubeſcere profectò Religioſus deberet, & probro ſibi ducere, quòd ut ambitioſus patrociniorum emendicator, voluntatum alienarum captator & prænſator habeatur; & fortaſſe cum fœda aliorum aſſentatione, ut, nimirum, ab his ſuffulciatur, ſuiſque in rebus eos promotores & adjutores habeat: hoc quippe evidens indicium eſt, magnam in ipſo imperfectionem & infirmitatem latitare. Domus, quæ ſuſtentaculis opus habet, parum firma eſt, ac ruinam minatur, & arbor, quæ ſtatumine aliquo fulcienda, tenella adhuc eſt, infirma, & parum radicata: ita ſi tu fulcra & ſuſtentamina aliqua quærites, ſignum eſt te in virtute, ac Religiore etiamnum tenellum eſſe, nec firmas radices egiſſe.

Exhortatio adversus hoc malum.

Claud. Aquaviva in instit. Scholast. §.3.

6. Cuius rei singillatim R. P. N. Generalis Scholasticos omnes admonet ac sedulò vetat, ne quis eorũ, provectioribus Patribus, ut patronis cliens, adhærescat, illorumque autoritate patrocinio nitatur: ipsos verò Patres antiquos ab eiusmodi patrociniis alteri præstandis sibi cavere jubet; præsertim verò ne quis eorum gaudeat, se ab aliis in patronos assumi ad se, ut tutores ac propugnatores accedi, suamque autoritatem ambiri: quin etiam ne suam assectis huiusmodi quacumque in re opus habebunt, operam offerant atque addicant: cavere denique, ne quis illorum honori & autoritati sibi ducat, quòd alii ad se opis causa confugiant; probro verò & dolori, quòd id nemo juniorum faciat: perinde ac si ab illis despiceretur, minorisque fieret; aut fortè quòd eum illi ut nimis rigidum, gravem & austerum intueantur. In hoc porro se, non morosos ostendunt, sed verè religiosos: hoc namque vera religio est, istud verò nequaquam, sed potiùs mundum & sæculum maximè spirans. Si quis autem propterea de te conqueratur; ideo conqueretur, quòd virtutis sis sectator, & quòd (ut bonum Regiosum decet) à conversatione tam mundana, Religionique tam contraria sis remotissimus. Faxit verò Deus, ut nulla alia unquam, quàm isthæc, de nobis audiatur expostulatio & querimonia.

Caput XX.

De tertia unionis & associationis specie, Religioni quàm maximè inimica.

Tertium genus mala amicitiæ Conjuratio.

1. Tertium amicitiarum & Societatum privatarum genus prioribus multò deterius est, & unioni caritatique fraternæ magis inimicum. Quando, scilicet, particulares & privati aliquot inter se coeunt & conspirant, ad ipsum Religionis institutum immutandum, & quæ sanctè legitimeque in eadem à majoribus statuta ac decreta sunt, convellenda. Huc præclarè S. Bernardus illa Canticorum verba, *Filii matris mea oppugnaverunt contra me*, accommodat; in quibus, scilicet, sponsa sub nomine Ecclesiæ, de iniuriis, quas sibi filii sui intulerunt, conqueritur. Non quòd recordetur, inquit, quanta quamque gravia à Gentilibus, Judæis ac Tyrannis aliàs perpessa sit; sed *profectò id expressiùs plangit, quod & sentit differentiùs, quodque vigilantiùs nobis cavendum existimat, malum utique intestinum atque domesticum*, quod, inquam, quovis hoste externo gravius ac perniciosius est.

Serm. 29. in Cantic. Cant. 1. 5.

Quod in Ecclesia universa accidit proportio ante in aliquo ordine.

2. Hoc ipsum certè Religioni applicare possumus, quæ præcipuum ac princeps Ecclesiæ membrum est, & iisdem incedit, quibus illa incessit olìm, vestigiis, *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*, filii, inquam, illi, quos educavi, quos in studiis alui, quos tanto meo sumptu ac labore in viros doctos promovi; & illa ipsa arma, quibus eos ad mundum oppugnandum, animasque Deo asserendas, instruxi, in mea converterunt viscera, iisque matrem suam oppugnant. Vide quàm sensibilis sit iste dolor! Verùm tametsi hic gravis sit, minimè tamen mirum est, huiusmodi interdum per-

persecutionem excitari, cùm & talis in S. Francisci Religione, ipso etiamnum in vivis agente, exorta sit: similem ipsa etiam Ecclesia, sanctis Apostolis adhuc superstitibus, à suismet filiis, qui adversus ipsam erroribus & hæresibus excogitatis insurrexerunt, persecutionem sustinuit. Sunt nimirum in hoc membra capiti suo Jesu Christo conformia, ut qui hoc laborum & persecutionum iter in vita calcavit: per eas namque electi magis purificantur, sicut aurum in conflatorio & fornace. Unde dixit Apostolus, *oportet & hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Et ipse Redemptor apud S. Matthæum ait: *Necesse est ut veniant scandala*, in Ecclesia æquè ac in Religione (nam evitari id nequit, quia homines sumus) *verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit: melius fuisset, si non esset natus homo iste.*

Serm. 29. in Cantic. Cant. 1.5. — *1.Cor.11.19.* — *Matt.18.7*

3. Graviter & severè Magnus Basilius in huiusmodi conspirationes invehitur: *Si aliqui, inquit, à reliquis sua sponte abscissi disiunctiq́, in cœtu cæterum efficiant, vitiosa huiusmodi amicitiæ conciliatio est, seditio est & divisio, & eorum qui sic coeunt improbitatis indicium.* Magnum haud dubiè Religioni malum machinantur illi qui eiusdem sanctiones, fundamenta, & constituta vel immutare, vel adulterare moliuntur; quocunque licet boni & reformationis prætextu sua machinamenta tegant & colorent. Quare monet S. Basilius ut hi primò privatim remotis arbitris, deinde publicè coram aliis, congruenter Evangelicæ correctioni, corripiantur & castigentur. Si ne hæc quidem prosint, *sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, vel, ut excommunicatum habe, & à reliquo corpore, velut contagiosa infectum lue, segrega, ne ad alios serpat contagio. Ita quoque id fieri jubet in Constitutionibus suis S. N. P. estque conforme voto Apostoli de id genus hominibus: *Utinam, inquit, abscindantur, qui vos conturbant.* Membrum corruptum ac putrefactum præcidendum est, ne reliqua suâ putredine inficiat. Quàm grave, quamque Religioni damnosum sit hoc malum, satis est manifestum; cùm vel è nuda ipsius declaratione, eiusdem perspici queat virulentia: unde necesse non erat, nos pluribus in eius fœditate deducenda defatigari: quia tamen res est naturâ suâ adeò gravis, aliquem de eadem discursum formabimus, rationemq́ue proferemus, quæ futura videtur satis, nõ modò ut quoddam adversus hanc pestem, odium & alienationem animi, sed & insignem horrorem concipiamus, inque vocatione instituto nostro magis confirmemur.

In Const. Monast. c.30. — Remedia contra conspirationes. — *2.p. Constitut. c.2. D. & p.8. c.1. §.5.* — *Gal.5.12.*

4. Religio, non humanum est inventum, sed solius Dei: unde quæ ad eiusdem conservationem & incrementum instituta sunt media, non ut hominum, ac privati alicuius, sed ut Dei ipsius designationes & inventiones sunt: qui, sicut B. Franciscum in Ordinis sui fundatorem, B. Dominicum in sui, & S. N. P. Ignatium in Societatis auctorem, aliosque pari modo in aliorum Ordinum duces elegit & assumpsit: ita iis etiam media, & particulares procedendi modos,

Contra Deũ cõspirant, qui in ordinem conjurant.

dos, qui ad suæ Religionis bonum ac progressum forent convenientiores, quos per se ipsi assequi non poterant, dedit ac suggessit; quia *Dei perfecta sunt opera*: quod ni fieret, imperfectum, mutilum ac mancum Dei opus maneret. Sic è quodam S.P.N. responso, uti & alio simili R.P. Jacobi Lainesii (prout in Vita illius legere licet) colligere est, substantialia & essentialia Instituti nostri capita (quæ eiusdem velut nervi & fundamenta sunt) à Domino Deo (qui illius & author & fons est) S. P. N. Ignatio, (quem in caput & primarium huic Religioni excitandæ instrumentum delegit) revelata & inspirata fuisse. Quod etiam perspici potest è modo, quem ipse in Constitutionibus conscribendis concinnandisque conservare ibidem scribitur. Quot igitur orationibus, quot lacrymis singula, quæ scripta nobis reliquit, illi verba steterint oportet; cùm legamus illum vel ad determinandum, expeditretne domorum nostrarum Professarum sacraria aliquo, ad sarta tecta conservanda, censu annuo dotari, necne (quod tamen de primariis instituti nostri capitibus, & substantialissimis non est) quadraginta continenter diebus Missarum celebratione lumen cælitus postulasse, ac ardentiùs solito orationi ac precibus institisse? Hinc etiam patet, quàm Constitutiones nostræ sæpè cum Deo sint communicatæ, quoties is ad easdem consultor adhibitus, necnon quantum illi Deus Opt. Max. lumen infuderit oporteat, ad seligendum & statuendum ea, quæ divinæ eius Majestati forent quàm gratissima.

Li.5.c.2. Vita P.N. Ignatii.

Lib.4.c.2.

5. Verùm ne cui hæc temere, & de cerebro nostro confingere, & solùm nostra velle laudare videamur (tametsi antè datâ ratione sufficienter dicta confirmentur;) *habemus testimonium maius his*, quod sanè silentio non est involvendum, vel omittendum: permagni enim refert, ut in hoc principio benè fundati & roborati simus.

Exemplo id probatur & testimonio.

Ioan.5.36.

S. Franciscus (ut in Chronicis Minorum proditur) cum duobus sociis in Camerium montem, haud procul Reate concesserat, ut ibidem in quiete Regulam & Constitutiones suas conciperet, scripto comprehensas Pontifici summo offerret, atque in earundem confirmationem Apostolicum diploma obtineret: hactenus enim nullâ eæ erant bullâ Pontificiâ, sed vivæ vocis oraculo dumtaxat ab Innocentio eius nominis III. Pontifice confirmatæ. In illo ergo monte quadraginta diebus in solo pane & aqua jejunans, & noctes diesque assiduò in oratione perseverans, regulam conscripsit, prout illi eam Dominus cælitus inspiravit ac revelavit, ut ibi scriptum legitur, & ipsi jamjam visuri sumus. Quam conscriptam, è monte descendens, F. Eliæ, Vicario suo Generali, viro secundùm sæculum prudenti & docto, tradidit asservandam; qui cùm eam in maiore contemptu, humilitate & paupertate, quam expedire existimabat, fundatam cerneret, eam perire spontanea incuria permisit; ea, scilicet, intentione, ut non hæc, sed alia quæpiam

Histo. Minor. p.1. Lib.1.c.7.

piam suo sensui accommodatior, ab Apostolica Sede approbaretur, Franciscus autem, divinam potiùs quam humanam sequi voluntatem cupiens, & prudentium mundi huius judicia flocci pendens; ad montem suum redit & alios rursus quadraginta dies orationi jejunioque ut antè, impendit, ad Dei voluntatem intelligendam, aliamque regulam concipiendam. His cognitis, Elias ipsum impedire qua potuit conatus est, & ministris aliquot, & viris litteratis de suo Ordine, convocatis aperuit, quòd tam arctam Franciscus concinnaret Regulam proponeret, eam ut ferre nemo posset. Hi Eliam, utpote Generalem Ordinis Vicarium rogarunt, Franciscum adiret, & omnium nomine diceret, in hanc se nolle Regulam consentire, eaque obligari. Elias rem hanc solus denunciare non ausus, se unà cum illis iturum dixit. Itaque simul omnes montem adeunt, in quo vir Dei, arctè inclusus cellulæ, divinæ contemplationi ardenter vacabat. Elias ad cellæ limen accedens Franciscum evocat: qui cognitâ illius voce foras prodiit, tantamq; fratrum congregatorum multitudinem conspicatus, Eliam rogat, ecquid sibi hi vellent? Ministri, inquit ille, sunt; qui, audito regulam à te novam condi, & veriti ne eam nimis asperam, humanisque viribus superiorem concipias, palàm protestantur hac se nolle obligari: illam tibi statuas, non ipsis. His intellectis, Franciscus, positis in terra genibus, & oculis in cælum sublatis ait: Numquid non dixi, tibi Domine, fore ut mihi non crederent? Et ecce, subitò vox ad eum de cælo lapsa, dicens, Nihil in illa regula tuum est, Francisce, meum unius est, quidquid eâ comprehenditur, ac proinde ad litteram, ad litteram, ad litteram, sine glossa, sine glossa, sine glossa eam volo servari. Ego novi quantum humana possit imbecillitas, & quàm ipsos juvare paratus sim: quare qui eam servare detrectant, Ordine egrediantur, eamque aliis relinquant observandam. Tum ad Ministros conversus Franciscus, ait, Audistisne? Audistisne? Audistisne? Vultisne? me jubente, vox illa denuo iteretur? Tum Elias ac reliqui Fratres, tremebundi & confusi, suamque agnoscentes culpam, verbum ampliùs non oblocuti recesserunt. Sanctus porro Pater ad regulam suam perficiendam rediit; quæ ad verbum & apicem eadem planè fuit cum ea, quam illi Dominus antè revelarat. Compositam demũ Romam defert, ad Honorio III. Pontifici offerendã: quàm cùm is legisset, & de eiusdem paupertate, vitæque asperitate, quæ nimis arcta & servatu perdifficilis videbatur, cùm Francisco dissereret, ex illo audivit: Nullum sancte Pater in hanc ego regulam, de meo cerebro ac judicio proprio verbum retuli, sed eam ipsemet Christus compilavit & composuit totam; qui solus optimè novit, quidquid est ad animarum salutem, fratrum incolumitatem ac statum, & Religionis huius suæ conservationem necessarium atq; utile; cuique universa, quæ tum Ecclesiæ, tum Religioni huic eve-

Exemplo id probatur & testimonio. Ioan. 5. 31.

Histo. Minor. p. 1. Lib. 1. c. 31.

S. Francisci regula tota divinitus data.

evenient aliquando, notissima sunt, ac veluti præsentia. Proinde in ea mutare quidquam nec debeo, nec possum. Pontifex ergo, Deo inspirante motus, diplomate Apostolico dato, cuius initium: *Ad perpetuam rei memoriam*, eam confirmavit. Ad hunc modum solet Deus regulam & institutum ipsis Religionum fundatoribus inspirare & suggerere: quam etiam rationem servavit cum S.P.N. Ignatio. Cui rei adstruendæ aliam habemus historiam, priori illa etiam testatiorem & magis authenticam, quòd hæc in Bullas Apostolicas plumbo & sigillo cereo communitas, quas habemus, relata sit. Nam beatæ recordationis Gregorius XIII. in Bulla vel Constitutione, quæ incipit, *Ascendente Domino*; & in alia quam antè tulit, cuius initium: *Quanto fructuosius*; relatis, quæ instituti nostri propria sunt, atque iis potissimùm quæ aliquam continere difficultatem videbantur, & quæ aliquos tam intra quam extra Societatem, offendi ac turbari audisset; declarat, & expresè formalia illa verba pronunciat, *Quapropter Societatis corpus in sua membra, ordinem, & gradus idem Ignatius divino instinctu ita duxit disponendum.* Ecquid dici clariùs ac liquidiùs potest?

Exhortatio ad cōspirantes contra Institutum.

6. His ergo præsuppositis, jam ad rem ipsam venniamus, & eos alloquamur, qui conventicula & cœtus quosdam particulares inire vellent, ad ipsum Religionis institutum, resque rectè ab eius authore & fundatore stabilitas, convellendas & invertendas. Quid? An non evidens quodam superbiæ indicium est, tantum de se ac judicio & opinione sua quēpiam præsumere, dicere ut audeat, S. Ignatius in suis Constitutionibus bonum iter non tenuit, satius longè foret illud teneremus, quod mihi & compendiosissimum & optimum videtur? Quæ dari major dementia & stoliditas queat? Quàm verò ingens hæc væsania sit, ex alio simili absurdo videre erit: unum enim per aliud optimè elucidatur. Unum è maximis Ecclesiæ Dei malis ac peccatis, est hæresis. Non autem hîc disputo, an maius aliquod dari peccatum possit: constat quippe ipsum formale Dei odium longè gravius ac maius scelus esse: at id genus peccata communiter in hac vita non admittuntur, sed tantùm in inferno. Dico igitur, inter omnia peccata, quæ ordinariè ab hominibus designantur, hæresin, qua nempe se quis ab Ecclesia divellit, vulgò ab omnibus ut gravissimum censeri. Nec immeritò: nam, præterquam quòd ipsa totius Christianæ Religionis fundamentum, fidem scilicet, & aliquot alias eôdem spectantes rationes, subruat ac subvertat; an non extrema quædam & summa esse videtur superbia tantum quempiam de se præsumere, & adeò præfractè suo unius judicio niti atque adhærescere, ut, quod sibi fingit, ac comminiscitur, verius esse credat ac teneat, quàm quod Ecclesia Catholica Romana credendum statuit; quàm quod in tot sacrosanctis œcumenicis Conciliis (ad quæ ex orbe toto aut doctrinâ, aut sanctimonia illustrissimi viri confluxerunt, appro-

batum

batum est; quàm denique, quod tot Martyrum qui pro eiusdem confessione mortem non dubitarunt oppetere, est sanguine, nec non per tot miracula, quæ in veritatis eius confirmationem facta sunt, confirmatum? Et dicere, Equidem maiorem adhibeo fidem iis quæ hac nocte somniavi, aut quæ Martinus Lutherus homo scelestus, perversus, Apostata, impurus, & sacrilegus concubinarius me docet? Maiórne hac dari fingiue fastus, arrogantia ac vesania potest? maiórne excogitari cæcitas, & absurditas absurdior? Non absimili ratione procedunt, & idem aliquomodo agunt ii, de quibus in præsens loquimur; qui suum judicium & opinionem eius judicio anteponere non verentur, quem Deus in Religionis caput, auctorem & fundatorem legit, quique, quàm ipsi somniarunt & commenti sunt, viam meliorem esse censent ea, quam Deus ipse, ei, quem ut primarium Societate fundandæ instrumentum assumere dignatus est, inspiravit ac revelavit. Est autem hæc, superbia & præsumptio quædam Luciferiana. Quid? Deus S. P. N. Ignatio, quem in ducem & fundatorem eius assumpsit, bonam aliquam viam, ad Religionis suæ bonum integritatemque pernecessariã, antè non declaravit, & eam tibi uni revelarit & aperuerit? An non id satis est, ut hinc intelligas dæmone te decipi & illudi; qui te medium & instrumentum ad bellum Societati, quam tantopere detestatur & odit, inferendum, ad pacem unionemque Religionis totius turbandam (sicut illo hæresiarcha, ut instrumento & organo, ad universalis Ecclesiæ concordiam divellendam usus est) sibi selegit? Sed dices, non aliud te spectare, quàm unicam Religionis reformationem. Falleris; siquidem falso illo ac mendaci titulo & colore, dæmon pater mendacii, oculos tibi fascinat: hoc enim est Societatem non tam reformare, quàm destruere ac dissolvere velle. Et est hoc inprimis notandum; quia non hyperbolicè rem exaggero, sed nudam simplicemque dico veritatem. nam Religionem aliquam reformare, est illam ad pristinum suum vigorem & fervorem, à quo paulatim excidit, revocare, & omnimodis elaborare, ut quam primus eius fundator constituit, regula ac disciplina postliminio reviviscat, & hoc sanctum & salutare est opus: & quod plurimæ Religiones hactenus laudabiliter facere, in primævo suo instituto, vigore ac flore se conservare cupientes. At, institutum ac primam viam, quam fundator & auctor noster, à Deo illustratus, nobis præscripsit, immutare, & aliud iter ab ea diversum inducere velle; non reformare Religionem est, sed eam potiùs labefactare, pessum date, & aliam novam, ac discrepantem è suo cerebro, libitu & sensu, sicut in Franciscana familia F. Elias facere cogitabat, procudere.

7. Cùm in S. Concilio Tridentino de Religionum reformatione inter Patres illos ageretur, & sanctissima aliquot super ea de re decreta conderentur, R. P. Societatis tum Generalis, Jacobus Lainius, qui præsens *Sess. 25. decr. de reform. regul. c. 16.* *Etsi ubi conspiratio-*

locū haberet minime tamen in Societate Iesu.

sens aderat; ipsis proponendum censuit, istos de reformatione regulariū Ordinum Canones, de Societate Jesu neutiquam intelligendos videri, quòd ea novella Religio esset, & à cæteris Ordinibus distincta, atque ut talis, distinctam etiam admodumque diversam ab iis procedendi vivendique rationem, à Sede tamen Apostolica approbatam, haberet. Addebat super, nondum eam à primo suo fervore, instituto ac disciplina (quæ Dei gratia est) descivisse: proinde si hæc decreta de ea intelligerentur; non esset profectò, eam reformare, sed destruere funditus ac demoliri. Placuere rationes eius Concilii Patribus, qui propterea (ut in sess. 25. legere est) hæc decreta sic restrinxere: *Per hac tamen sancta Synodus non intendit aliquid immutare aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Iesu, juxta pium eorum institutum à Sancta sede Apostolica approbatum, Domino & eius Ecclesia inservire possit*: ideoque isthæc de reformatione decreta de eadem non vult intelligi. Ecce sacrosancta Tridentina Synodus nihil omnino in instituto ac modo vivendi, quem Societati nostræ Deus per S. P. Ignatium dedit, & quem Sedes Apostolica approbavit, innovare vult, nec audet; quin imò illum approbat & cōfirmat; tu verò audacule, ob nescio quos respectus, & rationes humanas è cerebello tuo enatas & fabricatas, eum præsumis mutare aut innovare?

Lib 3. c. 5.

Indicium Marcelli II. de Instituto Soc.

8. Longè digniùs, honorificentius, ac laudabiliùs tam de instituto, quam de eius institutione sensit Marcellus Cervinus Cardinalis titulo S. Crucis; qui postea Pontifex Maximus creatus, Marcellus secundus est cognominatus. Hic enim (ut in Vita S. P. N. commemoratur, & facit mirè ad propositum nostrum) paulò antè quàm ad supremam illam dignitatem assumeretur, aliquando cum P. Martino Olavio, insigni Societatis nostræ Theologo, disceptationem habuit, circa regulam illam, qua cautum est, ne cui dignitatem ullam extra Societatem liceat admittere, nisi ad eam ex obedientia compellatur ab eo, cui id sub pœna peccati mandandi potestas est; ita ut ne Generali quidem, nisi summo Pontifice jubente ac mandante, istud permittendi facultas concedatur; & ad hoc professi omnes voto quodam peculiari se obstringant. Maius proinde sentiebat Cardinalis Societatem operæ pretium, Deique Ecclesiæ rem utiliorem facturam, si ei de bonis ac zelosis Episcopis potiùs, quàm de bonis prædicatoribus & Confessariis prospiceret; quin & maiorem tanto rei huius fructum & utilitatem futuram, quanto plus Episcopus bonus potest, quàm simplex clericus fructûs afferre. Multas porro, ad hoc adstruendum, ipse rationes adferebat: quas cùm Olavius omnes refelleret, simul significabat, nullum Ecclesiæ Dei afferre Societatem obsequium posse gratius ac salutarius, quàm si in puritate & humilitate sua se ipsa conservaret, ut & diutiùs, & securiùs suam ei posset operam atque opem impendere. Cardinali nihilo seciùs sui in opinione per-

10. p. c. 10. §. 6.

permanente, quòd se rationibus melioribus niti censeret; addit demum Olavius, Si nullæ rationes & argumenta sint satis, ad te Illustriss. Dom. convincendum, & opinionem alium induere cogendum; una certè Patris Nostri Ignatii, ita censentis ac decernentis, nobis, ad id melius Ecclesiæque salutarius esse credendum auctoritas sufficit. Tunc Cardinalis, Jam demum, inquit, cedo, Olavi, & ratione te firmiore niti assero: nam esto omnem à parte mea rationem stare censeam; una tamen Patris Ignatii auctoritas hoc in negotio longè apud me potior & antiquior est, quàm omnia quæ aliunde afferre queant argumenta. Idque ratio ipsa manifestè docet: cùm enim illum Deus Optimus Maxim. ad talem in Ecclesia sua Religionem (qualis vestra est) fundandam auspicandamque, & per totum terrarum orbem, & quidem tanto cum animarum fructu & bono, propagandam, & tanto eam spiritu prudentiaque regendam ac gubernandam (quanto eum & rexisse hactenus, & regere etiamnum cernimus) elegerit; verisimile quoque fit (& sanè aliter fieri non posse videtur) hunc ipsum Deum ei modum detexisse & revelasse, in quo hanc velit Religionem sibi obsequium præstare, & in posterum se tueri ac conservare, itaque talis tantusque vir ita censuerit; multo sanè nos, qui & Religiosi sumus, & filii obedientiæ esse debemus, fuerit æquius, judicium nostrũ submittere, quando quid in Societate regulâ statutum & ordinatum esse videbimus ab eo, quem Deus nobis in ducem, patrem atque institutorem dare dignatus est: ac præsertim, viso, omnia ea tam authenticè ab omnibus Pontificibus, qui inde usque ad nostra tempora Romano Sedi præfuerunt, adeoque à S. Tridentina Synodo, fuisse confirmata & approbata; quin etiam magnos idcirco nobis Deum Opt. Max. favores contulisse, & Societatis operâ tot in negotiis & occasionibus usum fuisse, utpote qui ab hinc sexaginta, & quod excurrit annis, tam uberem eius adminiculo fructum edidisse cernitur. Quæ cùm ita sint, quis audeat, vel in animum cogitando admittat, illius decreta constitutaque aut procedendi agendique modum vel leviter immutare? Ait quippe Sapiens, *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* Prov. 22. 28.

10. p. c. 1. §. 6.

9. Et verò ad talem præsumptionem atque licentiam refragandam, ipse Pontifex Gregorius XIII. in diplomate, quod incipit, *Ascendente Domino*; postquam ipsum Societatis institutum modumque eius vivendi denuo approbasset & confirmasset, ac præsertim ea, quæ nonnullos possent offendere, præcipit in virtute sanctæ obedientiæ, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, inhabilitatis & incapacitatis ad quodlibet officium vel beneficium ipso facto incurrendæ, sine aliqua ulterioris declarationis exspectatione, ut nemo cuiuscunque status, gradus vel dignitatis sit, ullam Societatis regulã, institutum, aut constitutiones, directè vel indirectè, ne quidem sub colore

Et Gregor. XIII.

lore & prætextu diſputandi, vel veritatis majoris eruendæ, impugnare vel in dubium vocare præſumat. Ac ſi cui dubium aliquod inciderit circa prædictorum aliquid, expreſsè ſe velle ſignificat, ut, aut Sedes Apoſtolica, aut Generalis Societatis Præpoſitus, aut qui id ipſe ſpecialiter commiſerit, conſulantur, aliorum verò omnium nemo huic ſe diſceptationi inquiſitioniq́ue immiſcere ſuſtineat. Idem adhuc uberiùs ſucceſſor eius Gregorius XIV. aliâ, de eadem re edita, conſtitutione, cuius principium eſt, *Eccleſiæ Catholicæ*, verbis ampliſſimis decrevit. Conſiderantes, inquit, quod non mediocre religioſæ diſciplinæ, ac perfectionis ſpiritualis detrimentum, atque adeò magna totius Religionis perturbatio ac damnum ſecuturum ſit, ſi quod ſanctè à fundatoribus eius ſtatutum, ac ſæpiùs ab ipſa Religione in generalibus eius congregationibus receptum & approbatum, & (quod magis eſt) ab hac ſancta Apoſtolica Sede ſtabilitum & confirmatum eſt; prætextu quocumque quæſito, non modò mutaretur, ſed & inverteretur & impugnaretur; omnibus cuiuſcunque ſtatus gradus, ac conditionis fuerint, tam Eccleſiaſticis & ſæcularibus, quàm Religioſis, (etiam ſi de hac ipſa Societate eſſent) in virtute ſanctæ obedientiæ, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, nec non inhabilitatis & incapacitatis ad quævis officia & dignitates, privationis item vocis ac ſuffragii tam activi quàm paſſivi (quæ pœnæ ipſo facto ſine ulteriori declaratione incurruntur, & à quibus eos nemo niſi ipſa Sedes Apoſtolica, poterit abſolvere; & ipſam Prædeceſſoris noſtri Gregorii XIII. Conſtitutionem, & omnes pœnas in eadem contentas, renovantes, mandamus, ne quis aliquod Societatis Jeſu inſtitutum, decreta, vel conſtitutiones, tam directè quàm indirectè, ne quidem ſub boni maioris, vel zeli, ſeu quolibet alio prætextu, impugnare, aut quomodolibet eis adverſari præſumat. Addit deinde aliud inprimis ſingulare & ſubſtantiale: Nec liceat circa prædicta quidquam cuiquam aut voce proponere, aut ſcripto tradere, eo fine, ut his aliquid aut addatur, aut dematur, aut circa hæc immutetur, præterquam Summo Pontifici immediatè, vel mediatè per Nuntium ac Legatum Apoſtolicum, aut Generali Societatis Præpoſito, aut eiuſdem Congregationi generali. Demum S.D.N. Paulus V. in Bulla, quam anno M. DC. VI. Societatis inſtitutum & privilegia priora confirmans, dedit; inter alia ſingularem utriuſque Bullæ prædictæ Gregorii XIII. & XIV. mentionem facit, eaſq́ue approbrat & de novo confirmat. Ut hinc appareat, quàm res hæc ſtabilita & bene fundata ſit, cùm ei jam nemo, citra graviſſimas pœnas & excommunicationem maiorem ipſo facto incurrendam, ſeu is de Societate ſit, ſeu alius quicumque tam Religioſus & Clericus, quàm laicus, cuiuſcumque etiam ſtatus, gradus, dignitatis & conditionis exiſtat, refragari poſſit. Concludamus ergo totum hunc diſcurſum, & quidem iiſdem, quibus ſuam ad Corinthios epiſtolam

stolam verbis concludit Apostolus: *De cætero fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscũ.* Gaudeamus, inquam, Patres fratresque charissimi, & lætemur nos ad tam sanctam Religionem, & quæ tantam perfectionem & sanctimoniam profitetur, à Domino vocatos esse: perpetuoque perfectioni huic incumbamus, & in summa nos pace concordiaque conservare studeamus, invicem ad eandem incitando & exhortando. ita fiet, ut Dominus, pacis atq; amoris auctor ac fons, semper sit nobiscum futurus.

2.Cor.13. 11.

PART. I. TRACTATVS QVINTVS

DE ORATIONE.

CAPVT PRIMVM.

De pretio, valore & excellentia Orationis.

Apoc. 5. 8. & 8. 3. 4. Symbolis præstantia orationis exponitur. 1. Incensi.

I. ORATIONIS præstantiam & valorem egregiè Joannes Evangelista in Apocalypseos suæ cap. 5. & 8. declarat, dum Angelum, aureum in manu sua thuribulum habentem, ante altare stetisse, multaq; ei incensa data ait; atque hoc orationes Sanctorum fuisse, ut scilicet eas ad altare aureum, quod in conspectu throni Dei erectum erat, offerret, incensorum autem fumum de manu Angeli in conspectum Dei ascendisse. Quem locum exponens Chrysostomus, In hoc inquit, perspicies, quàm eminens & excellens sit oratio, cùm ipsa sola in sacris litteris thymiamati (erat id mixtum quoddam ex thure, aliisque aromatibus fragrantissimis compositum) conferatur: sicut enim thymiama benè compositum & temperatum, odore ac suffitu suo mirificè hominis olfactum & nares recreat: sic oratio eo, quo decet, modo peracta & fusa, Deo quam gratissima ac suavissima est.

Hom. 13. in Mat. in oper. imperfect.

Guil. Pares. in sua reth. divin. c. 41.

II. Pigmenti.

2. Angelos quoque & universos cæli cives recreat. adeò ut eos Joannes in manibus, velut pigmentarias quasdam pilas (quæ sunt orationes Sanctorum) habere asserat, quas naribus suis purissimis (humano nostro more loquendo) identidem applicant, ut suavissimo hoc odore perfruantur. *Habent,* inquit, *singuli phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* S. Augustinus de oratione loquens, sic ait: *Quid est oratione præclarius, quid vitæ nostræ utilius, quid animo dulcius, quid in tota*

Apoc. 5. 8.

Tract. miseri cord. tom. 10.

in tota nostra Religione sublimius? S. Gregorius verò Nyssenus: *Nibil,* inquit, *ex his, quæ per hanc vitam coluntur, & in pretio sunt, orationi præstat.* S. Bernardus, Etsi, ait, certum sit, Angelos ordinariè seruis Dei, invisibiles licèt, præsentes assistere, tum ad ipsos ab insidiis fraudibusque inimici liberandos & eruendos, tum ad ipsorum desideria ad Deo ferventiùs serviendum inflammanda, maximè tamen nobis spiritus illi angelici adstant, quando orationi insistimus.

De oratione Domini. *serm. 7. sup. Cant. & epist. 78.*

III. Psalterii.

3. In huius rei confirmationem multa è sacris litteris depromit testimonia, uti illud Psalmistæ, *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Et, *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum.* quem ipse locum de Angelis qui se precantibus pariter coniungunt, intelligit: uti & illud Angeli ad Tobiam; *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.* Nam simul atque oratio precantis ore egreditur, Angeli eam (quòd præsentes adsint) excipientes, Deo Opt. Max. offerunt. Idem asserit S. Hilarius, *Angeli,* ait, *præsunt fidelium orationibus, & eas quotidie Deo offerunt,* Quare quotiescumque orationi vacamus, ab Angelis circumdamur, in medio Angelorum agimus, & Angelorum officio fungimur: id jam tum in terris agentes, quod in omnem æternitatem in cœlo facturi sumus, Deum scilicet laudando & benedicendo. Unde etiam potissimùm hoc nomine Angelis cari & amici sumus, utpote & modo socii eorum, & pòst etiam futuri, dum collegarum ipsorum qui aliàs exciderunt, sedes replebimus.

Psa. 137. 2. *Ps. 67, 26.* *Tob. 12. 12* *Canon. 28. in Matth.*

4. Chrysostomus de orationis excellentia differens, eamque extollere cupiens, hanc præcipuam excellentiarum quas de ea dicere queat, esse ait, quòd quicunque orationem instituit, cum Deo loquatur & conversetur. *Considera,* inquit, *quanta sit tibi concessa felicitas, quanta gloria attributa orationibus, fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia, optare quod velis, quod desideras postulare.* Nullam ait linguam explicare posse, quantæ sit hæc cum Deo cæli conversatio & collocutio dignitatis & præstantiæ, quantæ eadem nobis utilitatis & commodi. Etenim si hîc in terrà cum viris prudentibus & doctis assiduè conversantes, brevi temporis spatio notabilem in se fructum percipiunt, seque mirè in prudentia & doctrina promovisse comperiunt; si etiam iis, qui bonis & piis familiariter utuntur, illorum bonitas ac pietas adhærescit (unde vulgò dicitur, *Age cum bonis, & de bonorum eris numero*) quid dicendum de iis, qui frequenter cum Deo agunt & conversantur? *Accedite ad eum, & illuminamini,* qua luce, qua cognitione, quibus etiam bonis & commodis, per hanc conversationem & familiaritatem donabuntur? Quare S. Chrysostomus, nulla re adeò nos ait in virtute proficere & crescere, quam frequenti oratione, & assidua cum Deo conversatione. Eius namque beneficio miram animus hominis generositatem induit, mundanorum fit contemptor & caducis omnibus superior, Deo se unit, inque

Lib. de orat. Deu. *Etiã Angelorum ministerio & Dei alloquio.* *Psal. 33. 6.* *Hom. de orat. & in illud Psal. 7. Confitebor Domino secundum justitiã.*

inque eum quodammodo transformatur, sanctus denique ac spiritualis efficitur.

Caput II.

Quàm nobis oratio necessaria sit.

Quia semper multis egemus.

1. Qvam verò nobis oratio sit necessaria, experientia notissimum est. Utinam verò adeò nobis id notum non esset! Quoniam enim homo gratia & favore Dei tantopere opus habet, eo quòd tot lapsibus sit obnoxius, quòd à tam multis, tamq; gravibus adversariis circumcinctus, quòd tanta rerum tum ad animam, tum ad corpus pertinentium penuriâ laboret; hinc nullum habet melius in hisce malis remedium, quàm semper, & in omnibus ad Deum opis causa confugere, eum ex toto corde rogando, sibi ut faveat, inque omnibus periculis ac necessitatibus opituletur, juxta illud Josaphati Regis, dum se ab hostibus undique cinctum videret:

2. Par. 20.2.

Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te Deus. Cùm, inquam, adeò debiles, indigi, & pauperes simus, & quid nobis faciendum sit, nesciamus; nullum salutarius remediū suppetit, quàm ad Deum cæli oculos sustollere, & oratione id ab eo postulare, quo indigemus & caremus. Atque ita Cælestinus Papa in epistola quadam Decretali, ut huius orationis significaret necessitatem, Nihil possum, inquit, vobis melius dicere, quā quod prædecessor meus Zosim. dixit: *Quod est*, inquit, *tempus, in quo eius auxilio non indigemus? In omnibus igitur rebus, causis ac negotiis exorandus est protector Deus*, eiusque gratia postulanda: *superbum est enim, ut humana natura*, adeo misera & fragilis, *aliquid de se præsumat.*

c.6. contra Pelagium.

Epist. ad epi. Galliæ.

2. D. Thomas de oratione agens egregiam optimamq; dat rationem, è qua orationis colligatur necessitas, quam ipse è S. Damasceno, Augustino, Basilio, Chrysostomo, & Gregorio doctrinam hausit. Docent itaque Patres isti, Deum, quod divinâ suâ providentiâ ac dispositione jam inde ab æterno animabus dare decrevit, id iis in tempore nonnisi per hoc orationis adminiculum concedere; ipsumque in isthoc medio, multarum quidem animarum salutem, conversionem, ac medicinam; aliarum verò profectum perfectionemque collocasse ac constituisse. Adeò ut, sicut disposuit ac determinavit, ut genus humanum nonnisi mediante matrimonio multiplicaretur, ut terra nonnisi arata, seminata & culta, abundantiam panis & vini, ac frugum reliquarum copiam proferret; ut denique mediantibus opificibus & materiâ, domus ædificiaque construerentur: ita etiam multos in hoc mundo effectus nonnisi per hoc orationis medium producere, multasque gratias & charismata animabus nostris communicare constituerit. Hinc illa Redemptoris nostri in Evangelio promissio. *Petite*, inquit, *& dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis: omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invnnit, & pulsanti* aperie-

22.q.83. ar. 2.

De' plurima vult dare nō-nisi per Orationem.

Lib.3.fid. c.24.

Lib.2.de ser.Domini c.2. & serm.230. de Tēpor.

hom. in Iuli martyrem.

hom.30. in Genes.

Lib.1.dial. c.8.

Matt.7.7.

Oratio est aquæ ductus. *aperietur.* Oratio ergo sola medium est,& velut æque ductus, per quem necessitatibus nostris succurrere, paupertatem nostram locupletare, bonisque & gratiis omnigenis mentes nostras replere Deus constituit. Ex quo satis perspicitur, quantopere oratione opus habemus, nosque necesse sit ad eam, velut ad sacram anchoram confugere. Quocirca non incongruè eam sancti Patres catenæ aureæ, è cælo in terram usque protensæ comparant, per quam, nimirum, divina bona cælitus ad nos descendunt, & nos vicissim ad Deum ac divina oportet ascendere. Vel dicamus, eam esse instar scalæ Jacobi, quæ è terra in cælum usque pertingebat, & per quam Angelorum alii ascendebant, alii descendebant. S. Augustinus verò illam cæli clavim nominat, quæ omnes eius januas aperiat, omnesque Dei thesauros reseret, ne unum quidem abscondens. *Oratio*, inquit, *justi clavis est cæli: ascendit precatio, & descendit Dei miseratio.* Alibi sic loquitur; *Sicut ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis & orationibus interior homo nutritur & pascitur.* Eandem comparationem S. Martyr & Abbas Nilus pluribus urget ac prosequitur.

Oratio catena aurea cœlestis.

Gen. 28. 12.

Scala Iacob.

Serm. 226

Clavis cæli.

lib. de salutar. monit. ad quemdã contem. c.

Cibus animæ.

Cap. 95. *de orat.*

3. Una ex præcipuis rationibus, quibus SS. Patres partim orationis valorem ac pretium, partim magnam eius necessitatem declarant, illa est, quòd oratio primarium quoddam & efficacissimum sit medium ad totum vitæ nostræ statum rectè componendum & ordinandum, adeoque omnes, quæ in virtutis via nobis occurrere possint, difficultates pervincendas & expugnandas. Quare ab ea aiunt omnem vitæ nostræ directionem dependere; &, oratione benè ordinatâ, ac compositâ, vitam quoque benè ordinatam ac compositam esse; illâ verò non rectè constitutâ, nec alia omnia rectè ordinata procedere. S. Augustinus, *Rectè*, inquit, *novit vivere, qui rectè novit orare.* S. Climacus notabile quoddam dictum è quodam Dei famulo se audisse memorat, scilicet, Jam inde ab exortu diei, & summo manè, scio, quis totius diei successus futurus sit: significans, si rectè orationem manè perageret, reliqua per diem opera rectè sibi cessura; & contrà, si in oratione matutina negligens foret, etiam illa successu bono caritura. Idem esto de toto vitæ cursu judicium.

In Biblioth. SS. *Patrum tom.* 3.

Totius vitæ clavus.

Hom. 4. *ex* 50.

Qualis oratio talis totius vitæ ratio.

4. Nemo nostrum non id quotidie experitur; quando videlicet, orationem rectè obimus, tam benè nos per diem reliquum esse dispositos, hilares, generosos, ac bonis propositis desideriisque plenos, ut sit cur Deo gratiæ agantur; contrà, si in illa nos negligenter gesserimus, reliqua quoque mox collabascere & pessum ire. Unde S. Bonav. *Sine orationis studio omnis Religio est arida, imperfecta, & ad ruinam promptior.* Nam si illa omittatur, quamprimùm omnia ruunt; statim namque subingreditur tepor, anima paulatim ignavescere, debilitari, languere, ac vigorem illum & constantiam mentis, qua prædita erat, incipit amittere; mox quoque omnia illa sancta proposita, & cogitationes

Omen diurnæ prosperitatis.

De progress. Relig. c. 7.

Oratio robur animæ.

tationes priores, nescio quo modo evanescunt; vice versa passiones effrentes omnes repullulare & reviviscere occipiunt; tum quoque vanis quibusdam homo capi se comperit delectationibus, ac confabulationes, risus, lætitias exteriores, aliasque id genus vanitates captare; quodque omnium deterrimum est, ilicò vanæ gloriæ, iræ, invidiæ, ambitionis, aliorumque eiusmodi vitiorum, quæ emortua & exstincta priùs videbantur, appetitus reviviscit.

S. Nilus. Speculū miseriarum nostrarū & virtutum Christi. 5. Nilus Abbas ait orationem esse debere viris Religiosis ceu speculum: In hoc ipsi nos quotidie diutiùs speculari & contemplari debemus, ut, quas imperfectiones & defectus habemus, in isto videamus, &, si quā in nobis fœditatem notamus, illam extemplò tollere conemur. Hoc item in speculo considerandæ & notandæ sunt virtutes, quæ in Christo Jesu resplendent, ut illarum ornamentis animam ipsi nostram insigniamus & condecoremus. Quare benè dicebat gloriosus Minorum Parens Franciscus, *Gratia orationis viro Religioso maximè desideranda est; nullus enim sine ea in Dei servitio fructus sperari potest.* *Lib. 2. Confor-mit. & p. 1. hist. Minor. lib. 1. c.77.*

1.p.histor. Ordin. S. Domin. l. 3.c.7. Oratio est panoplia nostra. *Cap. 11. vitæ.* 6. Inter cæteras S. Thomæ de Aquino, quæ in Vitæ eius historia referuntur, graves sententias, numeratur & hæc, Religiosus orationis panoplia carens, miles est inermis, nudus & superatu facilis. Sanctus vero ille Archiepiscopus Valentinus F. Thomas de Villanova, similem esse dicebat orationem naturali stomachi calori: ut enim sine illo nec vita naturalis conservari, nec ullum afferre alimenta sumpta fructum possunt; cum illo verò optimè omnia concoquuntur, digeruntur, homo sustentatur; omnibus quoque corporis membris vigor, spiritus, & robur ad benè suas functiones & operationes peragendas suggeritur: Sic sine oratione spiritualis vita conservari non potest; cum ea vero optimè: eius namque adminiculo spiritus vegetatur, animatur, & vigorem ac robur ad quælibet opera & præcepta à Superiore iniuncta, peragenda, necnō ad quasuis occurrentes difficultates & labores suscipiendas, concipit. Per orationis calorem omnia hæc facillimè digeruntur, ac sufferuntur, nihilque omnino est, quod non in animæ utilitatem convertatur accedat. Denique si orationem uti par est usurpemus, dubio procul in illâ salutaria contra omnes nostras imperfectiones, & ad integros in virtute & Religione conservandos, remedia atque antidota inveniemus. Si enim fortè in obedientia, & regularum observantia paulò te contingat remissiorem fieri, vel alia quapiam in re ignavescendo deficere, vel passionem aliquam in te repullulare, vel sinistrum aliquem casum ingruere; simul ac ad orationem confugeris, his omnibus per Dei gratiam in eadem remedium invenies. Quin imò si vel in hac ipsa oratione elangueris & remissior fias, ab eadem mox remedium petes, & tibimetipsi restitueris. Assimilatur calori stomachi.

7. Omnibus ergo malis medetur oratio, adeoque orationem remis- Oratio est animæ quod

 siorem

manus corporis. siorem curat ferventior. Unde non inscitè manui comparatur; nam ut hæc toti corpori, quin imò sibi ipsi est instrumentum (idcirco enim manus laborat, ut totum corpus alatur, vestiatur, eique benè sit, & quidquid tum corpori, tum animæ, atque adeò sibiipsi necessarium est, ipsa procuret: si enim una manus infirma & læsa sit, hanc curat altera; si una sordida, hanc lavat altera; si frigida, hanc calefacit altera; omnia demum per manus peraguntur:) ita se quoque res in oratione habet.

CAPUT III.

Plurimis Deo nominibus devincti sumus, quòd rem una ex parte quidem tam excellentem, ex altera tam necessariam, ita nobis facilem reddiderit.

Oratio etsi tam excellens & necessaria æquè tamen facilis.

1. RAtioni consentaneum est, ut magnam illam & singularem hoc loco expendamus & consideremus gratiam, quam Dominus nobis conferre dignatus est, quòd nimirum, orationem suâ naturâ atque ex se tam sublimem & excellentem nobisque tam necessariam, nobis tamen omnibus ita facilem reddiderit, ut omni loco & tempore eam instituere in nostra potestate sit & manu. Unde

Psal 41.9. Regius Propheta dixit, *Apud me oratio est, ut eam faciam Deo vitæ meæ.* Nunquam, scilicet, hæ misericordiæ divinæ fores occluduntur, quin imo horis ac momentis singulis cuilibet patent. Numquam non ipsum vacuum, paratum & cupidum ad benefaciendum inveniemus, quin & urget ac sollicitat nos ut eum rogemus, rogariq; gaudet.

Mira Dei in exaudiendo facilitas. Orationē facilitas.

2. Quæ verò ad hoc propositum adduci solet consideratio, per quam commoda & congrua est: si semel tantùm quovis mense potestatem Deus quibuscunque faceret liberè ad se accedendi, & alloquendi, facilesque tunc iis accommodaret aures, & beneficia largiretur; magni haud dubiè id faciendum esset; quandoquidem permagni istud duceretur, si princeps aliquis temporalis hanc subditis suis benevolentiam offerret. quanto ergo potiùs à nobis id magni faciendum, quòd Deus hanc non semel singulis mensibus, sed quolibet die, etiam sæpiùs per diem, gratiam ac benevolentiam exhibeat? *Vespere,* inquit Regius Psaltes, omnia tempora complectens, *& manè, & meridiè narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam:* id est, quacumque diei horâ labores & miserias meas Domino enarravero, & ad ipsum recurrero, certam fiduciam habeo, toties me ab eo exaudiendum, gratiaque donandum. Neque enim Deo tædio vel fastidio est, importuniùs rogari, sicut id hominibus esse solet; quòd ipse non sit sicut illi: hi enim dum de suo quid cuiquam dant, fiunt egentiores. quantum enim unus alteri elargitur, tantum sibi detrahit; & dum quidpiam dat, quidpiam sibi aufert, eumque, cui dat, ditando, se ipsum depauperat. Hac de causa fastidium homines percipiunt, si rogentur, & esto semel iterumve libenter & hilariter postulata concedant; tertiâ tamen vice defatigati tædio dare dedignan-

Ps. 54.18

dignantur, nec petitis annuent, aut, si annuant, ita fastidiosè se gerunt, ut posthac quidquam petere non libeat. At Deus (ut ait Apostolus) infinitè *dives est in omnes qui invocant illum*; atque, uti dando non fit indigentior, ita nec indignatur aut succenset rogatus, etsi singulis momentis vel mundus universus innumera postularet: quia *dives est in omnes* & effusus, ut omnes locupletet; ita, ut nihil illi de priori opulentia decedat. Atque ut divitiæ & abundantia eius infinita est; nullisque terminis circumscribitur; ita & eius misericordia ad omnium mortalium necessitatibus succurrendum; quin imò volupe illi & gratum est, ut multa ab ipso efflagitemus, ac frequentissimè ad eum, velut ad asylum, confugiamus: Æquum igitur erit, ut tam eximium beneficium & gratiam omnes agnoscamus, & aliquem è tam ampla salutarique petendi licentia nobis fructum colligamus; ut, nimirum, in orationis exercitio assidui & continui esse procuremus. Nam (ut S. Augustinus in hæc Psalmographi verba, *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam à me*, commentatur) certus esto, si Dominus non amoveat deprecationem tuam à te, eum nec misericordiam suam amoturum. Itaque ne is suam à nobis misericordiam auferat, nosque deserat, nostrum est operam dare, ne unquam orationem relinquamus, ac eaque nos sequestremus.

Rom. 10. 12. — *Ps. 65. 20.*

***

CAPUT IV.

Duo mentalis orationis genera proponuntur.

1. Omissa nunc oratione vocali, cœteroqui tam sanctâ, & in Ecclesia Dei adeò usitatâ & frequentatâ, in præsens duntaxat de mentali loquemur; quam etiam intellexit & designavit Apostolus ad Corinthios scribens: *Orabo spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente.* Duæ autem sunt orationis mentalis species: Una communis & plana est, altera specialissima extraordinaria, & eminentissima; quæ recipit & patitur potiùs quàm agit, uti loquebantur veteres illi sancti in oratione maximè exercitati. Ita de præceptore ac doctore suo Hierotheo ait Dionysius Areopagita, erat *divina patiens*, id est, recipere potiùs solitus, quæ à Deo donabantur, quàm ut ipse aliquid ageret.

Mentalis oratio quid sit: & quotuplex. — *1. Cor. 14. 15.* — *c 2. de divin. nominib.*

2. Inter duas has orationis species magna est differentia. Prior siquidem aliquo modo hîc in terra verbis doceri & tradi potest; alteram verò ipsi docere nequimus: quòd verbis declarari non valeat; est enim manna quoddam absconditũ, quod *nemo scit* quid sit, *nisi qui accepit*, & ex eo comedit: imò ne ipsemet quidem declarare novit quid sit, nec quale sit propriè, satis intelligit. Uti egregiè ostendit Cassianus, ad hoc propositum adducens quandam B. Antonii Abbatis sententiam, quam ipse *divinam, cœlestem, & plus quàm humanam*

Differẽtia utrisq; orationis mentalis: ac 1. quid Contemplatio. — *Apoc. 2. 17.*

appellat, scilicet: *Non est perfecta oratio, in qua se monachus, vel hoc ipsum quod orat, intelligit.* Sublimis isthæc & transcendens oratio non patitur orantem aut suiipsius recordari, aut sese ad id quod agit (vel, ut meliùs dicam, id quod patitur veriùs, quàm agit) reflectere. Sicut hoc in mundo sæpè usu venit, ut homo sic ab aliquo est negotio absorptus, & ei immersus, ut suiipsius non meminerit, nevé ubi sit; imò nec reflectat quidem, quid quomodo cogitet: haud aliter homo in hoc perfecto orandi modo, ita in Deum absorptus & immersus est, ut suiipsius sit immemor, nec, quomodo id fiat, nec quà incedat, nec quà veniat, intelligat: nec ullam tunc curet methodum, de præambulis punctisvé parum solicitus, nec hoc illudvé in mentem ei veniat, multum laboret. Sicut eidem Antonio accidisse refert Cassianus; nam, cùm is inclinante ad occasum die in oratione se composuisset, in illa persistebat donec postridie sol exoriens suis radiis oculos eius feriret ac perstringeret. quare & cum eodem expostulabat, quòd tam matutinus ipsi sua luce ac splendore lucẽ eriperet, quâ mentem eius interiùs Pater ille luminum illustrabat. De hac orationis specie sic loquitur S. Bernardus, *Rara* hæc *hora* est, *& parva mora*, & breve omne illud tempus, quod eidem impenditur: quod etsi quàm longissimum sit, instar flatus ac suspirii prætervolat. Hanc verò in se sentiens Augustinus, dicebat: *Introducis me in affectum nimis inusitatum ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, ignoro quid futurum sit.*

S. Antonii in orãdo assiduitas.

Serm. in Domin. infra octavam Epiphan.

Lib. 10. Confess. c. 44.

3. In hac ipsa orationis & contemplatione species S. Bernardus tres gradus constituit: primum comparat comestioni, secundum probationi, quæ majori & facilitate & suavitate fit, quàm manducatio; nullum enim potus habet in masticando laborem: tertium inebriationi. Atque huic proposito adaptat illud sponsi in Canticis: *Comedite amici*, deinde *bibite*, tertiò *inebriamini* ab amore isto, *carißimi.* quod est perfectissimum. omnia autem hæc magis sunt accipere, quàm agere.

Contemplationis gradus tres. Manducatio. Potatio. Inebriatio.

Serm. 52. ex parvis. Cant. 5. 1.

4. Hortulanus interdum aquam è puteo magna brachiorum agitatione & labore haurit; interdum, illo quiescente, nec manum movente, pluvia cœlo decidit, quam terra sponte sua imbibit, ut nihil aliud hortulanum agere necesse sit, quàm pluviam suscipere, eamque ad arborum radices per lacunas deducere, ad fructum ferendum. Haud secùs se res habet in his duobus orationis generibus: quòd primum magnâ quæratur industriâ & studio, cui Deus cooperetur & adminiculetur; alterum verò, jam factum antè & velut coctum quodammodo inveniatur. Primum labore paras ac sudore, emendicas, & de ista mendicitate comedis: at alterum plenam instructamque tibi mensam proponit, quam tibi Deus ad famem tuam pellendam præparavit, mensam, inquam, opiparam, & dapibus refertissimam. Unde aiebat Sponsa;

Quid sit Meditatio.

Intro-

Cant.1.5. *Introduxit me Rex in cellaria sua.* Et Isai.56.7. Isaias: *Et lætificabo vos in domo orationis meæ.*

Contemplatio est magis Doni divini quã studii humani.

5. Hæc oratio singularissimum quoddam Dei donum est, quod dare solet quibuscumque voluerit, interdum quidem in compensationem & retributionem acceptorum ab iis obsequiorum, tum quòd quis, eius nomine, multis in rebus se mortificarit, ac permulta passus sit; interdum sine nullo ad præcedentia merita respectu, quia liberalissima ac gratuita eius est gratia, eamque communicat quibus voluerit, juxta illud Evangelii pronuntiatum, *Non licet mihi quod volo facere?* (Matt.20.15.) Denique res est eiusmodi ut nequeat doceri. Ideo nonnullorum reprehenduntur ac prohibentur scripta, quòd docere conati sint id, quod nec addisci nec doceri potest; & arte præceptisque comprehẽdere, quod omnem artem excedit; tamquam si infallibiliter ac certo aliquem efficere possent contemplativum. Quod meritò Joannes Gerson in libro adversus Ruisbrochium, his verbis carpit: Florem à sua radice præsecuisti; nam sicuti flos à radice recisus, & manu contrectatus illicò flaccescit, suamque pulchritudinem & elegantiam deperdit: ita planè sunt illa, quæ in hac alta & sublimi oratione suis intimè Deus communicat, ut, dum homo è proprio ea removet loco, & aliis declarare ac communicare vult, suum decorem & splendorem protinus amittant. Hoc faciunt illi, qui declarare verbis, & docere conantur id, quod non doceri, ne intelligi quidem potest. Quid prosit verbis exponere & explicare illas anagogias mysticas, illas animæ transformationes, illud silentium, illam annihilationem; illam intimam sine mediis cum Deo unionem, illum Thaulericum fundum; si tu quidem ea intelligas, ego verò non assequar, & quid velis dicere, nesciam? Quare nonnulli hoc inter divinam hanc scientiam, & reliquas discrimen statuunt, quòd hæ ut intelligantur, ipsos terminos earum priùs nosse oporteat; in hac vero non antè terminos intelliges, quàm scientiam ipsam fueris adeptus. In illis theoria præcurrit praxin; in hac verò theoriam praxis præcedat necesse est.

Gerson contra Ruisbroch.

An sit expetenda Contemplatio?

6. Dico præterea, non modò orationem hanc doceri, aliisque tradi non posse; sed ne quidem velle te debere ei applicere, vel ad eam te sustollere, si Deus te ad eam non subvehat, ei non applicat, nec eò sustollat: magnæ quippe id foret superbiæ ac præsumptionis indicium, & orationem, quam habes, amittere, planeque nudus manere mereris. Dicit Sponsa in Canticis, *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* Singularissimum quoddam Dei donum est, quòd animam ipse in conclave suum introducat (quò familiariùs cum ipsa agat) & quidem in cellam suam vinariam, ut eam ibi amore suo repleat & inebriet. Non se ultrò & sponte sponsa huc ingessit, sed eam ipse sponsus prehensa eius manu introduxit. Ad osculum oris eius aspirare, vel sustollere te, nec ipsi potes, nec debes: nisi enim ipse eò te subvehat, magnæ audaciæ ac temeritatis id foret. Ideo sponsa

sponsa ausa non fuit huc se ingerere, (humilior namque ac modestior est) sed supplex sponsum rogat, ut hoc sibi osculum impertiat: *Osculetur me osculo oris sui.* Perinde ac si diceret, inquit Bernardus, Ego meis viribus ad hunc amorem, unionem & contemplationem tam sublimem pertingere non valeo, nisi eam ipse mihi dare dignetur. Ipse nos, pro sua bonitate, & effusa liberalitate, ad hoc oris sui osculum, & altissimam hanc orationem & contemplationem, si modò eam nos habere voluerit, sustollet: cùm res sit, quæ præceptis tradi nequeat, aut cui nos applicare nec possimus, vel debeamus.

Cant. 1. 1.
Serm. 52. ex parvis.

Caput V.

Duo hi orandi modi sacræ Scripturæ verbis declarantur.

Prima conditio mentalis orationis vulgatæ, Tempus.

1. DUOS hos orationis, quos diximus, modos egregiè nobis spiritus Sanctus apud Ecclesiasticum cap. 39. declarat. Dicit namque eo loci de viro sapiente, quem Ecclesia communiter justum interpretatur; *Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altißimi deprecabitur.* Primò, ordinariæ orationis modum ponit; summo manè nimirum, seu diluculò debet strato exsurgere: quod tempus est orationi faciendæ per opportunum, & in Scriptura celebratum. Hinc legimus: *Manè adstabo tibi. Præveni in maturitate, & clamavi. Prævenerunt oculi mei ad te diluculò, ut meditarer eloquia tua. Ad te de luce vigilo.* Addit verò, *ad vigilandum:* quia vigilans & alacer sit oportet; non autem dormitans, aut orationem pro cervicali aut pulvino usurpans. Quid ampliùs? *Cor suum tradet* orationi: ut solo corpore illi præsens non adsit, animus verò ac mens alibi in negotiis peregrinetur, quam sancti Doctores vecordiam, *cordis* vocant *somnolentiam.* Cor enim languidum, grave, & somnolentum magno est orationi impedimento; hoc enim illam impedit reverentiam, quæ cum Deo tractari volenti necessaria est. Quid autem hanc in justo reverentiam producit? *Ad Dominum qui fecit illum, & in conspectu Altißimi deprecabitur.* Cùm enim considero in Dei me præsentia versari, neque abire ut tam potentem sublimemque Majestatem alloquar, istud me reverenter & attentè coram eo cogit consistere. Hæc videlicet præmittenda præparatio, ac dispositio, cum qua ad orationem est accedendum.

Eccli. 39. 6.
Psal. 5. 5.
Psal. 118. 147.
Psal 118. 148.
Psal. 62. 1.

Alia cōditio, ex materia orationis.

2. Jam verò qualem justus orationem faciat, videamus: *Aperiet os, inquit, suum in oratione,* & ante omnia *pro delictis suis deprecabitur,* de eisdem erubescendo, & culpas plangendo. Talis, scilicet, à nobis facienda oratio est, nostra, inquam, delicta & culpas plangere, à Deo misericordiam eorumque veniam exposcere: nec satis nobis esse debet, dicere. Cùm primùm ad Deum converteret, generalem omnium flagitiorum meorum confessionem instituti, ac tum dies aliquot iisdem deplorandis, pœnitentiæque pro eisdem susci-

Psal.62.1. suscipiendæ dedicavi. Neque verò par est, ut, semel peccatorum confessione facta, eorum memoriam omnẽ deponamus; sed curandum ea semper præ oculis & in mente habeamus, juxta illud Prophetæ, *Et peccatum meum contra me* (id est coram) *est semper.* Bene S. Bernardus super illa verba, *Lectulus noster floridus*, Lectulus, ait, tuus, id est cor tuum, adhuc fœtidus & maleolens est; quia nondum tetram vitiorum ac consuetudinum, quas è mundo tulisti, putiscentiam deposuisti, & sponsum invitare audes, ut ad lectulum istum dormiturus declinet; jam, inquam, de altioribus illis amoris, arctæque cum Deo unionis exercitiis tractare cupis, ac si perfectionis culmen attigisses. Antè cor tuum lacrymis lavare, & expiare stude (*Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo*,) ac virtutum floribus exornare; ac postea sponsum tuum ad lectulum poteris invitare: uti sponsam fecisse constat. Tracta primum de osculo pedum, te demissè humiliando, deque peccatis tuis plurimùm dolendo; ac de osculo manuum, ut scilicet, Deo opera tua bona offeras, & veras solidasque de manibus eius virtutes recipere procures: denique ad tertium illud osculum oris, unionem, inquam, illam altissimam non ante aspirare velis, quàm ad id te Dominus dignetur sustollere. De antiquo quodam, & admodum spirituali Patre, memoriæ proditum est, viginti eum annos illis viæ purgativæ exercitiis impendisse; nos verò in ea statim defatigamur, & ad osculum oris, amorisque Dei exercitia ilico transire cupimus. Bono solidoque priùs opus est fundamento, ut tam altum illi ædificium imponatur.

Psa.50.4.

Serm.46. in Cantic.

Cant.1.15.

Psal.6.7.

Alia cõditio, ex materia orationis.

P. Doctor Araoz.

3. Præter alia multa bona & utilitates, quæ in hoc sunt exercitio (de quibus postea erit dicendi locus) singulare quoddam adversus peccata omnia remedium præservativum in eo certum est contineri; qui enim peccatũ assiduè detestatur, se Deum offendisse intimè dolet, deque eo confunditur, non facilè in ipsum relabetur. contrà (ut notatum à SS. Patribus) quòd quidam qui admodum spirituales & orationi dediti videbantur, & forsitan erant, turpiter prolapsi sint, non alia fœdi huius lapsus causa fuit, quàm huius exercitii defectus: quia ita se aliis exercitiis, & suavioribus sapidioribusque considerationibus sectandis dabant, ut propriæ cognitionis, & suorum peccatorum considerationis exercitia penitus obliviscerentur. Inde factum, ut nimium de se præsumentes, nec tam timidè, quàm necesse erat, & cautè se gerentes, tandem eò prolapsi sunt, quò minimè oportebat. Quia, scilicet, vilitatis suæ statim obliti sunt, hinc etiam ab ea, quam habere videbantur, altitudine corruerunt, misereque perierunt. Par proinde est, orationem nostram multo tempore (uti suadet Sapiens) circa solam peccatorum admissorum deplorationem versari, donec tandem porrectâ nobis manu, dicat Dominus, *Amice, ascende superius.*

Meditatio peccatorum non deponenda.

Tract. 8. c.21. & p. 2. tract. 7. c.4.

Luc. 14. 10.

Quid sit contemplatio.

4. Jam videamus, quænam sit alta & specialissima illa oratio, quam Dominus, cùm placuerit, suis inspirat. Subdit ergo Sapiens, *Si enim magnus Dominus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum.* Si inquam ille voluerit: neque enim id jus, hæreditarium est, sed nonnisi liberalissima, & quàm maximè gratuita, gratia est. Tibi in oratione versanti cœlestis quædam derepentè orietur lux & radius, quo illustratus, magni facere mox incipies, quod antè non intelligebas. Hoc scilicet donum est orationis. Quoties antè orationi vacasti, nec hoc advertisti, uti modo id advertis? Vocat autem id Sapiens *Spiritum intelligentiæ*: non enim videtur esse aliud, quàm simplex & nuda quædam apprehensio; quatenus scil. homo per lucem hanc quietatur, & serenè tranquillatur.

Eccli. 39. 8.

Spiritus intelligentiæ.

Simile contemplationis.

5. Contingit interdum in hoc mundo, ut quis in perfectam quandam, & omnibus numeris absolutam imaginem incidens, eamque diutiùs oculo irretorto, immotisque palpebris, ac sine ullo mentis discursu, magna tamen cum delectatione, suspensione, & admiratione contemplans; eâ inspiciendâ nequeat satiari: eiusmodi est alta ac sublimis hæc oratio & contemplatio: aut potiùs dicendum, non aliam Beatorum in cælo orationem videri Deum contemplantium. Beatitudo siquidem in visione & contemplatione Dei consistit: quia in cœlo absorpti & immersi erimus, Deum in æternum videndo & amando, idque simplici quodam illius divinæ majestatis intuitu, eius præsentia gloriaque fruentes, sine ullo prorsus mentis discursu, sine tædio, vel defatigatione, quæ è continuo illius conspectu nasci posset, quinimò *canticum* illud, ac divinum illud manna, semper nobis fiet *novum*, & semper velut novâ & recenti admiratione perfundemur. Consimili ergo modo, perfecta & sublimis illa oratio, quam contemplationem vocant, hîc in terris habetur, quando, scilicet illam Domino visum fuerit dare: ut, cui ea obtigit, nunquam is, Deum intuendo contemplandové, satietatem suam expleat, idque sine ullo discursu, aut defatigatione, verùm simplici dumtaxat intuitu. Addit deinde, *Replebit illum.* Adeò namque hæc gratiâ abundans & copiosa est, ut redundet, nec tam angusto pectoris humani queat vase contineri. Unde etiam mox subiungit, quod hinc sequi solet: *Et ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, & in oratione confitebitur Domino.*

Colloquia ex contemplatione.

6. Unde nascuntur statim colloquia. Proprium scilicet, hoc tempus est, ad cum Deo loquendum; quando anima à cœlesti illo lumine & sapientia, jam mota, edocta & sublevata est. Et ob hoc S. P. N. monet, isto tempore colloquia facienda. *Occurrente*, inquit, *nobis spirituali motu ad colloquia veniamus.* Quod monitum inprimis notandum est: postquam enim potentiarum nostrarum discursum adhibuimus, meditando & considerando, jamque meditatio æstu suo cor inflammavit, & eò jam nos impelli moverique sentimus: tunc

Li. exercit. spirit. in. repetit. 1. & 2. exercitii, primæ hebdomadis.

tunc commodum tempus & occasio est colloquiorum, familiariùs cum Deo agendi, & gratias ab ipso petendi & obtinendi: oratio namq; è corde jam à Deo moto procedens, solet ab eo exaudiri, & apud Maiestatem eius gratiam invenit. Nam, ut docet
Lib. de verb. Dom. ser. 5. & 29. S. Augustinus, quando nos Deus ad quid ab eo postulandum movet, signum est dare eum velle quod petitur. Ista est oratio specialis, quam Dominus confert cuicumque voluerit: *Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum.* Si, inquam, Dominus (qui magnus & potens est) voluerit, facilè sublimem hunc & eminentem orationis modum obtinebimus.

Serm. 46. in Cantic. Solatium pro his qui contemplādi dono carent.

7. Si verò ad tam excellens orationis genus nos evehere, Domino non placuerit, non est cur propterea, inquit Bernardus, doleamus, contristemur, aut animum despondeamus; sed sufficiat nobis virtutum exercitium, quodque nos Deus in sua amicitia & gratia conservet, neu in peccatum sinat prolabi. *Vtinam*, inquit, *detur mihi pax, bonitas, gaudium in Spiritu sancto, misereri in hilaritate, tribuere in simplicitate, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, & his contentus ero. Cætera* (contemplationes, inquam, istas sublimes) *Apostolis virisq; Apostolicis relinquo,*
Ps.103.18. *Montes excelsi ceruis, petra refugium erinaceis.* Excelsi illi contemplationis montes in usum sint illorum, qui quadam cervorum ac damarum velocitate, ac perfectionem evolant: ego, ericius, imperfectionem ac peccatorum spinis & aculeis undiq; plenus, ad illius foramina petræ (quæ Christus est) confugiam, ut me intra sacra eius vulnera recondam, culpásque ac delicta mea sanguine inde prorumpente abluam; & hæc mea futura oratio est. Si ergo S. Bernardus in unico virtutum exercitio, inque dolore contritioneque de peccatis conquiescat, & aliam illam orationem excellentem viris Apostolicis, illustribusq; Sanctis, quibus eam Dominus conferre dignabitur, relinquat, æquum certè fuerit, ut & nos eâ contenti simus, nostrumque exercitium in oratione de peccatis dolere & erubescere, passiones nostras mortificare; vitia, noxias animi cupiditates, pravas inclinationes & habitus evellere, omnes demum in via virtutis nobis occurrentes repugnantias ac difficultates expugnare studere. de altera verò illa specialissima & sublimi oratione nihil laboremus, sed exspectemus, donec ad eam nos subvehere & sustollere Domino placuerit, quin etiam tum, cùm ad eam vocati videmur, valdè circumspectè & cautè nos geramus oportet; quòd multis id expositum esse soleat fraudibus & illusionibus. Credit enim subinde homo, se ad hoc orationis genus à Deo vocari, quòd nescio quam in amoris divini exercitio dulcedinem, suavitatem & facilitatem experiatur: cùm tamen huc ipse divinitus non vocetur, sed se sponte ingerat & intrudat. Nam satan illud ei caliginemque offundit, ut deserat, scilicet, & omittat ea quæ sibi necessaria sunt, & tandem nihil faciat, nec in uno, nec in altero proficiat,

Virtutū studium, vitiorum fugæ, orationis nostræ sint materiæ.

Lud. Blos. in specul. spirituali c. 11.

ficiat. Nam, (ut appositè peritissimus quidam rerum spiritualium Magister ostendit) quemadmodum insignis temeritatis & impudentiæ foret, si mensæ Regis, eius injussu assideret iis, cui expressè Rex imperasset ut ei assisteret, sibique accumbenti ministraret: ita parum reverenter decenterque facit is, qui dulcis contemplationis otio totus vacare cupit, evidenter tamen ad eam à Deo ipso non vocatus.

De process. Relig. c. 20. Contemplatio periculosa. Meditatio tuta.

8. Quare prudens quoddam hac in re consilium suggerit S. Bonaventura, monetque ut in eo se homo exerceat, quod securum & utile est, in vitiorum, scilicet, & pravorum habituum suorum eradicatione, verarumque virtutum in animum insitione: hæc namque plenissima & tutissima est via, & in qua nulla subest fraus, impostura nulla, imò quo mortificationi humiliationi, & resignationi accuratiùs ac studiosiùs incubuerit, hoc futurus est Deo gratior, meritorumque ac donorum eius capacior. At in aliis illis modis excellentibus & extraordinariis, multæ, ait idem Bonaventura, dæmonis latere solent illusiones & imposturæ. Sæpè namque quis à Deo putat proficisci, quod ab eo non proficiscitur, & multum ac magnum esse id, quod nihil est; quo circa ista per hæc sunt examinanda, non hæc per illa. Atque hæc est communis Sanctorum Patrum doctrina, uti jam ostensuri sumus.

CAPUT VI.

Doctrina superior amplius declaratur ac stabilitur.

Gregor. lib. 7. Moral. c. 27. S. Bernard. serm. 46. in Cãt. Isidor. l. 3. c. 15. D. Tho. 2. 2. q. 182. a. 3. & Cir iet. ibid.

1. AD maiorem huius doctrinæ confirmationem & declarationem, notant hic sancti Patres, ac rerum spiritualium magistri, ut ad altam illam, de qua egimus, orationem & contemplationem perveniatur, *magna multaq; passionum nostrarum mortificatione opus esse, & solidum virtutum moralium, frequenti diuturnioriq; illarum exercitio, fundamentum priùs jaciendum*, quod nisi fiat, frustra nos & irrito conatu ad contemplationem aspirare, aut eam exercere. *Oportet*, inquiunt, *ut priùs sis Iacob luctans, quàm Israël Deum videns, ac dicens, Vidi Deum facie ad faciem*: antè, inquam, passiones & pravos appetitus edomes, quàm ad intimam illam cum Deo unionem pervenias. Unde Ludovicus Blosius dicit, eum, qui ad eminentem quendam divini amoris gradum gestit pertingere, sua tamen vitia seriò corrigere, & mortificare, inordinatumque erga creaturas amorem se abjicere non procurat; similem esse homini, qui plumbo ferroque onustus, & manus pedesque vinctus, in sublimem cupit arborem ascendere.

Medium necessarium ad contemplationẽ veram. *Gen. 32. 30.*

Esto Martha ut secure sis Maria.

2. Quocirca SS. Patres spiritus institutoribus ac magistris præscribunt, ut antè, quàm eis, quos in spiritualibus erudiendos suscepere, hanc contemplationis doctrinam proponant; doceant cunctas inordinatas passio-

passiones mortificare, contrà virtutum habitus acquirere, patientiæ, humilitatis, obedientiæ, seque isti exercitio totos sedulò addicere. Hoc ipsi vocant vitam activam, quæ contemplativam debet præcedere.

Indiscreti cõtẽplantes sæpè vitiosi.

3. Hac de causa, non pauci, qui hac via non processerunt, sed sine certo ordine ad contemplationem pervenire voluerunt; etiam postquam multis annis huic orationi vacarunt, omni se virtute vacuos, impatientes, iracundos, superbos esse deprehendunt; adeò, ut, vel minimâ horum vitiorum oblatâ occasione, quamprimum stomachabundi in verba indignationem & impatientiã testantia prorumpant: quibus imperfectionem & malè ordinatas mentis suæ affectiones produnt. Præclarè id R. P. N. Generalis, Everardus Mercurianus, quadam in epistola, quam hac de re scripsit, his ferè verbis ostendit: Multi defectu discretionis potiùs, quàm desiderio profectus, aliud quoddam orationis exercitium esse inaudientes, communi multo subtilius, amoris Dei, inquam, & activum anagogicorum, & silentii nescio cuius; nisi sunt ante tempus ad unitivæ viæ exercitium ascendere, persuadentes sibi nimirũ, illud orandi genus magis heroicum, ac perfectius esse faciliusque multò & suaviùs per id tum vitia expugnari, tum virtutes acquiri. Et quoniam ante tempus oportunum huic se applicare voluerunt, multum temporis perdiderunt, & parum profecerunt, adeoque, annis plurimis etiam transactis, tam passiones suas vegetas, & affectiones adhuc ita indomitas habent, commoditatesque suas non minùs sectantur, tamquam si nullum hactenus cum Deo habuissent commercium, tam quoque adhuc in ipsis propria vivit voluntas, tam difficulter denique judicium suum subjiciunt, quando Superiores iis quod non allubescit, aut voluntati propriæ displicet aut repugnat, iniungere volunt, quasi eo primùm die ad Religionem venissent. Cuius rei illa unica causa est, quòd volare voluerint ante, quàm haberent alas, ac transviam velut saltu ferri, eamque compendiosiorem facere; non autem eo, quo par erat, passu procedere, nec antè se mortificationi, virtutumque exercitio dediderunt: itaque sine bono fundamento bonum construere ædificium non potuerunt, sed super arenam fabricarunt, sicque in medio cursu deficiunt. Hæc ille.

Tres viæ animę in spirituali vita.

4. Ut autem appareat, quàm vera, & communis generalisque sit hæc doctrina, in eo communiter omnes sancti Patres conveniunt, dum tres illas partes vel modos orandi, secundùm tres vias, quas vocant purgativam, illuminativam & unitivam constituunt (quam doctrinam Dionysius Areopagita tradidit, atque ex eo Nazianzenus, & omnes qui de rebus spiritualibus scribunt, hausere:) in hoc inquam conveniunt, esse nobis antè, quàm ad orationem illam tam eximiam & excellentem, quæ respondet viæ unitivæ, adspiremus, sectanda ea quæ ad purgativam & illuminativam spectant: antè scilicet dolorem & contritionem de peccatis exci-

citandam, vitia pravasque inclinationes edomandas, verasque virtutes, ad exemplum Christi, in quo eminenter illæ resplendent, comparandas. Si enim ulteriùs, his non præmissis, vellemus pergere, foret id sine fundamento construere; proinde semper imperfecti claudicaremus: perinde ac si studiosus ad doctiorum classes vellet admitti, nondum cognitis iis quæ in indoctiorum traduntur: &, vixdum primo scalæ gradu transcenso, ad ultimum quis ascendere percuperet.

Caput VII.

De oratione mentali ordinaria seu Meditatione.

Transitus ad aliud genus mentalis orat.

1. Seposita igitur oratione specialissimâ & extraordinariâ, cum quid sit, & quæ eius habendæ ratio, nec docere, nec declarare possimus, nec in nostra sit potestate ad eam pertingere, nec eam ut assequamur, nobis Deus præcipiat, nec denique de illa à nobis rationem sit exacturus; in præsens agemus de oratione mentali ordinaria & communi, quæ & aliquo modo doceri, & laboribus, consiliis, gratiæque divinæ suppetiis comparari potest.

Donum meditandi Societatis exercitiorũ est fundamentum.

2. Inter reliqua nobis in Societate à Deo collata beneficia, non postremum, sed reliquorum facilè summum illud est, quòd, quem orationis modum servare debeamus, nobis sigillatim tradiderit, quòd is sit à Sede Apostolica in libro Exercitiorum S. P. N. Ignatii approbatus, sicut constat è Bulla eidem præfixa, in qua Sanctissimus D. N. Paulus Papa tertius ea, jam seriò matureque examinata, approbat, confirmat, atque in primis utilia & salutaria esse asserit, hortaturque fideles omnes, ut se in iis diligenter exerceant. Hunc orandi modũ divina bonitas S. P. Nostro communicavit, ipse nobis, & quidem eodem ordine, quo ipse à Domino eum accepit. Quocirca confidamus oportet, fore ut Deus nos hac via & modo, quem ipsemet præscripsit, adjuvet & dirigat, cùm hæc formâ tam S. P. Nostrum, quàm socios eius, ac hactenus alios quàm plurimos lucrifecerit, in illa quoque ipsam Societatis firmam designationem atque institutum, uti ipsemet testatur, communicarit. Quare necesse non est, ut alios quosdam extraordinarios orationis modos ac methodos inquiramus; sed & quem illo loco præscriptum habemus, ut bonos & obsequentes filios decet, nos conformare curemus.

In quo Meditatio Soc. propria consistat.

3. In exercitio trium potentiarũ, quod reliquorum exercitiorum primum est, docet nos S. Pater, quem in aliis omnibus exercitiis modum orandi observare debeamus: est verò is, ut in singulis punctis quæ meditaturi sumus, tres animæ nostræ potentias, memoriam, intellectum, ac voluntatem, exerceamus. Primò per memoriam intellectûs oculis objiciendo punctum vel mysterium de quo meditatio instituendum est; mox deinde per intellectum discurrendo, meditando, & considerando illa, quæ movendæ inflammandæque

dæque voluntati oportuniora videbuntur: tum subsequi confestim voluntatis ipsius affectus & motus debebunt, & hoc tertium præcipuũ est, & in quo sistendum: utpote cùm iste sit meditationis finis & fructus, quem ex omnibus intellectus considerationibus ac discursibus elicere oportet. Atque hæc omnia demum ad voluntatem ut bonum desideret, malum verò detestetur, excitandam ordinantur. Hac de causa exercitium hoc, trium potentiarum titulo est insignitum, quòd illud primum fit, in quo hic orandi modus nobis traditur; esto in reliquis exercitiis sequentibus non minùs quàm in hoc tres potentiæ animæ sint exercendæ.

Encomiã Meditationis huius, & pericula alterius.

4. Hic orandi modus, quem S. P. N. hîc nobis tradit, & Societas omnis usurpat, nullam sapit singularitatem, nec inventiones habet illusionibus obnoxias, ut illi exotici habent: sed admodum communis est, imò à priscis Patribus frequentatus, ac naturæ humanæ (quæ discursibus gaudet, ratione utitur & regitur, ratione item persuadetur, convincitur, ac flectitur) accommodus; ac proinde facilior, securior & utilior. Non enim instar stupidorum & attonitorum in oratione esse debemus, nihil penitus facientes (ingens enim hic error foret & illusio:) sed Deum in ea, mediante potentiarum nostrarum exercitio, invocare, & unà cum ipso operante in nobis cooperari; quia creaturarum suarum ipse cooperationem exigit. Atque istud est, quod in suo Exercitiorum libro S. Pater nos docet. Reliqui autem orandi modi, in quibus discursus locum non habent, sed solæ negationes, & nescio quæ silentia, è mystica Theologia desumpta, ordinariè doceri nec debent, nec quæri, uti suprà dicere memini. Et verò Novitii & nuperi, qui passiones suas, & exercitium virtutum vix dum perspectum habent, in particularibus hisce modis consistentes, mille illusionibus & fraudibus diabolicis subjecti sunt; dumq; aliquid se credunt lucrifecisse & profecisse, passionibus suis se plenos inveniunt, & tã indomitis quàm antè, quæ hac orationis dulcedine, ceu esca & illicio velut cõsopitæ quiescebant, at postea cum magno animarum periculo excitantur & reviviscunt. Accedit huc quòd è singularibus & extraordinariis his orandi modis præfracti judicii quædam enascatur durities, quæ fraudi & illusioni cuilibet viam sternit: quam S. P. N. Ignatius summopere timebat, quòd non rarò ipsos privatorum horum orandi modorum sectatores huic obnoxios esse diceret.

Cap. 4. & 5.

In quo Meditatio Soc. propria consistat.

Ars Meditandi delineatur.

5. Dico igitur; primum omnium, quod in oratione est faciendum, in quolibet puncto meditando, erit, memoria menti repræsentare punctum, seu mysterium, de quo meditatio est instituenda; tum ipsum intellectu excutere meditando, & super ipsum discurrendo; mox ipsi voluntatis affectus sequantur oportet. Adeò ut rem primò memoria proponat, deinde discursus & meditatio intellectus sequi debeat: hoc enim fundamentum est, è quo actus omnes & exercitia, quæ in oratione faci-

facimus, enasci debent: & quidquid demum in oratione fit, fit in virtute huius. Ratio istorum omnium è Philosophicis principiis petita, clara est: voluntas enim nostra cæca quædam potentia est, quæ nullum figere potest vestigium, quin intellectus præcedat. Commune siquidem Philosophorum axioma est, *Nihil volitum quin præcognitum*; nec quidquam velle voluntas potest, quin hoc antè per intellectum transierit, qui, ceu servus tedifer, face prælatâ voluntatem illuminat, concludit, ostenditq; quid eligere ac desiderare, quid respuere debeat. Quare acutè S. Augustinus; *Invisa diligi possunt, incognita nequaquam.* Et æquè eleganter S. Gregorius. *Nemo potest diligere quod prorsus ignorat*: objectum namq; voluntatis est bonum cognitum. Idcirco enim rem aliquam diligimus ac desideramus, quòd illam ut bonam & amatu dignam, apprehedimus; & vice versa ideò abhorremus ac fugimus, quod eam ut malam & abominatione dignam imaginamur. Proinde si quando aliquem inducere volumus ad voluntatem ac propositum mutandum, rationibus allatis intellectum eius confutare & convincere conamur, ostendendo nimirum id quod agere proponit, nec bonum esse, nec conveniens; alterum verò melius esse, & congruentius, ut sic unum repudiet, alterum amplectatur. Est igitur actus & discursus intellectus, reliquorum, quos in oratione exercemus actuum & exercitiorum fundamentum. atque hanc ob rem adeò necessaria est meditatio: quod pluribus in sequentibus capitibus sumus declaraturi.

Lib. 10. de Trin. c. 1. — *Hom. 36. in Evang.*

Caput VIII.

De necessitate meditationis.

1. Hugo de S. Victore negat perfectam esse posse orationem, nisi eam aut præcedat aut comitetur meditatio. Et hæc est doctrina S. Augustini, *orationem sine meditatione tepidam* appellantis. quod etiam egregiè efficaciterque probat; nisi enim se quis in propria miseria infirmitateque cognoscenda & considerandaexerceat; illudetur, & sibi convenientia in oratione petere nesciet, uti nec eo quo par est, fervore, petet. Hinc multi, quòd seipsi non cognoscant, nec proprias culpas considerent, valdè errant delusi, eaque de se præsumunt, quæ minimè præsumerent, si seipsi perspectos haberent; ac proinde longè diversa in oratione agunt & petunt, ab iis quibus opus habent. Quamobrem si & orandi artem, & tibi convenientia à Deo petere nosse velis, tuis antè imperfectionibus miseriisque meditandis & considerandis incumbe; & hac via disces, quid tibi petendum sit: perspectâ verò & intellecta magna necessitate tua, tunc ipsum quàm ferventissimè, & eo quo oportet modo rogabis; ad exemplum scilicet pauperis mendici, qui omnium egenus, optimè novit & intelligit, quanta sua sit & necessitas & inopia.

Tract. de laude orat. — *Necessitas Meditationis sumitur ex necessitate noscendi se ipsum.*

2. S. Bernardus, ostensurus non esse ad perfectionis apicem subitò evolan-

Consentit S. Bernard.

Serm.1.de S.Andrea. evolandum, ſed paulatim aſcendendum, ait, *Nemo repentè fit ſummus, aſcendendo, non volando, apprehenditur ſummitas. Aſcendamus igitur velut duobus pedibus, meditatione & oratione: meditatio ſiquidem docet quid deſit; oratio ne deſit, obtinet: illa viam oſtendit, illa deducit: meditatione denique agnoſcimus imminentia nobis pericula, oratione evadimus.* Hinc illud Auguſtini, *Intellectus cogitabundus eſt principium omnis boni.* Qui namque conſiderat quam Deus ſit in ſe bonus, miſericordem ſe erga nos exhibuerit, quantum nos dilexerit, quantum noſtri cauſa cùm egerit, tum paſſus ſit; ſtatim ad tam beneficum Dominum amandum incenditur: & qui culpas ac miſerias ſuas intuetur, ſeſe humiliat & in oculis ſuis vileſcit; & qui ſeriò conſiderat quàm tepidè frigideq; Deo ſervierit, quàm ſæpè ac graviter illum offenderit; qualibet ſe pæna & caſtigatione dignum judicat. & hac via per meditationem anima omnibus virtutibus ditatur & exornatur.

Etiā Sac. Scriptura. 3. Hac de cauſa tantopere eius uſum nobis Sacra Scriptura commendat: *Beatus*, inquit Pſaltes, *vir, qui in* *Pſal.1.3.* *lege Domini meditatur die ac nocte: quia erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum* *Pſa.118.2.* *ſuum dabit in tempore ſuo.* Et, *Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt eum.* Illi namque ſunt, qui eum toto corde requirunt, & hoc iis cauſa eſt eius exquirendi. Id ipſum quoque idem Propheta à Deo poſtulabat, ad legem eius cuſtodien- *Pſal.118.34.* dam: *Da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.* Et contrà dicit, *Niſi quòd* *Pſ.118.9.* *lex tua meditatio mea eſt, tunc fortè periiſſem in humilitate mea*, id eſt, in meis anguſtiis & afflictionibus, uti id exponit S. Hieronymus. Proinde una de maioribus, quas Sancti meditationi & conſiderationi aſcribunt laudibus; aut ſanè omnium maxima eſt, quòd ipſa ſingularis omnium virtutum, univerſorumque bonorum operum ſit adjutrix, *ſoror lectionis, nutrix orationis, directrix operis omniumq; pariter perfectio & conſummatrix exiſtens*, ait Gerſon. *10. Gerſon.*

4. Ut verò unum contrariorum, alteriùs conſideratione & intuitu, meliùs cognoſcatur, una de præcipuis omnium quæ in mundo ſunt, malorum cauſis eſt, conſiderationis defectus, iuxta aliam Prophetæ expoſtulationem, *Deſolatione deſolata eſt terra, quia nullus eſt qui recogitet corde.* *Ier.12.11.* Unica, cur tanta ſit in rebus ſpiritualibus in terra deſolatio, cur tot tantaque in mundo peccata effuſis habenis dominentur, cauſa eſt, quòd vix ullus ſeipſum ingrediatur, ad Dei myſteria in corde ſuo recogitanda, animo verſanda. Quis enim audeat peccatum aliquod lethale committere, cùm cogitat, Deum propter peccatum mortem oppetiiſſe, tantamque eius malitiam eſſe, ut Dei Filium neceſſe fuerit humanam carnem aſſumere, ut ex rigore juſtitiæ pro eo Patri ſuo faceret ſatis? Quis peccare auſit, cùm recogitat, Deum vel ob unum peccatum mortiferum impios incendiis æternùm duraturis adjudicare? Quis reputans & ex-

Defectus meditationis omnium malorū cauſa.

Matt. 25. 41.

pendens illa Domini verba, *Discedite à me maledicti in ignem æternum*; illam, inquam, æternitatem, illud *in æternum*, quodque, quamdiu Deus erit Deus, tam diu in inferno sit arsurus, pro momentanea voluptate æterna eligat tormenta? Dicebat Thomas Aquinas, unum esse, quod penitus capere & intelligere non posset; quomodo, scilicet, quis in peccato mortali existens, securè ridere & voluptates captare possit. Et meritò sic sentiebat, quando talis certò novit, se, si in eo statu emoriatur, recta ad infernales flammas æternùm duraturas abripiendum; cùm tamen sciat ne momentum quidem vitæ certum se habere. Purpuratus ille Siculus Damocles medius inter epulas, cantus musicos, & delectationes conviviales versabatur; quòd tamen cervici eius nudus immineret ensis, è laqueari de seta suspensus, toto corpore pavidus contremiscebat, veritus, ne is ad singula momenta delaberetur; unde nihil illum poterat oblectare. Quid ergo de illo putamus futurum, cui non temporalis, sed æterna, quæ è tenui vitæ filo pendet, mors intentatur; quia vel derepentè mori potest, vel sanus ac vegetus vesperi dormitum concedere, & manè apud inferos agere?

Histor. ord. S. Dominici p.1. lib. 3. c.37.

Cic. Tusc. 5.

Peccatores aut infideles, aut stulti.

5. Unde vir quidam pius, ad hoc propositum, duos videri sibi dicebat carceres solum in Republica Christiana esse debere, unum sanctæ Inquisitionis, alterum stultorum. Aut enim credit (aiebat) homo infernum, qui semper ardeat, post hanc vitam destinatum esse peccanti, aut non credit. Si non credit, ad sacræ Inquisitionis carcerem rapiatur, ut hæreticus; si verò credit, & nihilominus in peccati mortalis statu perseverare vult, fatuorum & dementium ergastualis includatur: quæ enim maior hac dari dementia ac vensania potest? Non dubito, quin, si quis hæc attentè perpendat, fræni cuiusdam illi futura sint, ut à peccando retrahatur. Hanc ob causam, omni dæmon conatu studioque istam nobis meditationem & considerationem dissuadere contendit.

Iudi. 16. 21.

Dæmon hostis meditationis.

6. Ut Philistæi Samsoni, quem jam vinctum in potestate habebant, oculos ante omnia eruerunt; ita & Diabolus cum peccatore ante omnia agit, &, cùm fidem illi dissuadere & eripere nequeat, hoc saltem procurat, ut ita credat, tanquam si non crederet (*ut videntes non videant, & audientes non audiant, neq; intelligant.*) Procurat, inquam, ut non consideret id, quod credit, nec magis idipsum ad animum admittat, quàm si plane non crederet; oculos, scilicet, illi occludit: quod vulpi huic eòdem recidit. Nam sicut parum tibi prosit oculos aperire, si in tenebris agas, quia nihil penitus videbis; Ita, inquit Augustinus, nihil prodest in luce versari, si oculos occlusos & obseratos habeas; quia nec tum quidquam videbis. Propterea tanti momenti est meditatio & oratio mentalis, utpote quæ una nos oculos aperire facit.

Mat. 13. 13.

sup. Psal. 25. circa finem.

***

CAPUT IX.

De magno quodam bono & fructu, qui è meditatione eliciendus: & qui ea faciendα sit, ut commodum ex ea aliquod percipiamus.

Memoria Iudicium & affect⁹, potentiæ animæ exercentur in meditatione.

1. Consultum & salutare inprimis est, ut, dum orationi insistimus, affectus & desideria voluntatis exerceamus: qua de re statim agemus; verùm ante omnia requiritur, ut hi affectus ac desideria in ratione benè fundentur. Homo namq; animal est ratione præditum, eiusque ductu, & per viam intelligentiæ agi dirigique gaudet. Quare unus de præcipuis, ad quos meditatio dirigenda & ordinanda est, scopus esse debet, ut eius adminiculo ab omni fraude & illusione liberemur, in veritatibus solidè fundemur, & ad id, quod nobis conveniens & congruum est, ultrò velut ratione convicti nos applicemus. Atque hic unus de primariis esse debet fructibus, quos ut è meditatione colligamus, procurare debemus. Atq; ideo hoc punctum inprimis notandum, quoniam illud hac in materia permagni momenti ac facilè primum est. Initio autẽ danda homini opera, ut solidum virtutum omnigenarum fundamentum ponat, in iisdemq; stabiliatur.

Modus & materia meditationis quæ.

2. Ut porrò meliùs hoc ipsum è meditatione colligamus, ipsaque singularem meditandi fructum adferat, ea nec perfunctoriè & obiter, nec languidè & tepidè, sed vivaciter, attentè, cumque vigore ac mentis tranquillitate est peragenda. Unde vitæ huius brevitas, rerum mundanarum fragilitas, inanitas ac vanitas, & quomodo in morte terminetur omnia, tractim & per quietis otium tibi meditanda & consideranda sunt, ut hoc pacto omnia terrena despiciendo, cor tuum mentisque oculos ad sola perennia semperque duratura penitus transferas. Frequenter quoque considerandum, animoque versandum, quàm vana ac futilis sit hominũ opinio & æstimatio, quæ tamen tantopere nos commovet & turbat, cùm nihil tibi hæc vel demat, vel addat, nevé deteriorem te, vel meliorem reddere queat; ut sic eam parui facere, & in minimis ducere condiscas. Atque ita de reliquis. Hoc modo quis à fascino & impostura satanica liberatur, & ad ea, quæ conveniunt, facienda inducitur, animumq; applicat, ac spiritualis efficitur. *Sedebit solitarius, & tacebit, quia levavit se super se.* Supra seipsum, scilicet, se extollit, & generosa quadam, rerumque omnium mundanarum contemptrice mente assumptâ, cum Apostolo dicere non veretur: *Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam:* id est, quæ antè ut lucrum & emolumentum arbitrabar, jam sapientior redditus, ad lucrifaciendum Christum, ut detrimentum ac stercus æstimo.

Thre. 3. 28.

Phil. 3. 8.

Modus meditãdi variatur ex parte Meditantium.

3. Magna est inter unam meditationem & aliam, inter unum cognoscendi modum & alium, differentia: aliter enim rem quampiam apprehendit & cognoscit doctus ac sapiens, aliter simplex & idiota. Ille

 verè,

verè, & prout ipsa in se est, cognoscit; hic superficialem & exteriorem tantummodò apparentiam. Si imperitus & rusticus quis pretiosam inveniat gemmam, eam solùm ob exteriorem fulgorem & pulchritudinem concupiscit, atque in pretio habet; at prudens gemmarius, non tam ob eximium splendorem & gratiam, quàm quòd eiusdem valorem pretiumque perspectum habeat, eam desiderat & æstimat. Pari modo inter se differunt, is qui divina mysteria resq; spirituales debito modo meditari & considerare novit, & is qui earum prorsus ignarus est: quòd hic illas superficietenus, & velut in extima facie consideret, ut, quamvis ipsi ob decus & splendorem, quem in ipsis notat, eximiæ & congruæ videantur, ipsas tamen aut planè non, aut frigidè saltem, concupiscat; at qui illas rectè meditari, & pro dignitate novit ponderare, minimè decipitur, & totus iisdem inhiat; nam quòd absconditi thesauri, & margaritæ pretiosæ, quam invenit, valorem optimè perspectum habeat, præ illo reliqua omnia parui facit, quinimò contemnit & proterit.
Matth.13. 46. *Abiit & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.*

Matt.9. 20. Marc.5. 25. Luc.8.43. Plane uti diversi sunt modi tangēdi Christum.

4. Hanc differentiam in Evangelio nobis declaravit Redemptor Jesus, sub symbolo historiæ de muliere illa sanguinis fluxum patiente: Cùm enim Salvator ad curandam, aut potiùs à mortuis revocandam, Archisynagogi Iairi filiam, plurimis illum turbis comitantibus abiret; mulier quædam, quæ duodecim ipsis annis fluxu sanguinis laborarat, & omnem in medicos irrito eventu, quinimò magno valetudinis detrimento, substantiam profuderat; eo viso, ardenti quodam sanitatis recuperandæ acta desiderio, per confertam hominum multitudinem perrumpit, & magnâ conceptâ fide ac spe, dicit intra se: *Si tetigero tantùm vestimentum eius salva ero.* Venit ergo, tangit, & confestim sanguinis illud profluviū stetit. Convertens ilicò se Christus ad turbas, petit: *Quis me tetigit?* Cui Petrus & reliqui discipuli, *Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt; & dicis: Quis me tetigit?* Scio equidem id, inquit Dominus; nec hoc dico: sed *tetigit me aliquis*, non reliquorum instar qui me hinc inde comprimunt, sed modo quodam particulari: *nam ego novi virtutem de me exiisse*, Hic profecto punctus est, hoc est Christum tangere, hoc denique interrogat: quia alius ille tactus rudior, quo eum vulgus & reliqua turba tangit, parvi faciendus est.

Fructuose meditandum est.

5. In hoc ergo totum meditationis negotium versatur, ut nimirum ita Christum eiusque mysteria tangamus, ut eorum in nobis vim, virtutem & fructum sentiamus. Ad quod permagni refert, magna cum attentione in meditatione versari, tractim, & non præcipitanter, mysteria singula ruminando, & minutim enucleando. Quod enim non masticatur, nec amaricat, nec sapit: ideo infirmus pilulam medicam integram deglutit, ne illius amaritudinem gustet. Pari modo, ideo nec peccatum, nec mors, nec judicium, nec infernus peccatori amara videntur, quòd

quòd ea minutim non masticet; sed integra deglutiat, rudi & crasso modo, ac velut uno fasce compacta, accipiendo considerandoque. Ex eodem fonte procedit, quòd mysterium incarnationis, passionis, resurrectionis Dominicæ, reliquorumque Dei beneficiorum meditatio nullum tibi gustum ac saporem spiritualem adferant; quia ea minutim non expendis, non ruminas, nec uti debes excutis. Quare hoc sinapis & piperis granum mastica ac comminue, ac videbis, quomodo paulatim te aduret, & lachrymas oculis tuis excutiet.

Caput X.

Alia bona & commoda meditationis.

Meditatio prodest valde ad Devotionē.

1. Aliud & quidem non parui momenti, bonum & utilitatem in meditatione comprehendi, docet S. Thomas, veram, nimirum, devotionem, rem in vita spirituali tam necessariam, & tam ab iis, qui in eadem ambulant, desideratam. *Devotio porrò nihil est aliud, quam quædam voluntatis ad omne bonum promptitudo & agilitas.* Unde & vir devotus appellandus erit is, qui ad omne bonum dispositus est; hacque promptitudine præditus. Hæc est doctrina communis omnium Sanctorum. Addit deinde S. Thomas, duas huius, devotionis causas esse, unam extrinsecam & principalem, Deum, inquam; alteram intrinsecā à parte nostra, ipsam, scilicet, meditationem. Hæc namque voluntatis ad ea quæ virtutis sunt, promptitudo, ex ipsa intellectus consideratione ac meditatione nascitur: quòd hæc, post Dei gratiam, suum in corde nostro ignem excitet & accendat.

Duplex devotio sensibilis & Rationalis.

2. Vera ergo devotio & fervor spiritus, non in dulcedine & gustu sensibili, quem nonnulli in oratione percipiunt & experiuntur, sed in voluntatis ad omnia, quæ Dei cultum & obsequium spectant, promptitudine & dispositione consistit. Atque hæc devotio, permanens, constans & durabilis est, illa verò alia statim pertransit & evanescit: consistit enim solum in certis quibusdam affectibus devotionis sensibilis, è subito quodam, quo erga rem quampiam appetibilem & ambilem quis fertur, desiderio prognatæ; sæpè quoque ex ipsa complexione naturali provenit, quòd quis, videlicet, mitis mollisque sit indolis ac complexionis, & cor habeat tenerum, statim ad pathos, affectus & lachrymas moveri solitū: hac autem devotione cessante, mox bona cessant proposita. Est hæc tener ac delicatus quidam amor, in sensibilibus gustibus & consolationibus fundatus: quamdiu hic gustus & devotio durat, tamdiu homo devotus & accuratus erit, silentii amicus ac recollectionis; cùm verò deficit, deficiunt & hæc omnia. At qui in veritate, per continuum meditandi considerandiq; exercitium fundati sunt, & à ratione ipsa planè convicti, & à fraude omni illusioneque liberi; hi in virtute stabiles durant & perseverāt: qui, etsi consolationes & illi sapidi gustus deficiant, iidem permanent

qui fuerant antè: manet enim causa, ipsa scilicet Ratio, quæ illos convicit & emovit.

Rationalis Devotio sequenda, non consolatio.

3. Hic demum amor fortis & masculus est, & ex hoc solo veri Dei servi, quique fructum aliquem fecere, agnoscentur, non autem ex gustibus & consolationibus. Passiones nostræ vulgò comparari solent catellis latrantibus, & rictum aperientibus, ut aliquid consolationis accipiant, quibus si suum singulis Deus fructũ objiciat, conquiescunt, & latrare desinũt; ac, pane illo consolationis devorato, rursum singulæ latrare incipiunt. Et sic, quid quisque sit, tum apparet. Gustus & consolationes bonis mobilibus etiam assimilantur, ut quæ statim consumuntur; solidæ verò virtutes, immobilibus & radicatis, quæ durant & perseverant, quare maioris etiam sunt pretii.

Passiones appetunt consolatiunculas.

Consolatio bonũ mobile, devotio immobilis.

4. Inde fit (quod & non rarò experimur, & consideratione dignum est) ut nonnulli, qui magnis orationis tempore consolationibus perfunduntur, postea tentationibus & conflictibus ingruentibus, deficiant, quin & fatiscentes succumbant; vice versâ videmus, alios magnam in oratione ariditatem semper sentientes, & quid sit consolatio & gustus, planè nescientes, in tentationibus tamen superandis viriles esse, & à lapsu quàm remotissimos. Cuius rei causa est, quam modò dicebamus: quòd, scilicet, illi nonnisi gustibus sensibilibus niterentur, hi verò ratione solidè fundentur, minimè decipiantur, se à veritate convinci patiantur, & in ea stabiliantur: ac propterea in eo constantes perseverent ac maneant, quod semel sibi proposuerunt, & facere constituerunt.

Propositum exequeris, si eius motivũ conserves.

5. Et verò unum de mediis, & quidem inprimis salutare, quæ ad in bonis præpositis in oratione conceptis perseverandum, eaque opere exequenda, dari solent, est, ut id ipsum motivum & rationem, quo quis ad bonum hoc propositum & desideriũ concipiendum motus est, conservare studeat: quod enim tunc emovit ad desiderandum, etiam postea ad idem conservandum, & opere perficiendum eum adjuvabit. Maius quiddam etiam hîc latet, quòd, quando quis se hoc pacto in oratione ab illusionibus liberat, & convinci sinit; etsi fortè postea sigillatim medii ac motivi, quo tunc permotus est, non recordetur, virtute tamen huius illusionum carentiæ & resolutionis, in ea conceptæ, à veritate ipsaque ratione jam convictus, firmus, & ad tentationi deinceps resistendum, & in virtute perseverandum fortis invictusq; persistat.

6. Ea propter Joan. Gerson tanti meditationem facit, ut rogatus, ecquod Religioso in cella manenti exercitium utilius & fructuosius foret, lectióne, an oratio vocalis, an opus aliquod manuale, an demum meditatio? Responderit: omnium optimum salvâ semper obedientiâ, fore meditationi vacare. Atque hanc huius asserti dedit rationem. Nam esto quis ex oratione vocali & spirituali lectione, maiorem fortè in præsens devotionem & fructum sentiat, quàm è meditatione; mox tamen,

p. 2. Alphab. 34. lit. M. & de sollicit. Eccles. part. 4. Alphab. 37. lit. A.

Testis Gerson, quod sit Meditatio utilissima occupatio.

men, libro de manibus deposito, vel oratione vocali finitâ, perit hæc devotio & evanescit; at meditatio hominem juvat, & magis eum disponit in futurum, & pòst secutura: quare necesse esse ait, ut nos meditationi assuescamus, ut, quamvis & sonus desit verborum, & libri legendi ad manum non adsint, ipsa meditatio noster sit liber; itaque vera numquam sit devotio.

Caput XI.

Quis modus in oratione mentali servandus, & quis ex ea colligendus sit fructus.

Meditatio ciet cordis affectus.

1. **C**Oncaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. (ait *Psal.* 38. 4.) His verbis Psalmographus declarat, ecquis in oratione servandus sit modus congruenter explicationi multorum Doctorum & SS. Patrum; qui hunc locum de igne charitatis & amoris, tum erga Deum, tum erga proximum, intelligunt, qui per cœlestium meditationem in regii huius Vatis corde æstuabat & ardebat: *Concaluit*, inquit, *cor meum*, & intorsum æstuavit. Hic scilicet primarius orationis effectus est. Quomodo autem & unde hunc ipse ardorē concepit? quomodo hic in corde eius ignis exarsit? Per meditationem: *Et in meditatione mea exardescet ignis.* Hæc, nempe, medium & instrumentum est ad ignem huc accendendum. Adeò ut meditati, inquit Cyrillus Alexandrinus, sit velut silicem igniarium percutere, ut ardentes inde scintillæ promicent. Sic discursu & meditatione intellectus, durus ille cordis tui silex percutiendus est, donec in amore Dei, humilitatis, mortificationis, ac reliquarum omnium virtutum desiderio inflamescat, nec antè tibi desistendum, quàm ignem hunc & elicias, & accendas.

Hierony. Ambros. Greg. lib. 23. Moral. c.5. Glossa interlin. & alii.

Cyrill. Alexan.

Cavendū igitur ne solis discursibus occuperis.

2. Licet verò meditatio summè bona necessariaque sit; non tamen tota oratio in discursibus & considerationibus intellectus versari extrahique debet, nec in illis nobis sistendum: hæc namq; studere potiùs esset, quàm orare. Verùm omnes nostræ meditationes & considerationes, nō nisi ceu medium quoddam adhibenda sunt, ad virtutum affectus & desideria in corde nostro excitanda & inflammanda. Neque enim vitæ Christianæ ac religiosæ bonitas & sanctitas in bonis cogitationibus rerumq; sanctarum intelligentia, sed in solidis ac veris virtutibus consistit, ac præsertim in earundem actibus & operationibus, in quibus, ut ait S. Thomas, ultima summaq; virtutis sita est perfectio. Proinde huic rei maximè, dum orationem instituimus, insistendum & studendum. 1.2. q.3. ar.2.

Meditatio habeat vim acus pariter & fili.

3. Hoc in materia hac ut primum principium tenendum èst: unde etiā vetus quidam Philosophus (ut citat Gerson) sic ait: ***Inquirimus quid sit virtus, nō ut sciamus, sed ut boni efficiamur.*** Etsi acus sit ad consuendum necessaria, ipsa tamen non consuit, sed filum; hinc stultus fatuusque foret is sartor, qui diem totum in transmittenda & extrahenda acu sine filo

Super Magnificat Alphabet. 86. lit. D.

consumeret: operam namque illuderet, & in vanum laboraret. Hoc faciunt, qui in oratione non aliud agunt, quam mente discurrere, & meditari, deamando ne hilum laborantes. Meditatio instar acus sit oportet, quæ primò quidem ingrediatur, sed ita, ut post ipsam amoris & affectus voluntatis, qua Deo nos uniamus & copulemus, filum subsequatur.

Testis B. Ignatius & Bern. de practica Meditatione.

4. Singillatim & identidem hoc nobis inculcat S.N.P. in libro Exercitiorum: punctis enim, quæ meditanda sunt, breviter per aliquas considerationes indicatis, subdit statim: *Omnia mihi applicanda sunt, ut aliquem inde fructum spiritualem capiam.* In eo, scilicet, orationis consistit fructus, ut quisque quod meditatur, sibi norit applicare, & in propriam utilitatem, prout sibi necesse fuerit, convertere. Unde rectè S. Bernardus: *Sicut sol*, inquit, *non omnes quos illuminat etiam calefacit: sic etiam scientia & meditatio, etsi quid faciendum sit, cunctos edoceat; non omnes tamen movet & concitat ad faciendum, quod docet.* Et aliud est, multas divitias nosse, & aliud, eas possidere: & hominem divitem facit, non tam multas divitias nosse, quàm eas reipsa possidere. Sic diversum planè est, nosse Deum, & timere & amare Deum: & sæpè hominem verè sapientem, doctum & divitem non facit, multa de Deo nosse, sed eum timere & amare.

Serm. 23. in Cant.

Quid enim divitiæ, si nō conceditur usus.

5. Affertur & alia huic rei explicandæ comparatio. Sicut, inquiunt, famelico parum profuerit, mensæ omnigenis exquisitissimisque epulis instructæ assidere, nisi iisdem vescatur: sic orantem parum juverit, opiparam multisque insignibus considerationibus abundantem mensam ante se habere, si ex iis: non comedat, id est, eas sibi per voluntatem non applicet, ut aliquem ex iis fructum capiat.

Qui affectus in particulari exprimendi sint in Medit.

6. Descendendo jam ad magis particularia, dico, affectus & sancta quædam desideria, è meditatione & oratione nobis esse colligenda; primò interiùs in corde ea efformando ac concipiendo, ut postea suo tempore exteriùs in opus prodeant. Appositè S. Ambros. *Meditationis*, ait, *præceptorum cœlestium intentio vel finis, operatio est.* Sic sancta illa & prodigiosa animalia, quæ vidit Ezechiel, inter alia prodigia *manus hominis* habebant *sub pennis*: ut hinc discamus, ipsum intellectus volatum & discursum ad operationem ferri debere. Eliciendi ergo ex oratione sunt affectus & desideria *humilitatis*, quibus, scilicet, & ipsi nos despiciamus, & ab aliis despici gaudeamus: adhæc desideria pænas, afflictiones, dolores pro nomine Dei tolerandi: gaudere præterea iis, quos in præsens habemus: Affectus quoque *paupertatis* spiritus, volendo ut omnium vilissima, quæ domi sunt, nobis cedant, quin aliquid etiam in rebus necessariis desit. Dolor item & *contritio de peccatis*, & firma antè moriendi vel discrumpendi, quam peccandi, proposita. *Gratitudo* etiam ob accepta beneficia, veraque & integra in manus Dei *resignatio*: desiderium denique *Christi Iesu*

In Psal. 118. in octon. 6.

Iesu Domini ac Redemptoris nostri, in omnibus, quæ in ipso resplendent, virtutibus *imitandi*. Atque huc omnis nostra referri ac spectare debet meditatio; hic quoque fructus ex ea nobis est eliciendus.

Discursuum finis esto affectus. Qui affectus in particulari exprimendi sint in Medit. *In Psal. 118. in vesti. 6.*

7. Unde sequitur, cum meditatio & discursus intellectûs usurpetur, ceu medium quoddam & motivum ad voluntatem ad hosce affectus impellendam, & iste totius huius negotii finis sit; eatenus meditationem & intellectûs discursum adhibendum, quatenus ad hoc necessarium erit, & non aliter. media siquidem fini proportionari & commensurari debent. Simul igitur ac voluntatem ad aliquã virtutem, v. g. dolorem de peccatis, mundi contemptum, amorem Dei, pro ipso patiendi desiderium, aliumvé similem affectum, concitatam motamque senserimus; ipsum discursus filum statim abrumpendum (uti solent fabri cœmentarii, laqueari domorum aut pontium per se jam satis solidato, lignea sustentacula omnia submovere) & illi affectui ac desiderio voluntatis tamdiu est insistendum, quoad nobis satisfecerimus, ipsumq; animæ nostræ profundè impresserimus.

Obtento itaq; affectu nõ laboretur de discursu. *Lib. exercit. addit. 4.* *Simile.*

8. Est hoc magni momenti documentum, quod etiam nobis S. N. P. in Exercitiorum libello præscribit; ubi ait ac docet, ut in eo puncto, in quo devotionem & sensum desideratum assecuti fuerimus, conquiescamus & sistamus, nec ad alia puncta transire anxiè laboremus, donec eo satiemur & expleamur. Et sicut Hortulanus, dum aliquam horti areolam irrigat, simul ac aqua per eam currere incipit, ipsius cursum sistit, eamque in aridæ telluris viscera leniter penetrare ac descendere sinit, nec antè, quàm planè humectata ac inebriata ea fuerit, ulteriùs pergit. Pari modo, cùm boni affectûs & desiderii aqua, jam per animam nostram, quæ ceu sitibunda & arida quædam terra est, ut ait Propheta: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*; *Ps. 142. 6.* currere incipit, omnem discursûs impetum abrumpamus, illaque irrigatione & voluntatis affectu, quoad poterimus, contenti simus, donec ista aqua in cor planè penetret & descendat, ipsique eâdem satiemur. Aliam quoque ad hoc declarandum, similitudinem, nec minùs appositam, *S. Chrysost.* adfert Chrysost. *nunquamne vidisti*, inquit, *quomodo agniculus ubera materna quærens, aliud non faciat, quàm ut modò in hanc, modò in illam uberum partem se flectat versetque; mox papillam modò quidem ori inserat, modò rursus dimittat: sed statim ut emanantis lactis gustare dulcedinem incipit, fixus loco maneat, & cum quiete id exsugat?* Idem prorsus usu venit in oratione: antequam enim cœlestis ille ros in animam illabatur, homo huc illucque discursat, sed, illo jam delapso, quiescamus, illaque suavitate & dulcedine in quiete perfruamur.

CAPUT XII.

Quanti referat voluntatis actibus affectibusq; jam excitatis insistere.

Insistendum magis affectibus quã discursibus.

1. MAximi sanè refert, in actibus & affectibus voluntatis conquiescere & immorari: quod etiam sancti Patres ac vitæ spiritualis magistri omnes tanti faciunt, ut in eo bonam perfectamq; orationem, quin & ipsam, quam vocant, contemplationem, asserant consistere, quando, nimirum, homo per meditationem non jam amoris spectat vel consectatur incentiva, sed amore jam invento & optato fruitur, inque suæ inquisitionis ac desiderii termino conquiescit, dicendo cum sponsa in
Cant.3.4. Canticis: *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam*, quod ipsum ibidem eadem sponsa alii verbis replicat: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Cant.5.2. quòd in perfecta oratione intellectus quodammodo consopitus dormiat, discursu scil. & speculatione intermissâ, at voluntas vigilet, & in sponsi sui amore quodammodo colliquescat. Tantopere verò sponsæ somnus ipsi sponso placet, ut eam antè vetet somno excitari, quàm ipsa
Cant.3.5. expergisci velit; *Adiuro vos, filiæ Ierusalem, per capreas cervosq; campanorum, ne suscitetis, neq; evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.*

Discursus sunt præparatio cibi.

2. Adeo ut meditatio, & reliquæ quas orationi assignant, partes, ad hanc contemplationem dirigantur & ordinentur, ac velut gradus quidã sint, quibus ad eam ascendatur. Unde S. Augustinus ait: *Lectio inquirit, meditatio invenit, oratio postulat, contemplatio degustat*, & fruitur eo, quod pri⁹ inquisivit, postulavit, invenit. Et huius occasione adducit illud Evangelii: *Quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis.* & addit: *Quærite legendo, invenietis meditando, pulsate orando, & aperietur vobis contemplando.*

Lib. de scala paradisi.

Matt.7.7.

3. Unde sancti Patres, ut refert Albertus Magnus, hoc docent esse inter fidelium Catholicorum & Gentilium Philosophorũ contemplationem discrimen, quòd omnis Philosophorum contemplatio aliud non spectet, quàm ut ipsâ veritatum cognitarum cognitione, intellectus perficiatur, ac proinde in solo intellectu sistat; eius siquidem scopus & finis est, quotidie plura scire & nosse: Catholicorum verò ac Sanctorum contemplatio, de qua in præsenti agimus, in intellectu solo non consistit, sed ulteriùs ad voluntatem excitandam, delectandam, & amore divino inflammandam incendendamq; fertur, juxta illud Sponsæ: *Anima mea liquefacta est, ut locutus est.* Quod egregiè notavit S. Thomas, de cõtemplatione loquens: *quamvis*, inquit, *contẽplatio essentialiter in intellectu sita sit, ultima tamẽ eius perfectio in amore, & voluntatis affectu consistit: adeò ut primarium contemplationis nostræ intentum & finis voluntatis esse debeat affectus & amor Dei.*

Li. de adhærendo Deo c.9. Gentiles intellectũ; Sancti volũtatẽ pascunt.

Cant.5.6.

2.2.q.118. art.7.

4. Hoc (ait Augustinus) modo nos orare docuit Redemptor noster Jesus, cùm dixit: *Orantes autem nolite multum loqui.* Unde addit S. Augustinus: *Aliud est sermo multus, aliud diuturnus*

Li. de orando Deum c. 10. quæ est ep.121. ad Prob.

Mat.6.7.

Discursus intellect⁹ merus est multiloquium. *turnus affectus; absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio.* Aliud, inquam, est multa intellectu agitare ac discurrere, aliud amori & affectibus voluntatis excitandis accuratè insistere. Primum in oratione seriò fugiendum; est enim multiloquium: *Et hoc negotium* orationis, dicit idem Augustinus, *plus gemitibus, quàm sermonibus*; non multiloquio & inani verbositate *peragitur.* neque enim cum Deo in oratione rhetoricè, non magnâ discursum copiâ, non cogitationum aut argumentorum subtilitate, sed lachrymis, gemitibus, suspiriis, & desideriis cordialibus est agendum; secundùm illud Jeremiæ Prophetæ: *Neque taceat pupilla oculi tui.*

Thren. 2. 18.

Inpsa 50. Corde affici in medit. est oculis loqui, quia Lachrymæ sunt sermo oculorum.

5. Quærit super ea verba S. Hieronymus, cur & quomodo Propheta dixerit; *Non taceat pupilla oculi tui.* An non lingua est quæ loquitur? quomodo ergo pupillæ oculorum loqui possunt? Sic autem sibiipsi Hieronymus respondet: Quando lachrymas coram Deo profundimus, tunc pupillæ oculorum ad Deum voces dare dicuntur; quemadmodum, linguâ non loquente, ad Deum nihilominùs corde clamare possumus; sicut ait Apostolus: *Misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, Abba Pater.* Et in Exodo Moysi dixit Dominus: *Quid clamas ad me?* verbum tamen nõ proferebat, sed tantùm int⁹ in corde suo tanto fervore & efficacia orabat, ut ei diceret Deus: *Quid clamas ad me?* Pari ergò ratione, & nos in oratione oculis nostris ad Deum clamare debemus, *Non taceat pupilla oculi tui*: lachrymis, inquam, gemitibus, suspiriis, & cordis desideriis.

Gal. 4. 6.

Exod. 14. 15.

Caput XIII.

Respondetur & occurritur querelæ illorum, qui ducunt non posse se, nec scire meditari, aut intellectu discurrere.

Impotẽtia Discursuum non tollit potestatem Meditãdi.

1. PER hæc simul responsum sit communi nonnulorum querimoniæ dicentium, in oratione nec posse se, ne scire intellectu discurrere; quòd nullæ ipsis considerationes occurrant, quibus meditationis puncta dilatent & extendant, sed statim ipsis aqua hæreat, filum incidatur, atque uno velut flatu dissipetur. Non est autem, quòd propterea se magnopere torqueant aut discrucient: quoniam (uti diximus) hoc orationis negotium magis in affectibus ac desideriis voluntatis, quàm in intellectus discursibus & speculationibus consistit.

Imo e[...] salutai[...] est sæp[...]

2. Imò monent hîc rerum spiritualium magistri, cavendum esse, ne meditatio intellectûs nimia sit, & æquo prolixior: quòd istud motionem & affectum voluntatis (qui præcipuè spectandus est) multùm impedire ac remorari soleat; tum verò maximè, cùm subtilibus & sublimibus speculationibus quis insistit. Cuius rei ratio naturalis est: certum est enim, si fons aliquis nonnisi unam venulam aquæ habet, & hæc per multos tubos derivatur, quo plus aquæ per unum fluxerit, eo minus per alium manaturum: sic animæ virtus, cùm finita & limitata sit, quo magis per intel-

lectûs meatum se diffuderit, eo minus per voluntatis canalem defluet. Unde experientiâ magistrâ discimus, si quam anima devotionem ac pios sensus habeat, & interim intellectus subtili aliqua speculatione & curiositate distrahatur & vagetur; cor statim exarescere, & devotionem illam exstingui. Causa rei huius est, quòd aqua hæc per alium intellectûs canalem nimis densè fluit, atque ideò alter voluntatis tubus & aquæductus exaruit.

Cor exarescit, dũ intellect⁹ speculatione subtili nimis distrahitur.

3. Hanc etiam esse causam, ait Gerson, cur indoctiores interdum, imò frequenter, magis devoti sint, meliusq; orationem peragant, quàm docti: quòd illi minùs per intellectũ distrahantur, nec aliis speculationibus & curiositatibus sese occupent ac divagentur; sed confestim per simplices ac faciles considerationes voluntatem concitare & movere procurent; magis proinde hos movent & faciunt humiles illæ atque obviæ considerationes, majoresque in ipsis affectus cient, quàm in aliis sublimes & subtiles: ut videre id est in sancto illo coquo, quem suprà diximus è foco materiali, quem semper præ oculis habebat, materiam & occasionem habuisse, de æterno incendio cogitandi; tantamque inde devotionem acquisivisse, ut in mediis occupationibus culinariis donum habuerit lachrymarum.

p.3. de mõte cõtemplat. Alphab. 73. c. 2. & seqq.

Simplices sæpe melius meditantur.

Tract. 3. c. 8.

4. Et est hoc inprimis notandum: sit affectus & desiderium quàm maximè sublime & spirituale; nec curandum, utrùm cogitatio & consideratio sit humilis, obvia & communis.

Affectus sit sublimis, etsi consideratio sit communis.

Plurima huius rei exempla habemus in sacris litteris, in quibus Spiritus sanctus sub simplicibus atque obviis considerationibus altissimos & profundissimos nobis sensus ac mysteria declarat. S. Ambrosius in illa Prophetæ verba: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* scribens, percunctatur: Cur Propheta, in altum ascendere & evolare volens, columbæ pennas petat, & non potiùs aliarum avium, cùm tamen multæ sint columbis perniciores & agiliores? Et respondet, quia probè norat, volatus ad perfectionis apicem, & ad sanctiùs sublimiusq; orationem peragendam meliùs quadrare alas columbæ, id est, simplices corde, quàm sublimia & acuta nimis ingenia, juxta illam Sapientis sententiam: *Cum simplicibus sermocinatio eius.*

Psa. 54. 7.

Ala columbæ, id est, simplicium meditationi aptiores. *Serm. 70.*

Prov. 3. 32.

5. Non est ergo, quòd quisquam conturbetur, aut se torqueat, quòd discurrere mente, & considerationes punctis meditationis dilatandis commodas invenire nequeat: quinimo docent periti, nec sine ratione, meliorem ac potiorem illorum conditionem esse, quib. nimiæ speculationis venam occludit Deus, contrà verò affectionis venam recludit: ut, intellectu quieto & tranquillo, ipsa voluntas in solo Deo conquiescat, totam se in summi boni amore & fruitione impendens. Si hanc tibi Deus gratiam conferat, ut simplici quadam & facili consideratione (vel cogitando solùm, Deum propter te humanam naturam assumpsisse, in præsepio reclinatum esse, in crucem pro te actum)

Ne ergo dixeris: Non possum dilatare materiam meditationis, potes affici.

actum) in amorem Dèi rapiaris, ardensque tui humiliandi, & pro eius amore mortificandi desiderium concipias, atque his cogitationibus totâ horâ immoreris; longè profectò melior & fructuosior illa oratio est, quā si sublimes & delicatas considerationes & discursus plurimos haberes; eò, quod in eo, quod in oratione prę stantissimum & maximè substantiale est, imò unicus eius finis & fructus, te occupas. Unde patebit, quàm graviter errent illi, qui tum infructuosè se meditari putant, cùm nullæ ipsis considerationes, in quibus occupentur, occurrunt; tum verò fructuosè, quando iis abundant.

1 p.l.7.c.14. Histor. Minor. Testimoniū, quod simplici tam facilis perfectio, quā cuivis doctissimo.

6. S. Ægidius, ut in Chronicis Minoritarum legitur, vir sanctus & humilis, sic quadam die cum S. Bonav. Generali Ordinis Ministro locutus fertur: *Multas vobis doctioribus Deus gratias concessit, quibus eum laudare & servire potestis; nos verò idiotæ & indocti, qui nihil litterarum novimus, quid quæso, faciemus, ad ei placendum?* Cui Bonaventura: *Etsi aliam Deus homini gratiam non daret; quàm ut is ipsum amare posset: hæc unica profectò satis esset, ad maiora illi pro hac, quàm pro aliis omnibus simul obsequia deferenda.* Tum petenti Ægidio, *Potestne idiota tanto erga Iesum Christum amore ferri, quanto aliquis eruditus? Una*, inquit Bonaventura, *simplex vetula plus Deum amare potest, quàm profundus aliquis in Theologia Magister.* Quare Ægidius, properè exsurgens, magno fervore hortum ingreditur, & ad eam partem, quæ urbem respiciebat, corpore & voce conversa clamabat: *Vetula, paupercula, indocta, simplex, Dominum nostrum Iesum Christum ama, & maior esse poteris quàm F. Bonaventura.* Et his dictis, more suo, extra se raptus alienatis sensibus, tribus continenter horis in eodem loco immobilis permansit.

CAPUT XIV.

Duo monita, magno nobis ad rectè orationem instituendam, fructumq; ex ea eliciendum adjumento futura.

1. AD orationem probè instituendam, & fructum quem oportet, ex ea capiendum, multum nos juverit, primò isthoc fundamentum benè expendere, ac præsupponere; nimirum, orationem non finem esse, sed medium, quo ad profectum & perfectionem nostram conducamur. Quare in oratione, velut in termino & fine, non est sistendum; neque enim nostra perfectio in magna consolatione, dulcedine, & contemplatione habenda; sed in perfecta sensuum mortificatione, in magna de nobis ipsis, de passionibus & appetitibus nostris victoria sita est, ut scil. nos, quoad eius fieri potest, ad perfectionem beati illius statûs justitiæ originalis, in quo creati sumus, quando caro & appetitus prorsus erant subjecta & conformia rationi, ratio autem uni parebat Deo, reducere studeamus. Ut autem huc perveniatur, oratio ceu medium usurpanda est.

Oratio non est finis, sed medium ad perfectionem.

2. Quemadmodum enim in fornace ferrum rigidum igne mollescit, ut tundi, duci, curvari, & ad nutum fabri

Oratio est ignis cor molliens.

fabri omnem in partem flecti possit; sic & in oratione fieri debet. Si dura difficilisque nobis sit mortificatio, si durum voluntatem nostram frangere, si durum ingruentes adversitates ac difficultates pati; ad orationis caminum confugiamus oportet; in eo namque devotionis calore & igne, Christique exemplo cor mollescit, ut duci, & quamcunque in partem flecti queat, prout ad meliùs Deo serviendum fuerit necesse. Hoc scilicet officium & munus est orationis, hic fructus, quem ex illa elicere oportet, & in hunc finem gustus & consolationes, quas in ea Dominus dare solet,
Psalm. 32. dirigendæ sunt, non ut in iis sistamus, sed ut earum adminiculo promptius & alacriùs virtutis perfectionisque viam curramus.

Cornua Moysis orationis vim designant. *Exod. 34. 29.*

3. Hoc videlicet Spiritus sanctus declarare nobis voluit, in istis Moysis, à Dei colloquio ad populum redeuntis, radiis. Scriptura quippe refert, mirum tunc è vultu illius splendorem & jubar emicuisse, idque in modum cornuum. In cornibus autem omne animalium situm esse solet robur ac fortitudo: ad innuendum, ex sola oratione vires & potentiam ad bene operandum nobis hauriendam esse.

Oratio ad patiendum corroborat.

4. Idipsum & suo redemptor noster Jesus exemplo docuit, cùm pridiana passionis suæ nocte semel, iterū, ac tertiò se ad orationē contulit, ut ad agonem & angustias sibi jamjam imminentes animaretur; non quòd hoc eum pacto corroborari oporteret, sed duntaxat, ut suo nobis exemplo, ut observat Ambrosius, hîc præiret. Apparuisse autē tunc ei Angelum à quo *In Luc. 6.* est confortatus, Evangelista commemorat; ipsum porro ita animatum & vegetatum, ab oratione surrexisse, ut mox diceret discipulis: *Surgite, eamus* *Matt. 26. 46.* *obviam inimicis, ecce appropinquat qui me tradet.* Se, inquam, ipse obtulit, & *Luc. 22. 43.* ultrò in inimicorum manus tradidit, *Oblatus est, quia ipse voluit.* *Esa. 53. 7.*

Orare est metaphorice citharizare.

5. Hæc omnia eò spectant, ut discamus, orationem esse nobis assumendam, ceu unicam ad difficultates in virtutis via oborientes exsuperandas rationem & medium. Dicit verò S. Chrysostomus orare nihil esse aliud, quàm cordis nostri citharam ita temperare & componere, ut gratam Deo symyhoniam edat. Ad hoc enim orationi vacamus, ut cor nostrum attemperemus, passionum, & affectuum, omniumque actionum nostrarum chordas concordemus, & moderemur, ut universa cùm rationi, tum Deo congrua sint & concordent.

Oratio sit practica.

6. Atque hoc est, quod quotidie in conferentiis & exhortationibus spiritualibus & dicimus, & audimus, orationem, videlicet, nostram debere esse practicam, id est, ad opus destinatam ac directam: ut nimirum eius subsidio difficultates complanentur, ac resistentiæ quælibet & repugnantiæ, in via spirituali occurrentes superentur. Hac de causa orationem Spiritus sanctus prudentiæ nomine insignivit, *Scientia Sanctorum* *Prov. 9. 10.* *prudentia*; quòd prudentia ad operandum dirigatur, ad distinctionem scientiæ litteratorum, quæ duntaxat ad sciendum refertur.

Qua-

Oratio generale remediũ vel Catholicũ unguentum.

7. Quare docent sancti Patres, orationem generale quoddam & efficacissimum esse adversus omnes tentationes nostras, & quaslibet in vita hac mortali incidentes necessitates & pericula, remedium. Atq; istud unum in præcipuis orationis præconiis & laudib⁹ numeratur. Hinc Sanctus quidã Monachus apud Theodoretum sic loquens inducitur: Corporales ægritudines medici proprio singulas curant remedio ac medicamentis: imò non rarò, ut vel unã sanent, varia multipliciaq; adhibẽt: quia singula hæc remedia imperfecta, angusta, & finitæ limitatæque sunt virtutis: sed oratio, generale quoddam & efficacissimum est, pro omnibus necessitatibus, & ad omnigenis tentationibus & insultibus hostilibus resistentium, utq; omnes virtutes comparentur, remedium, eò quòd infinitum bonum (id est, ipsum Deum) animæ applicat, & in eo se fundat & nititur. Hoc etiam sensu oratio omnipotens vocatur: *Omnipotens oratio cùm sit, omnia potest.* Atque hoc ipsum orationis remedium & antidotum, tanquam valens adversus omnigenas tentationes Redemptor Jesus nobis ipse præscripsit, dicens: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.*

In hist. Rel.

Oratio omnipotens.

Matt. 24. 41.

8. Hoc magni momenti monito præmisso ipsam meditandi artem tradunt spirituales Magistri his Legibus. *Primò*, ut assumatur personæ vel tempori congruens materia aliqua, & hæc in aliquot puncta distribuatur ex. gr. in Natali Domini. 1. Reclinatio nati in præsepio. 2. Cantus Angelorum. 3. Adventus Pastorum. & super hisce postea, cum tempus meditandi advenerit de singulis punctis fiant discursus huiusmodi aut quæstiones mentis. *Estne hoc ita factum? quomodo tibi placet hoc factum? quomodo tu te in simili materia aut casu gessisses? aut gerere soles?* Hoc quippe est discursus. *Secundum* documentum, seu monitum, quod superioris executioni nobis permultùm deserviet est, ut, sicut ad orationem accessuris, ipsa meditationis puncta prævidenda ac præparanda sunt, sic & fructum ex eadem eliciendum ac reportandum prævidiamus.

Quomodo fruct⁹ orationis possit provideri.

9. At dicet quis, *Quomodo fructum, quem ex oratione capere debeo, nosse potero, antè quam ad eam accedam, ut eum in mente prævisum habeam?* velim hoc clariùs & pluribus mihi declares. Libentissimè. An non antè paulò ostendi. ideo nos ad orationem accedere, ut præsentaneum in ea necessitatum nostrarum spiritualium remedium inveniamus, ac de nobis ipsis vitiosisque animi inclinationibus ac passionibus victoriam referamus, ipsam quoque ceu viam & medium esse ad interiorem hominem reformandum, utque vitam melorem sanctioremque ineamus? Omnino. Priùs ergo quàm orationem quis aggrediatur, secum maturè perpendat ac videat, quænam sit maxima sua spiritualis necessitas; quid maximè profectum suum remoretur, quæ passio & appetitus animæ suæ sit infestissimus? Atque hoc est, quod præcognitum, ut prævisum habere

bere illum necesse est, ut huic insistat, idque ex oratione eliciat.

Ex. gr. Remedium contra vanã gloriã & magni ęstimari velle, ante meditat. providetur.

10. Verbi gratia; Sentio in me vehemens quoddam desiderium atque inclinationem, ut ab hominibus magni ducat & æstimet, atque in pretio habeat, meque respectibus humanis mirum in modum moveri; hinc, dum aliqua contemptus ac vilipendii sese offert occasio, turbor & indignor; imò interdum etiam signo aliquo id exteriùs prodo: hoc præ cæteris videtur esse mihi infestissimum, hoc maximè profectũ meum remorari. hoc animæ pacem ac quietem interturbare, hoc mihi gravissimorum lapsuum causa esse. Si ergo hæc maxima tua sit necessitas, remedium tuum erit, ut istud superare, & de anima extirpare contendas: atque hoc est, quod te ante orationem prævidere, ante oculos ac cordi habere, & cui te insistere necesse est, ut ex oratione illud ipsum colligas, colliges autem hoc copiose ex præsepio Domini, & ubi se Deus Majestatis humiliat, servus se exaltet!

Meditatio nõ in incertum eat sed uti empturus ad forum.

11. Errat proinde graviter is, qui ut plurimùm in omnem eventum & improvisò ad orationem accedit, id scilicet ex ea collecturus, quod ibi occurrerit, & in mentem venerit; venatorem imitatus, qui in omnem eventum, ac nulla certa sibi designata fera, ad venandum abit, quidquid se obtulerit, capturus; id interim relinquens, ac flocci pendens, quo maximè indigebit. Non sic ad orationem accedamus, ut id arripiamus, quod primò nobis occurrerit, sed statim oculos conjiciamus in illud, quo potissimum egebimus. Infirmus ad Pharmacopolium abiens nõ id pharmacum emit, quod primò illi in manus venit, sed quod morbo suo curando novit oportunum ac salutare. Est quispiam superbiâ ad usque fauces turgidus, alius impatientia laborat, alius proprii judicii tenacior est, & voluntatis suæ amantior, ut tunc apparet, cùm harum rerum vel minima offertur occasio, & ipse quotidie in iis, velut fur in flagranti delicto deprehenditur; interim hic in oratione variis ac peregrinis conceptibus efformandis insistit, in id manus conjiciendo, quod in mentem primò incurrit, aut præ aliis sapit, modò hinc, modò inde aliquid delibans ac degustans. Non est mihi crede, illa bona proficiendi ratio; in id semper quisq; potissimùm respiciat, cuius maximè indigebit, & hoc ipsum in se curare & tollere satagat, cùm hac de causa orationi se applicet.

Exhortat. ad Relig. de armatura spir. to. 2. p. 260.

12. Ad hoc propositum adfert S. Ephrem exemplum cœci illius Evangelici, Christum Jesum per viam inclamantis, ut sui miseratione moveretur; *Considera,* inquit, *quomodo Christo interroganti, Quid tibi vis faciam? ipse statim maximam suam necessitatem, & id, quo magis cruciabatur, repræsentarit, oculorum, scilicet, carentiam, cui remedium efflagitavit, dicens: Domine ut videam.* An ille quid aliud, quo revera etiam indigebat, petiit, dicendo v. g. Domine da mihi vestem, quia nudus & inops sum? Non sane, sed, cætera omnia missa faciens, necessitatem quâ maximè conflictabatur ostendit. Hoc ergo & nobis in oratione

Luc. 18. 41. Mar. 10. 51.

Cœcus à Christo petit visum, quo maxime indigebat.

tione faciendum, postulandum, scil. quòd maximè nobis est necessarium, inq; eo tamdiu insistendum, donec votorum reddamur compotes, petitaque obtineamus.

Quomodo materię cuiusque orãtis fini apta seligenda sit, vel aptari possit.

12. Ne quis verò sit excusationi locus, notandum, esto certum sit, quòd oraturus, dum particularium, quæ sibi desunt, virtutum affectus elicere studet, communiter operam dare debeat, ut ipsa meditationis puncta & materia convenientia sint, & proportionata ad hoc, ut voluntas celeriùs & maiori firmitate ac fervore ad hosce affectus moveatur, ut sic fructum, quem spectat, faciliùs colligat; notandum, inquam, & sciendum nihilominùs est, quodvis Exercitium uti vocant, id est mysterium, quod meditatione recogitandum proponitur, quemlibet privatæ suæ necessitati sine ulla violentia accommodare posse. Oratio namque cœleste velut manna est, eo cuilibet sapore sapiens, quem ex ea gustare & colligere voluerit. Si humilitatem ex ea degustare volueris, hunc tibi gustum dabit propriam peccatorum, mortis, passionis Domini, & beneficiorum acceptorum consideratio: si dolorem & confusionem de peccatis tuis, harum materiarum quælibet hunc tibi saporem suggeret: si denique gustum patientiæ, & hunc sufficienter oratio dabit. Idem de cæteris esto judicium.

-o§(o)§o-

Caput XV.

Quomodo intelligendum id quod dictum est, in oratione eam potißimùm rem cordi habendam, quà maximè habemus opus, & tamdiu illi insistendum, donec eam obtineamus.

Actus virtutũ, qui se in meditatione offerent, non rejiciendi, quia invicem subserviunt.

1. NOlumus tamen ex dictis hactenus concludi, quasi semper unam eandemque rem in oratione spectare oporteat: nam etiamsi humilitate, aut alia re simili, maximè & singillatim indigeamus; non propterea tamen aliarum inter orandum prohibemur virtutum actibus & exercitiis insistere. Offert se tibi actus v. g. voluntati Dei te in omnibus quæ de te fieri voluerit ac decreverit, conformandi, in eo te detine quoad potueris. Optima enim talis oratio erit, & benè impensa, atque humilitati obtinendæ adeò non oberit, ut quàm maximè potiùs sit profutura. Offert se actus gratitudinis, & insignis beneficiorum, cùm generalium, tum particularium à Deo acceptorum recognitionis; huic immorare quantum lubuerit: æquissimum enim est quotidie pro receptis beneficiis, ac præsertim quòd ad Religionem nos vocaverit, Deo gratias agere. Offert se tibi ingens de peccatis dolor & detestatio, ac constans quoddam propositum mille potiùs mortes oppetendi, quàm Deum vel levissime offendere; in eo subsistas: is enim unus de optimis & utilissimis est actibus, in quibus orationis tempore te exercas. Offert se deniq; vehemens in Deum amor,

amor, ardens salutis animarum zelus ac desiderium, & intensa laborum quorumcunque pro eadem suscipiendorum sitis; in ea persistas velim. Simul etiam occupare nos possumus in gratia tum nobis, tum proximo, tum universæ Ecclesiæ necessaria petenda, quæ est una & primaria orationis pars.

Oratio varios affectus habere potest. uti Psalmi. *Cassianus Coll. 9. c. 7. Nilus.*

2. Hæc omnia, & id genus alia in oratione pertractare fas est; & ea valdè bona suisq; numeris absoluta futura oratio est. Sic Psalmos Davidicos (qui sunt perfectissima quædam oratio) omnigenis variisque affectibus plenos esse cernimus. Propterea Cassian. & Abbas Nilus, orationem agro floribus omnis generis refertissimo, aut serto è variis variorum odorum flosculis contexto, similem esse dixerunt: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* (*Gē. 27. 27.*) Est & alia in hac varietate utilitas, quod sc. adminiculo eius, oratio nobis facilior reddi soleat, ac proinde diutiùs in ea possimus persistere & perseverare. Eiusdem enim rei perpetua repetitio, fastidium progignere solet, uti varietas contrà oblectat & recreat.

Ad rem unā certam obtinendā conatus nostri seriò referēdi sunt per tempus aliquod. *Vid. tract. 7. c. 3. & 9. & tra. 8. c. 1.*

3. Ergo quod dicere volumus, est, multum ad nostrum in spiritu profectum interesse, rem unam ad aliquod tempus cordi habere, serioq; curare, & in primis eam, quæ in anima maximè opus habere nos comperiemus; eique nos insistere debere, potissimùm in oratione, instanter illam à Domino efflagitando, & nos in illa semel iterumvé exercendo per diem unum atque alterum; hanc etiam præcipuo nobis studio curandam, & semper cùm præ oculis, tum animo insculptam habendam, donec tandem eo quod quærimus potiamur. Hoc enim modo etiam quælibet humana negotia pertractantur. Unde vulgò dicitur; *Liberet nos Deus ab homine unius tantùm negotii.* D. Thomas de oratione loquens, desiderium aliquod eo ait esse melius & efficacius, quo magis ad rem unam restringitur, atque ad hoc adstruendum adfert illud Davidicum: *Vnam petii à Domino, hanc requiram,* & semper postulabo, donec eius reddar particeps. (*2. 2. q. 83. ar. 14. arg. 2.*; *Ps. 26. 4.*) Qui penitiùs artem vel scientiam aliquam nosse cupit, non solet hodie unam, cras aliam, mox rursus aliam addiscere, sed ad aliquod temporis spatium uni totum sese applicat, quousque eam calleat & perdidicerit. (*Simili.*) Pari modo, qui in virtute quadam absolutus ac perfectus evadere studet, in ea se aliquanto tempore quàm maximè exerceat, orationem cunctaque exercitia sua, ad illam obtinendam dirigendo: præsertim, cùm virtutes omnes morales (ex doctrina eiusdem D. Thomæ) ita sint connexæ, id est, invicem colligatæ & consociatæ, ut, qui unam perfectè possederit, etiam reliquas omnes sit possessurus. (*1. 2. q. 65. a. 1.*)

Qui unā virtutem possidet, omnes tenet.

4. Quocirca, si veram humilitatē acquisieris, unà cum ipsa & reliquas virtutes acquires. Superbiæ fibras omnes stirpitus è corde tuo evelle, eiq; profundissimam humilitatem insere; nam hac habitâ, magnam quoq; habebis patientiam, & obedientiam, de nulla re conquirêris, omnis tibi labor exiguus, omniaque, etiam asperrima,

facilia

facilia leviaq; videbuntur, si cogites, quàm parum habere promerearis. Si humilitatem habueris, habebis & charitatem erga fratres; omnes namque ut bonos intueberis, teipsum verò solum ut malum: magnam quoque habebis judicii simplicitatem, & neminem dijudicabis: tam enim acutum proprias imperfectiones & nævos pervidebis ac senties, ut de alienis minimè sis laboraturus. Atque idem de cæteris virtutibus dicere possemus.

Oratio & examen particulare ad idem conspirent.

5. Consultum proinde etiam fuerit, præter hactenus tradita documẽta, ut examen particulare ei applicetur rei, qui applicatur oratio; & hæc invicem conjungantur, & ad eundẽ scopum dirigantur: hoc namque modo, exercitiis nostris omnibus eodem collimantibus, magnos profectui spirituali acervus accedit.

Accedāt etiam orationes jaculares per diem.

6. Plura etiam requirit Cassianus, nec satis esse putat in examine & oratione mentali, rei huic, qua maximè egebimus, insistere; verùm suadet quoque, ut sæpiùs per diem, per orationes jaculatorias, suspiria, ac gemitus cordis, animum ad Deum sustollamus; quin & alias pœnitentias, mortificationes, particularesque devotiones hunc ad finem suscipiamus,

Imò & omnia totius diei desideria.

uti postea pluribus sumus ostensuri. Nam si illa sit maxima mea necessitas; si istud vitium, passio, inclinatioque mala, maximè mihi dominetur, & in causa sit, cur in maiora vitia prolabar; si ab istius vitii extirpatione, & huius virtutis comparatione, vitiorum omnium eradicatio, & virtutum omnium consecutio dependet; sanè omnis, quæ huic rei impendetur, diligentia & labor supervacanea non erit, sed optimè collocata & impensa videbitur.

Tract. de orat.

Oratio fons omnia irrigans.

7. S. Chrysostomus dicit orationem similem esse fonti in medio cujusdam horti constituto, sine quo exsiccentur & arescant omnia; illius verò virtute vernent, floreant & rideant universa; sic ab hoc orationis fonte omnia irriganda esse, ab illoque omnes virtutum, obedientiæ, inquam, patientiæ, mortificationis, silentii & recollectionis, plantas in suo virore, vigore, & decore conservari. Sed enim, quemadmodum in horto vel pomario plerumque solet esse flos vel arbor aliqua præ aliis chara, pluris æstimata, & cui irrigandæ conservandæque peculiaris opera impenditur; ut, quamvis cæteris irrigandis desit aqua, huic tamen uni nunquam deesse liceat, & quamvis aliis colendis non suppetat tempus, huic colendæ semper suppetere debeat: ita & in animæ nostræ viridario plantarioque usu venit.

Vni tamē rei obtinendæ præ cæteris insistendū.

8. Omnia quidem in eo orationis aqua irriganda & conservanda sunt, semper tamen oculi in unam rem maximè & potissimùm conjiciendi sunt, in illam, inquam, qua magis indigebis: in illam præcipuè est intendendum, nec ad hanc excolendam unquam tibi deesse tempus debet. Et sicut, dum horto egrederis, illum præ reliquis florem seligis, qui tibi maximè arridet, eumque decerpens domum abis: sic in oratione illi præcipuè rei manus erit admovenda, quæ

ante alias tibi erit necessaria, hæcque tibi ex eadem colligenda.

Vnum quærendum, reliqua, si se offerant, acceptāda.

9. Per hoc sufficienter responsum manet communi illi objectioni ac quæstioni, num, scilicet, rectè fiat oratio, ex qua quis fructum elicit, exercitio ac rei, quam meditandam suscepit, conformem? Jam antè ostendimus, etsi in id præcipuè hominem collineare oporteat, quod ipsi maximè necessarium est; nihilominùs bonum cōsultumq; esse, aliarum quoq; virtutum affectus actusque exercere & practicare, congruenter mysterio, de quo meditatur.

Affectus voluntati firmiter inculcandus, nec trāscurrendū ad alia.

10. Sed notandum hic punctum non levis momenti: nimirum, in his ipsis actibus & affectibus, quos in oratione, circa virtutes in eadem occurrentes, concipiemus & habebimus, conformiter rei, de qua meditatio instituitur, non superficialiter ac perfunctoriè pertranseundum, sed maturè ac tractim manendum, quietè & per otium nos in iis detinendo, quoad nobis ipsis satisfaciamus, & eas nobis adhærere, & cor ab iisdem repleri imbuique sentiamus, etsi alioquin totam horam iis impendamus, prout suprà indicavimus. Plus enim valet ac prodest talis actus & affectus unus, dicto modo continuatus, quàm multos diversarum virtutum actus concipere, eosque nonnisi obiter percurrere.

Qui affectus plures transiliunt, nullum menti infigunt.

11. Una de causis, ob quas nonnulli non tantum quantum oporteret ex oratione proficiunt, est, quòd leviter & cursim per virtutum actus transeant, & velut subsultim per eos cursitent; occurrit hîc, v. g. mente actus quidam humilitatis, & quemdam humilitatis actum faciunt, & ilico ad alia transeunt: occurret mox non minùs commodè actus quidam obedientiæ, & unum actum faciunt obedientiæ, deinde alius patientiæ: itaque ad instar felium, per calentes quidem non tamen adurentes favillas discurrentium discurrunt. Hinc fit, ut, dum ab oratione surgunt, omnia oblivioni tradita evanescant, & perinde sint tepidi & immortificati, ac antea. Rev. P. Mag. Avila reprehendit illos, qui cùm in una re versantur, mox aliâ oblitâ, priorem missam facientes, ad aliam delabuntur: aitque Diaboli id impostura & arte fieri, ut nimirum; dum sic ex uno ad aliud, picarum instar transiliunt, omni orationis fructu eos privet.

Cap. 75. super Audi filia.

Vnā virtutē prius constanter menti infigas, antequam dilabaris ad alia.

12. Unde necessarium est, tamdiu virtutis alicuius affectibus & desideriis immorari, donec ea sit animæ nostræ inserta & impressa. V. g. actum contritionis & doloris de peccatis exercere cupis? tamdiu in eo permaneas necesse est, quo ad ingentem peccati horrorem & detestationem in te experiaris, dicasque cum Propheta: *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum:* istud enim firmum te faciet propositum concipere, mille potiùs mortes obeundi, quàm vel unum peccatum lethale admittendi. Unde benè sanctus observavit Augustinus, homines, quòd quædam peccata abhorreant, ac detestentur, verbi gratia, blasphemiam in Deum, parricidium, ideò illa nonnisi rarissimè committere: contrà verò alia peccata, ait, consuetudine ipsa viluisse; quòd,

Psal. 118. 163.

In Enchirid.

quòd, inquam, homines consuetudine horrorem & metum horum amiserunt, hinc facilè in illa præcipitant. Pari modo, si te in humilitate velis exercere, tamdiu in affectu ac desiderio contemptus vilipendiique te detineas necesse est, donec affectus hic & desiderium animam tuam penetret, & omnes superbiæ elationisque fumi atque impetus evanescant & pereant, teque sentias ad contemptum & parvam tui æstimationem inclinari, de reliquarum virtutum affectibus & actibus idem est sentiendum.

Cap. 75. super Audi filia.

Consuetudo reddit virtutem facilem.

13. Unde etiam liquidò patebit, quanti ad profectum nostrum spiritualem momenti sit futurum, rem unam tantum cordi habere, & modo jam explicato in illa insistere ac perseverare. Si enim duraret in nobis affectus & desiderium contemptûs ac vilipendii, vel alius similis affectus, unâ horâ manè, altera vesperi, & rursus tanto temporis spatio die sequenti; certum est, longè alium in corde nostro affectum excitandum, aliaque virtutem ratione in animam nostram impressum iri, & penetraturam, quàm si tantùm obiter eam percurramus. *Quemadmodum*, inquit S. Chrysostom. *una solùm pluvia atque irrigatio, terræ, etsi alioquin feracissimæ, non sufficit, sed frequenti imbre & humectatione opus habet; sic, ut virtus animæ nostræ infigatur & imprimatur, multæ orationis irrigationes præcedant oportet.* Et ad hoc confirmandum, affert illud Psalmistæ: *Septies in die laudem dixi tibi.* Septies, scilicet, per diem animam ipse suam orationis aquâ rigabat, & in uno eodemque affectu se detinebat, sæpiùs eum iterando: id quod in multis Psalmorum locis videre est. Certè in uno vicies & septies repetit: *Quoniam in æternum misericordia eius;* divinam misericordiam sic deprædicando & exaltando. Et in alio, in quinis solùm quos habet, versibus, undecies nos ad laudandum Deum excitat atque invitat. & Christus ipse suo nos exemplo hunc modum orandi, & in una eademque re perdurandi docuit in oratione ad Patrem in horto fusa: neque enim satis illi fuit, semel hanc orationem fundere, sed sedulò & tertiò ad eandem iterandam rediit, *eundem sermonem dicens.* Et addit Evangelista, postremâ vice prolixiùs eum orasse, quàm prima, diutiùs in oratione perseverando: ut nos edoceret, in una eademque re, dum oramus, insistere, idem bis tertiové repetendo & resumendo. Hoc namque pacto, & per hanc perseverantiam & constantiam fore, ut virtutem & perfectionem desideratam adipiscamur.

Vna virtutē prius constanter menti infigas, antequam dilabaris ad alia.

Psal. 118. 163.

In Enchirid.

Psal. 118. 164.

Psal. 135.

Psal. 150.

Matt. 26. 44.

Caput XVI.

Traditur modus inter orandum uni rei diu insistendi: nec non praxis cuiusdam modi orandi cumprimis utilis, ut nimirum ad casus particulares descendatur.

Quomodo eidem affectui possimus insistere diu.

1. Reliquum est, ut tradamus modum nobis tunc servandum, cùm affectum in una eademque re longo tempore detinere & fovere volemus; cùm tanta inde utilitas,

litas, uti antè diximus, emergat. Commune ordinariumq; medium, quod ad hoc dari solet, in eo positum est, ut idem actus affectusque voluntatis continuetur, vel is subinde iteretur & repetatur: perinde ac si quis rotam jam volventem de novo manu impelleret, ne interquiescat; vel ligna camino ad ignem alendum adderet.

Prima consideratio subinde repetenda.

2. Ad hoc autem interdum juverit, primam illam adhibere considerationem, quæ in principiò hunc in nobis affectum & desiderium excitavit; & allaborare, ut voluntas, quando eam intepescere cernimus, per hanc ipsam expergefiat, cum

Ps. 114. 7. Propheta dicentes: *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* Vide, inquam, anima, quanti tua id referat, & quàm rationi sit consentaneum, ut pro Deo hoc facias, cui tot nominibus es obstrictus.

Deficiẽte prima consideratione, alia est quærenda.

3. Quòd si verò prima isthæc consideratio ad nos excitandos parum profuerit, nec nos emoveat; alia nova consideratio erit adhibenda, vel ad aliud punctum transeundum. hac de causa puncta varia præparata semper nos habere par est, ut, postquam unum, à quo minimè ultrà permovendi videmur, decursum fuerit, transeamus ad aliud, & rursus ad aliud: quod nos de novo emoveat, & affectum erga id, quod volumus, concitet.

Idem affect⁹ variè, uti cibi, condiendus est nova consideratione.

4. Præterea sicuti hoc in mundo, ad evitandum fastidium, quod ex assidua unius cibi sumptione sequi solet, diversimodè illum condire consuevimus, ut novo illo condimento novus esse, novumque nobis saporem dare videatur: pari modo, ad multo tempore in una eademque re in oratione (quæ animæ nostræ cibus & alimentum est) perseverandum, consultum fuerit diversis eam modis condire. Id autem fiet interdum ad aliud punctum, & aliam considerationem transeundo, uti paulo antè dicebamus: quoties enim quis per diversam rationem & considerationem in una eademque re movetur & incitatur, toties alio atque alio modo eam quodammodo videtur condire, sicque ea velut nova redditur. Præterea, esto nec nova adhibeatur ratio, nec nova consideratio; ipse unius eiusdemque virtutis affectus diversimodè coqui & condiri potest.

Varii modi eiusdem affectus humilitatis cõservandi.

5. Exempli instar sit hoc meditabitur quis de humilitate? poterit is interdum in propriarum miseriarum & infirmitatum cognitione occupari, seipsum ob easdem confundendo, despiciendo; interdum verò in se desiderio excitabit, quibus despici, parvipendi, ac negligi cupiat, humanam opinionem & æstimationem flocci-faciendo, aut potiùs omnia ceu vanitatem deridendo; interdum quoque consideratione criminum & flagitiorum, in quæ quotidie toties impingit, sibi ruborem incutiet, ac confundetur, veniamque illorum, & media evitandi efflagitabit: aliàs bonitatem Dei se tamdiu tolerantis admirabitur, cùm nec ipsi quidem nos invicem aliquando tolerare possimus:

mus; aliàs denique immensas illi aget gratias, quòd se in alia majora peccata prolabi non sit passus. Hoc pacto, perque hanc varietatem evitatur fastidium, quod perpetua eiusdem rei continuatio adferre solet, ac facile ac sapidum redditur in eiusdem virtutis actibus affectibusq; perdurare & perseverare; sic enim ipsa magis in cor penetrat, profundiusque defigitur: quia sicut lima, quoties per ferrum transit, toties aliquid de eo deterit; ita quoties actum aliquem humilitatis, alteriusvé virtutis facimus, toties aliquid de contrario vitio tollitur ac deraditur.

Actus repetiti virtutē augent.

Ad particulares virtutis actus descendendum.

6. Præter hunc, est & alius in oratione, in una eademque re ad multos dies perdurandi modus, isq; facilis & utilis, ad particulares, scilicet, casus descendere. Notant hic vitæ spiritualis Magistri, non debere nos esse contentos, generale quoddam & in communi, ex oratione, Deo serviendi, proficiendi, aut ad perfectionem adspirandi, desiderium aut propositum concipere, sed ad id singillatim nobis descendendū, in quo nos magis Deo servire, & gratiores esse posse novimus. Satis quoque esse non debet, generalem quendam erga virtutem, etiam particularem, affectum colligere, ut, scilicet, velimus in genere esse humiles, obedientes, mortificati; isthoc enim generale desiderium & velleitatem etiam scelerati quique habent.

Varii modi eiusdem affectus humilitatis cōservandi.

Virtus in genere nulli non amabilis.

7. Nam quoniam virtus ex se pulchra est, honorabilis, & magnæ tam quoad hanc vitam, quàm aliam utilitatis, facile est illam sic in genere amare & desiderare. Sed in hac ipsa virtute, quam desideramus, ad casus particulares descendamus oportet: verbi gratia, si magnam quandam cū Dei voluntate conformitatem acquirere volumus, in particularibus rebus nos ei cōformare studeamus, v.g. tam in adversa, quàm prospera valetudine, æquè in morte, ac in vita; in tentatione non minùs, quàm in consolatione. Si de humilitate etiam impetranda agitur, ad particularia descendendum, casusque speciales notandi, in quibus nostri despectus & contemptus occasiones plerumque occurrere solent, vel possunt: & sic de reliquis virtutibus. Hi namque casus particulares maiorem difficultatem in sui praxi involvunt, & in his virtutis est difficultas sita, & per hæc ipsa magis apparet & probatur ideo hæc quoque optima illius habendæ sunt media.

A paruis ad magna ascendendum.

8. Præterea rebus minoribus ac facilioribus sumendum initium & exempla praxeos, deinde ad graviores, quas nobis maiorem, si occurrerent, facturas difficultatem putamus, descendendum: atque ita semper aliquid addendum, & altiùs paulatim ascendendum, ita nos in iis exercendo, ac si eæ nobis reipsa offerrentur; donec eò tandem perveniamus, ut nihil omnino in hac ipsa virtute, quam desideramus, remoræ vel obstaculi sentiamus, sed omnia perfringamus, & nihil occurrat difficultatis aut tam arduum, quin speremus, ac de triumphemus.

Præludendum imaginariis artibus.

Præsētes occasiones arripiendæ.

9. Cùm verò postea quædam eius exercendæ occasiones reipsa se offe rent:

cent: in illis nos præ aliis exerceamus, nos scilicet ad eas superandas fructumque inde capiendum disponendo, quisque pro ratione status sui. Quinimò servus quidam Dei dicere solebat, semper aliquid nobis in oratione proponendum esse, quod illo die usurpare & practicare velimus. Unde colliges, quàm ad particularia in oratione descendere nos spiritus directores velint.

Quotidie aliquid exequendum. Cap. 14.

10. Est hoc inter cætera, in quibus nos in oratione cum fructu exercere debemus, non postremum: nam, uti antè dictum est, oratio nostra esse debet practica, id est, ad operationem, directa & destinata, & eiusmodi, ut nobis in virtute, quam spectamus, operanda & exequenda, difficultatibusque in eius exercitio occurrere valentibus, perfringendis, & repugnantia omni pervincenda, sit adjumento. Permagni proinde refert, ut primùm in hac re nos exerceamus, nostrique aliquod periculum faciamus, more strenuorum militum, qui antequam verum cum hoste conflictum ineant, se solent imaginaria pugna, hastiludiis, torneamentis, & velitationibus arenariis, aliisque exercitiis militaribus exercere, ut, cùm revera manus cum hoste conferendæ erunt, præparati exercitatique inveniantur. Unde Cassianus exercitium, hoc, tum ad vitia superanda, ac passiones edomandas, tum ad virtutes, obtinendas, mirificè commendat.

Collat. 19. c. 19.

Epist. de tranquill. anim. Consolat.

11. Plutarchus quoque & Seneca docent, ignaros non intelligere, quanti ad labores ipsos minuendos referat, cogitatione eosdem antè præcipere ac præmeditari. Perutile est, inquiunt, labores & difficultates semper animo agitare, sibiq; proponere, nam, sicut, qui semper facilia & delectabilia cogitat, torpidus & ignavus efficitur, &, cùm molestum & difficile quidpiam occurrit, turbatur, magnamque difficultatem in eo aggrediendo sentit; &, uti rebus delicatis ac mollibus assuetus est, tergum ilico obvertit, & de blandis gratisque rebus cogitare incipit: sic qui infirmitatum, exiliorum, carcerum, omnigenarumque adversitatum, quę in vita humana accidere possunt, cogitationi se assuefacit; longè, cùm hæc ingruent, paratior & magis dispositus erit: atque adeò plus perterrere hæc omnia principiò, quàm in extremo nocumentia afferre comperiet. Unde benè S. Gregorius: *Minùs jacula feriunt, quæ prævidentur*; & ictus animo præceptus non ita nocet, quàm inopinatus & derepentè ingruens. Constat enim, magis nos percelli ab hoste subitò & insidiis aggrediente, quàm ab eo cuius adventus præcognitus est & prævisus.

ad Helviam c. 5. Animus præmuniendus contra difficultates futuras.

Hom. 35. super Evangel.

12. Mirabile prorsus quo ad hoc exemplum de S. P. N. Ignatio legimus. Huic aliquando ægrotanti præcepit medicus, ne quem tristitiæ locum daret, utque omnes cogitationes tristitiam allaturas à se eliminaret. His auditis, secum cogitare ipse attentè cœpit, num res tam adversa & acerba accidere posset, quæ se molestia afficeret, & animæ suæ pacem & tranquillitatem perturbaret. Cumque cogitationis oculis plurima percur-

Lib. 5. c. 1. vita. Exemplũ præexercitati ad casus futuros.

percurrisset, nihil omnino reperit quo se contristari turbarique posse censebat; præterquam si quo casu aut infortunio (quod illum etiam maximè afficiebat) Societas nostra periret & dissolveretur. Cùm verò longiùs progressus ipse se examinaret, quamdiu hæc afflictio & pœna sibi duratura esset (si fortè isthæc dissolutio contingeret,) putabat se, si nullâ culpâ suâ evenisset, per horæ quadrantem duntaxat oratione mentem in Deum recolligendo, ab illa posse turbatione liberari, & pristinæ paci & solitæ mentis quieti hilaritatique restitui. Addebat insuper, eam animi quietem & tranquillitatem, integram etiam sperare se conservaturum, etiamsi Societas ut sal in aqua colliquesceret. Hæc itaque bona & perutilis orationis species est.

Iac. 5. 13. In difficultatib⁹ & ante eas ad orationem confugiendum.

13. S. Jacobus in Canonica sua scribit, *Tristatur aliquis vestrûm, oret*, ad orationem confugiat, & in ea consolationem & remedium inveniet. Sic, scilicet, Psaltes faciebat, uti de seipso testatur, *Renuit consolari anima mea, memor fui Deo, & delectatus sum*: id est, dolore & tristitiâ obrutus ad Deum recurrebam, ad ipsum cor meum sustollebam, & statim anima gaudio consolationeq; perfundebatur. Hæc Dei voluntas est, ac beneplacitum: cùm verò ipsi id placeat, cæteris omnibus placeat necesse est. Sicut ergo, postquam patiendi occasio, & labor aliquis se obtulit, bonum & consultum est ad orationem confugere, ut eum æqua mente, & cum utilitate suscipiamus: sic quoque permagni refert, hoc ipsum remedium antè usurpare, ne id nobis postea novum, sed facile admodùm & leve videatur.

Psal. 76. 4.

Hom. de avaritia. Aliud exemplum Iobi præmeditantis futura.

14. Unam de causis, cur in adversitatibus & ærumnis suis Job adeò fortis & constans fuerit, ait S. Chrysostomus fuisse, quòd illas eo, quo diximus, modo prævidisset, eas præmeditando, sibi in imaginatione diu antè depingendo, & in iisdem se exercendo, tamquam in re quæ sibi posset aliquando evenire. Sic enim id de se ipse testatur; *Quia timor, quem timebam, evenit mihi: & quod verebar, accidit.* Quòd si ergo tu id cogitatione non prævertisti, sed & in ipso desiderio difficultatem aliquam sentis, quid erit postea in effectu ac de opere ipso? Si etiamnum in oratione ipsa versaris, & procul adhuc ab occasionibus remotus, vires & animum, ad hoc vel illud officium, exercitium, laborem, contemptum amplectendum in te non sentis; quid erit, quando & extra orationem eris, & ipsa occasionis operisque difficultas te perterrefaciet, nec tibi Christi exemplum (quod te haud dubiè animat & vigorat) consideratione & meditatione proponis? Si etiam, postquam id instanter in oratione postulasti, se offerente occasione, deficis; quid erit, cùm non eris præmunitus, nec in oratione id efflagitasti? Si etiam, qui multa proposita facit, sæpè numerò impingit, quomodo non labetur, qui vel serò, vel nunquam, bonum propositum facit?

Proposita bona præmittenda.

Th. à Kempis.

Particulares casus prævidendi

15. Hoc si observetur, amplissimam sanè damus materiam circa unam eandemque rem in oratione, &

infiniti sunt, & hinc copia meditandi.

in uno eodemque affectu ad multas horas, imò dies continenter perseverandi. Casus namq; particulares, qui nobis possunt occurrere, & ad quos possumus descédere; innumeri sunt, quibus omnibus ut par esse & sufficere homo possit, non sanè parva res est. Ubi vero eò pertinges, ut te ad omnia animum & vires habere, & ad ipsa æquabili mente suscipienda, dispositum putes; noli credere idcirco, jam te ad summum & culmen pervenisse, nec rem confectam habere; nam adhuc grandis tibi restat via. Magna quippe est inter dictum & factum, inter desiderium & opus ipsum, differentia.

Executio longè difficilior proposito.

16. Certum est namque, opus desiderio longè difficilius esse: quia in opere ipsum objectum præsens adest, in desiderio verò solum imaginatio. Unde etiam sæpè usuvenit, ut in oratione simus ferventissimi, & quævis nos obstacula transcendere posse credamus; postea tamen, dum ad opus descendendum est, & occasio aliqua occurrit, procul nos ab eo quod proposuimus, abesse comperiamus. Proinde satis non est, hæc te in animo desideria sentire, sed danda tibi insuper opera, ut ea evadant talia, & tam efficacia, ut tandem in opus prodeant: ista enim sola virtutis probatio & experimentum est.

Confundere q; opus propositis non respondeat.

17. Si autem videris, opera tua à propositis dissentire, & occasione oblatâ alium te longè esse, quàm dum orationi insisteres, confundere, quòd nonnisi desideriis concipiendis oratio tibi deserviat; aut potiùs erubesce, quòd non vera, sed phantastica & imaginaria duntaxat, hæc desideria fuerint, cùm res vel levissima postea animum conturbet, inquietet, & te à proposito dimoveat. Atque ut faber ferrarius, cùm opus conficiendum benè & ex toto non successit, ferrum fornaci reinserit, ut ipsum recudat, & debitam ei det formam: pari modo tu ad orationis fornacem redi, ut isthæc tua desideria meliùs reincendantur, nec antè quiescet, quàm opus cum desiderio concordet & consentiat, ac nihil sit in quo offendas.

Gradus varii sunt in eadem virtute.

18. Imò, ne tum quidem, cùm ad occasiones pòst occursuras benè te sentis dispositum esse, totum credas confectum negotium esse; quia in uno eodemque opere varii ac multiplices sunt conscendendi gradus, antequam ad summam virtutis perfectionem homo perveniat. *Principiò* namque necesse est, ut in omnibus occasionibus occurrentibus patienter admittendis te exerceas: qui primus virtutis est gradus, Fer saltem patienter, si non potes hilariter & æquanimiter. Atque in eo te ad dies aliquot, aut etiam diutiùs, exerceas. Verùm licèt omnes occasiones occurrentes patienter jam perferre didiceris, nondum tamen finis, sed adhuc multum tibi restat viæ, antequam ad virtutis perfectiones pertingas. Nam, ut docent Philosophi, inde colligas quempiam virtutis perfectionem attigisse, si faciat eius opera promptè, faciliter & delectabiliter.

Virtutis signũ actus facilitas.

19. Vide ergo num humilitatis, paupertatis spiritûs, patientiæ, & reliqua

reliquarum virtutum opera promptè, facilè, & cum voluptate ac jucunditate suscipias: atque hinc concludere poteris, an virtutem jam planè sis assecutus. Vide, inquam, num tam tibi gratum sit despici ac contemni, quàm jucundum mundanis magni pendi & honorari. Atque hæc est regula, quam nobis S. P. N. assignat, ex Evangelio deprompta.

Ad absolutam indifferentiam exercendi sumus. 20. Vide num tibi tantum gaudii & jucunditatis afferat summa in victu, vestitu, & lecto paupertas, & quòd deteriora quæque quæ domi sunt, in usum tuum cedant, quantum avaro afferunt opes, abundantia & opulentia. Vide denique, num ita læteris mortificatione & cruce, ac mundus deliciis, quiete & voluptatibus. Quòd si igitur ad talem in quacumq; virtute perfectionem sit perveniendum, satis profectò habebimus, in quo nos, non una solùm die, sed pluribus, imò fortassis annis multis, exerceamus.

CAPVT XVII.

In ipsa mysteriorum consideratione tractim etiam nobis procedendum, nec succtim etiam nobis procedendum, nec superficietenus, & obiter illa percurrenda. Aliquot proponuntur media, ad hoc nobis usui futura.

Immorandum animo in mysterio meditando. 1. PErmagni quoque refert, in ipsa mysteriorum divinorum meditatione, uni eidemque rei diutiùs inhærere, nec obiter & præcipitanter eadem percurrere. Plus namq; utilitatis nobis afferet mysterium unum benè & convenienter consideratum & expensum, quàm multa curriculo decursa, ac levi manu inspecta. Hac de causa tanti in Exercitiorum libro S. P. N. ipsas Repetitiones facit, ut post singula exercitia statim unam atque alteram eorum repetitionem fieri jubeat, quod enim prima vice non invenitur, fortasse in altera invenietur perseverando: *quia qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.* Matt. 7. 8. Num. 20. 11.

Exempla huius documenti. 2. Moses semel petram virgâ feriens, aquam non elicuit, sed ictu iterato aqua manare cepit. Cœcum illum, de quo in Evangelio, statim simul Dominus visu non donavit, sed paulatim, & quasi per partes: Primò salivam oculis eius applicuit, rogans num quid videret? respondit ille, se quidem in confuso & rudi modo aliquid videre, sed quid sit, interstinguere non posse; *Video homines*, inquit, *velut arbores ambulantes.* Marc. 8. 24. tum Dominus denuo manus oculis admovens, eum ita persanavit, ut & clarè videret omnia, & visa ab invicem distingueret. Sensim dat sua dona Deus. Idem in oratione usu venit, nimirum, quòd, dum semel ac iterum ad rem eandem redimus, & in ea perseveramus, ipsa meliùs & ampliùs innotescat. Perinde ac dum quispiam obscurum aliquem locum ingreditur, initio quidem nihil prorsus videt; at, si aliquantulum in eo maneat, aliquid videre incipit.

Meditationis finis practica resolutio. 3. Particulariter autem, semper in ipsa rerum, quas meditamur, consideratione tam diu nos detineamus, oportet, donec planè illustremur, veritatem penitus perspiciamus, ab eaque convincamur, & id quod facto

opus est, resolutè proponamus. Hic namque inter fructus ex oratione eliciendos facilè primus est; in eoque pene nos fundari oportet, uti antè dicere memini. Cap. 9.

Affluente Dei visitatione copiosa est meditatio nostra.

4. Veniamus nunc ad media quæ nobis ad mysteria sic meditanda & ponderanda usui auxilioque esse poterunt. Quando divinam suam lucem Dominus emittit, animæque oculos illustrat, tanta mox se homini considerandorum, & in quibus se detineat, materia & seges effert, ut cum Propheta dicere queat: *Revela oculos meos, & considerabo* mysteria & *mirabilia de lege tua. Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit* post victoriam *spolia multa.* qui secundus locus declarat & explicat primum. Sic SS. Franciscus & Augustinus dies noctesque integras brevium illarum sententiarum, *Noverim te, noverim me,* &: *Deus meus, & omnia,* considerationi impendebant. Hic orandi modus non absimilis est illi, quo beatos illos cœli cives uti asserit Isaias, qui in divinæ illius Majestatis contemplatione defixi atque suspensi, incessanter ac perpetuò canunt, & identidem ingeminant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Idem & Joannes in Apocalypsi de mysticis illis animalibus, ante thronū Dei stantibus, affirmat: *Et requiem*, inquit, *non habebant die ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.*

Ps. 118. 18. & 162.

Isa. 6, 3.

Apoc. 4. 8.

Ad affluentē visitationem Dei opus est ut nos

5. Verùm ut eò perveniamus, faciamus oportet saltem quod in nobis est; assuescamus, scilicet, diu mysteriorum ipsorum considerationi insistere, singularia in iis occurrentia vestigando, & minutim enucleando; & multo tempore in hoc nos exerceamus. Unde etiam Gerson, unum de præcipuis, quæ ad orationem benè faciendam, adhibere possumus, mediis, quodque nobis huc valdè conferet, esse asserit continuum eiusdem exercitium.

disponamus praxi tentata.

2. p. Alphab. 76. lit. D. & Alphab. 77. lit. Z.

6. Non est ea res autem huiusmodi, ut verbis & argumentis doceatur, ut multis auditis concionibus ac discursibus, aut varios de orandi modo conscriptos tractatus legendo addiscatur, sed manu operi admovenda, & exercitatione practica. Quando mater filiolum docere vult modum incedendi, horam integram non impendit præscribendis præceptis, quæ ei in incedendo observanda sunt, dicēdo, ut hoc illove modo pedes figat, aut gressus inflectat; sed potiùs ipsum in eundo exercens, reipsa facit incedere; atq; sic demū puer incedere discit & assuescit. Hæc itaq; unica esse debet scientiæ huius addiscēdæ ratio.

Oratio non tam præceptis, sed exercitatione discitur.

7. Ac licèt verum sit, ad impetrandum donum orationis, ac aliud quodcunque supernaturale præsertim primum, uti est prima justitia, nullam exercitationem per se sufficere; sed à liberali & gratuita Domini manu hoc ipsum descendere debere: *quia Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia & scientia*; exigit nihilominùs divina eius Majestas, ut impetrata jam semel prima gratia, ad ulteriorem collaboremus, & in ea exercitatione nos &c. ipsi ita nos exerceamus, ac si hac solùm viâ & medio istud impetrare, & solo conatu nostro

Deus exigit cooperationem creaturæ.

Prov. 2. 6.

stro niti deberemus, quia *disponit omnia suaviter.* hinc opera gratiæ disponit & ordinat consequenter operibus naturalibus,& sicut reliquæ scientiæ atque artes exercitio laboreq; acquiruntur, sic etiam hanc labore & exercitio nos cupit edocere. Atque ut citharam continenter pulsando, quis fit citharædus; assiduè incedendo, puer incedere discit; ita semper orando, perfectè orandi habitum homo sibi comparat.

Pauci hodie Contemplativi & orationi dediti.

8. Atque huius exercitii defectu, & non usu, fieri ait Gerson, cur hodie tam pauci contemplativi inveniantur: cùm in priscis illis Monasteriis tam multos invenire viros esset orationis & contemplationis studio insignes; hodie verò vix unum orationis dono præditum reperias. Unde si apud eos de contemplatione sermo instituatur, non secus attoniti stupent, ac si quem peregrinâ & barbarâ loquentem linguâ, aut metaphysicas aliquas quæstiones tractantem audirent, quæ non intelligunt. Huius rei causam esse dicit, quod olim sancti illi Monachi assiduè se in oratione exercerent, &, quos de novo admittebant tirones, statim huic exercitio applicarent, utque hi ipsum familiare sibi redderent, omnimodis allaborarent: sicut cùm in S. Pachomii, tum in aliorum Sanctorum Monachorum Regula legere est. Quare suadet Gerson, Monasteriis omnibus, veluti maximi momenti rem, ut spirituales aliquos, doctos, & in orationis palæstra exercitos viros habere procurent, qui novitiis Religionem primùm ineuntibus, jam inde à vitæ spiritualis initio, orandi methodum tradant, & quo se in oratione exercere modo debeant, præscribant.

3.p.Constit.7.l.§.12.&4.p.c.10 §.1.

Iuvat ad artē meditandi Præfect' spiritus.

9. Et S. P. N. tanto monitum hoc affectu amplius & passim in suis Constitutionibus inculcavit, ut non modò in principio, in Domibus probationis, aliquem esse velit, qui Novitios hunc orandi modum doceat; sed in singulis etiam Collegiis ac Domibus Societatis, quendam rerum spiritualium Præfectum designari, qui studiosissimè attendat, quomodo in orationis exercitio studioq; quisque se habeat ac proficiat: quòd permagni rem illam esse ponderis intelligeret.

Et Amor Dei & rerum spiritualiū.

10. Aliud adhuc medium quod ad continuationem exercitii huius, in eoque perseverandum ac permanendum, non mediocriter adjuvabit, est insignis & excellens erga Deum & res spirituales affectus ac propensio. Sic de se testabatur Psalmistes, dum diceret, *Quòmodo dilexi legem tuam Domine? Tota die* & nocte *meditatio mea est*: in ea, inquam, meditanda omnis mea voluptas sita & gaudium. *Et meditabar in mandatis tuis quæ dilexi.* Si & nos Deum ex toto corde diligeremus, libenter noctu & interdiu de eo meditaremur, nec unquam nobis meditandi materia deesset.

Ps.118.97.

Ps.118.47.

Magna est vis amoris.

11. Quàm libenter mater de filio, quem tenerè diligit, cogitat? quàm parum etiam longè petitis mentis discursibus & considerationibus opus habet, ad eiusdem recordatione se oblectandam? statim ac

de illo loquitur, omnia illi introrsum viscera commoventur, & sine ulterioribus discursibus ac considerationibus lacrymæ illi ex oculis prorumpunt. Loquere viduæ de conjuge defuncto, quem maximè amabat, statim eam illacrymantem & suspirantem videbis. Itaque si tantum potest amor naturalis, & quid dico naturalis? si etiam lascivus & venereus amor ita sæpè amantem (ut videmus) absorbere solet, ut nonnisi de re amata cogitare posse videatur? quanto magis supernaturalis erga infinitam illam Dei bonitatem & pulchritudinem amor id præstabit? Longè namque potentior est gratia, quàm aut natura, aut culpa. Si Deus, unicus & solus thesaurus noster foret, statim in illum totum animi nostri desiderium & cor raperetur: *ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Libenter id quisque animo volvit & agitat, quod amat, & quo delectatur. Propterea de forti muliere ait Spiritus sanctus, *Gustavit & vidit.* Et alibi, *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus.* Gustus enim & delectatio præcedit visum, visus verò maiorem delectationem & amorem intensiorem causatur.

Matt, 6. 21.

Prov. 31. 19.

Psal. 33. 4

12. Ideò S. Thomas, hac de re agens contemplationem amoris esse filiam dicit, quòd ipsius fons & origo sit amor. Addit insuper, finem illius esse amorem, etenim ex eo quòd Deum quis amet, ad cogitandum & contemplandum de eo permovetur; & quò magis eum respicit, & profundiùs contemplatur, eo maiori erga ipsum dilectione fertur. Res enim ex se bonæ, si etiam contemplando inspiciantur, nos ad sui amorem invitant; & quò diutiùs & diligentiùs eas inspicimus, eò illas ardentiùs amamus, & maius ex eorum contemplatione & amore gaudium haurimus.

2.2. q. 180. art. 7. ad 1

Amor contemplationis mater & finis.

Caput XVIII.

Ostenditur practicè, in nostra situm esse manu, semper bonam orationem instituere, & ex eadem fructum optatum capere.

1. ORatio illa specialissima & extraordinaria, de qua superiùs locuti sumus, (*Cap. 4. & seqq.*) singulare & particulare Dei donum est, quod ipse indiscriminatim & passim omnibus non elargitur, sed ei duntaxat cui id gratuitò dare voluerit: at ordinaria ac simplex oratio mentalis, de qua modo ago, nemini unquam à Domino negatur. Graviter igitur errant nonnulli, qui credunt ideò se orationem facere non posse, & eidem habendæ ineptos esse, quòd sublimem & opulentam illam orationem & cōtemplationem non sint assecuti; cùm tamen prior illa orandi ratio & bona sit, & inprimis fructuosa, illiusque adminiculo & subsidio, ad ipsius perfectionis culmen possimus pertingere, atq; adeò hæc ad sublimem & elatam illam orationem, si eam nobis Dominus concedere voluerit, optima & commodissima sit dispositio. De hac ergo oratione in præsenti dicemus, quomodo, videlicet, in nostra per Dei gratiam

Oratio nis ordinariæ donum Deus nulli denegat.

gratiam sit potestate, eam semper optimè ac prout oportet, peragere, & aliquem ex ea fructum colligere. quod servo Dei maximæ profectò consolationi est.

Quomodo sit in potestate nostra oratio bona.

2. Duplici porrò via facillimè, ex iis quæ dicta sunt, colligere possumus, in nostra potestate esse bonam orationem. *Prior* est, quia modus orandi, quem S. P. N. nos edocet, in tribus animæ nostræ potentiis tunc exercendis consistit, ut scilicet memoria intellectûs oculis objiciat ac repręsentet punctum vel mysterium, quo de nobis erit oratio instituenda: deinde intellectu in ipsum punctum penetrandum est, discurrendo, meditando, eaque considerando, quæ voluntati excitandæ commodissima videbuntur: tum verò statim ipsi voluntatis affectus & desideria sequantur. Atque hoc tertium jam suprà diximus esse præcipuum, adeoque fructum, qui nobis ex oratione capiendus sit. Adeò, ut non in dulcedine sensuali, aut in consolationibus, quas interdum sentimus & experimur, oratio sita sit, sed in actibus, quos per animæ nostræ facultates concipimus. Hoc autem facere, semper in nostra situm est manu, quantumvis simus aridissimi & desolatissimi. Etsi enim ego pumice sim aridior, & saxo durior, in mea tamen potestate est, adjuvante Dei gratiâ, quendam detestationis ac doloris de peccatis meis actum elicere: item alium amoris Dei, alium patientiæ, alium humilitatis, alium desiderii quo ab aliis velim contemni & vilipendi, ut sic Christo Jesu, qui pro me despectus & spretus fuit, me conformem.

Orationis ordinariæ donum Deus nulli denegat.

3. Advertendum autem hoc loco est, non ideò quempiam dici posse bonam orationem facere, aut fructum ex ea haurire, quòd actus prædictos cum sensibili quadam consolatione ac voluptate peragat; vel quòd magno eorum quæ agit sensu ac gustu perfundatur: neque enim in hoc istorum actuum bonitas ac perfectio, nec eorundem meritum, consistit. Quod inprimis notandum est; quòd vulgò permulti in eo graviter satis decipi soleant, cùm contristentur & animo dejiciantur, existimantes se non rectè orare, quia fortasse tantum de peccatis & culpis dolorem, & tantum erga virtutes affectum & desiderium, quantum vellent, in se non sentiunt. At hi sensus ab appetitu sensitivo duntaxat proficiscuntur; voluntas verò potentia spiritualis est, nec ab illo ullatenus dependet: proinde necesse non est, tali quempiam suis in actibus sensu affici; sed satis est, id voluntate desiderare.

Bona oratio à voluntate non ab appetitu sensitivo, dependet.

4. Quare Theologi & Sancti Patres, de contritione ac dolore peccatorum tractando, pœnitentes per hoc consolari solent, dum, hi peccati mortalis gravitatem ad animum revocantes contristantur, quòd in lacrymas toti nequeant resolvi, nec sensibilem illum dolorem in se sentiant; cùm ipsi etiam sua viscera præ dolore vellent disrumpi. Docent ergo, veram contritionem ac dolorem peccatorum non tam in appetitu sensitivo, quàm in sola voluntate cõsistere:

Contritio vera, quã Deus exigit, est semper in nostra potestate: non illa sensibilis cõsolatio.

ſiſtere: Ideo ſcilicet, te flagitiorum tuorum te pœniteat ac pigeat, quòd per ea Deum offenderis, qui præ omnibus & ſuper omnia amore dignus eſt. Hæc enim vera eſt contritio. Illum verò alium ſenſum, ſi quando eum Dominus dare dignatus fuerit, cum magna gratiarum actione admitte; ſi negaverit, grave id tibi ac moleſtum non videatur, cùm tale quid Deus à te non exigat. Certùm enim eſt, id illum à nobis non petiturum, quod in noſtra non eſt manu ac poteſtate: & ſenſus ille, quem habere velles, ſenſibilis quædam eſt conſolatio ac devotio, quæ in noſtra facultate ſita non eſt. Proinde nil aliud à nobis Deus Optimus Maximus efflagitat, quàm quod in noſtra eſt poteſtate, dolorem, inquam, quendam voluntatis, qui ab nulla harum rerum dependet. Quod etiam de actibus amoris erga Deum dicendum eſt; ut illum ſcilicet, ex tota voluntate noſtra ſuper omnia creata diligamus: qui amor & fortis & appretiativus eſt, &, quem Deus à nobis expoſcit: alius verò, tenellus eſt, nec in noſtra manu conſiſtens. Idem de aliarum virtutum actibus, & omnibus bonis propoſitis, quæ concipimus, eſto judicium.

Idem de amore Dei ſentiendum.

5. Rei huius veritas, è ſuo contrario longè fiet manifeſtior: certum namque eſt, eum, qui ſolâ voluntate peccatum mortale cupit committere, & in ipſum conſentit, etiamſi alioquin alium ſenſum delectationemq; ex eo non percipiat, mortaliter peccaturum, adeoque inferni propter hoc ſupplicia promeriturum; ſic cõtrà ubi bonum dumtaxat volet, tametſi aliam ex eo delectationem ac ſenſum nullum habeat, Deo placiturum, ac cœleſtem gloriam promeriturum; præſertim cùm Deus ad præmiandum ſit, quàm ad caſtigandum paratior. Quin imò ſit non raró, ut eiuſmodi actus, quando ſic aridè ſine ullo guſtu ac ſenſibili conſolatione aguntur, magis ſint meritorii, Deoq; gratiores; quòd tunc puriores ſint, fortiores, & durabiliores, & homo tunc plus de proprio in eos conferat, quàm dum devotionem ſenſibilem experitur. Adeoque actus iſti indicia ſunt ſolidioris virtutis, & voluntatis in Dei ſervitio firmatioris.

Sola voluntas ſine delectatione ad peccatũ mortale ſufficit. Ergo & ad meritum.

Actus deſolati hominis ſæpè plus merentur.

6. Qui enim tales actus ſine ullis adminiculis, ſine ullo delectationis guſtu ac conſolatione ſpirituali peragit, quid faceret, poſtquam ſuppetiis ſuffulciretur? Rectè ſciteque R. P. M. Avila ſic ait: Prior ille, ceu infans lactens, inter brachia quodammodo adhuc geſtatur; hic poſterior verò, inſtar provectioris, ſuiſmet nititur & incedit pedibus. Bloſius huiuſmodi comparat iis famulis, qui ſuis ſumptibus ac diſpendiis alicui domino famulantur. Permagni verò refert, ut huic orandi modo aſſueſcamus: plerique enim mortalium magnam ut plurimum in oratione mentis ariditatem ſentiunt, aliæ verò illæ conſolationes & guſtus nonniſi extra ordinem contingunt.

Qui ſine ſolatiis erat, ſuis impendiis militat.

M. Avila.

In Monili ſpirit. c. 3.

7. Quemadmodum ii qui per altum mare triremi vehuntur, jam vento deficiente, ipſo remorum impetu propelluntur: ſic qui ſe in oratione exercere ſtudent, quando proſpero illu-

Conſolatione deficiente potentiis animę utendum.

illustrationum & blanditiarum divinarum vento destituuntur, potentiarum suarum, à Spiritus sancti gratia impulsarum, remis progrediantur oportet, etsi alioquin ea tam copiosa non sit, nec abundans.

Oratio est medium ad perfectionem,

8. *Secundò*, possumus hanc potestatem Hominis quo ad bene orandum, ita demonstrare, & viam ostendere, qua facile ad eam perveniatur. Oratio enim (uti diximus *Cap.* 14.) non est finis, sed medium, tum ad proficiendum in spiritu, tum ad passiones & pravos habitus nostros edomandos, usurpandum, ut vitâ penitus complanatâ, & impedimentis obstaculisque submotis, Deo totos nos dedicemus. Quando ab oculis Pauli Apostoli squamæ & albumina, partim per lucem illam cœlestem, partim per vocem illam divinam, *Ego sum Iesus, quem tu persequeris*, causata ceciderunt; quàm mutatus subitò, convictus, resolutus, & ad voluntatem Dei faciendam flexilis redditus est, dicens, *Domine, Quid me vis facere?* Ecce bonæ orationis fructum. Applicemus hanc rem nostro proposito, & squamas ab oculis quorundam removeamus. Suprà quoq; *Cap.* 16. dicebamus, satis nobis esse non debere, generalia quædam in oratione proposita ac desideria concipere, sed sigillatim & in particulari ad id esse descendendum, quo maximè indigebimus: adhæc, animum nos præparare & omnimodis communire debere ad occasiones quæ interdiu occurrere possunt ac solent, æquanimiter excipiendas, & ad in omnibus cum ædificatione aliorum procedendum.

Act. 9. 5.

In potestate nostra est scire in digentiã suam, ad eam ergo quisque orationẽ referat.

9. Nunc, ut ista proposito nostro applicemus, semper, per Dei gratiam, in nostra manu id situm est; semper quippe oculos animumque intendere possumus in id, quod præ ceteris & maximè nobis est necessarium. Hic ergo in humilitatem, ille in patientiam, alius in obedientiam, alius denique in mortificationem ac resignationem sui, oculos mentis conjiciat: & eorum quisque ab oratione valdè humilis, valdè resignatus & indifferens, ac sui mortificandi, voluntatisque cum divina conformandæ cupidissimus, surgere contendat; illudque cum primis semper ex oratione colligere studeat, ut illo die benè, & cum ædificatione proximi, vivat, pro suo quisque statu & vocatione. Quod si feceris, næ tu bonam utilemque orationem habueris, & meliorem haud dubiè, quàm si multis in ea lacrymis & sensibilibus consolationibus perfusus fuisses.

Imo ipsum carere copia, & habere distractiones est materia bona meditandi miseriã suam.

10. Hoc si quis faciat, nullam dolendi contristandique causam habebit, quòd multos discursus & considerationes non habeat, aut aliis piis sensibus devotionibusque non reficiatur: neque enim in hoc orationis vis & perfectio consistit, sed in illo, de quo antè sumus locuti. Ipsas quoque distractiones, & omnes, quæ invitos nos importunè inter orandum inquietare solent, cogitationes, (de quo ordinariè conqueri solemus) parvifaciat. Ubi ergo eas advertis,

& ad teipsum reflectis; in id statim oculos manumque conjice, quod tibi necessarium esse videris, nec non in fructum quem te ex oratione colligere oportebat: Sic quippè resarcies & compensabis tempus, quod per alienarum rerum cogitationem inutiliter tibi effluxit; teque de dœmone, qui per inconvenientes illas suggestiones & cogitationes orantem te ita distrahere conatus est, quodammodo vindicabis. Perutile sanè istud est monitum, orationem benè facere volenti. Quemadmodum viator, cum aliis iter ingressus, si quando in via aliquantisper dormivit, sociis eum multum prægressis, jam expergefactus, tanta celeritate progreditur, ut eos consequatur, & uno horæ quadrante tantum itineris conficit, quantum fortasse horâ tota confecisset, si non dormisset. Simili industria tibi utendum, nimirum, ut quando distractione diuturna abreptus, ad teipsum redis, ultimo horæ quadrante ita sedulò & naviter negotium tuum in oratione agas, ut eo spatio tantum facias, quantum horâ integrâ fecisses, si attentior fuisses.

Cap. 14. Post distractionem ferventiora proposita faciẽda, & in examine suppleas quod meditationi defuit.

II. Teipsum ergo tunc, resque tuas examina, & dicito, Quidnam erat quod ex oratione colligere volebam? quem ex ea fructum decreveram decerpere? An non humilitatem, indifferentiam, resignationem, an non denique quandam cum Deo conformationem? hunc ergo ex ea colligam, frendente licet & invito diabolo? Cùm verò comperies, toto orationis tempore nil te boni egisse, nec eum, quem prætendebas, ex ea fructum cepisse; sarciendum hocce dispendium erit in ipso eius examine (de quo postea loquemur:) & sic, quod in oratione peccatum est, utcumque supplebis, & semper aliquem ex ea fructum & utilitatem colliges.

CAPUT XIX.

Media quædam ac modis faciles, rectè utiliterq; orandi.

Serio se quisq; & simpliciter examinet de suæ vitæ ratione & profectu.

I. SUnt & alii quidam modi, iique admodum faciles, magno nobis ad orationem benè instituendam usui futuri; è quibus simul etiam liquidò patebit, quomodo semper in nostra potestate sit, bonam fructuosamq; orationem facere; adeoque orationem mentalem omnibus hominibus convenire, nec esse quemquam omnino, qui eam nequeat instituere. Primò ergo mirè huc facit, quod nonnulli vitæ spiritualis magistri hîc commonent. Suggerunt igitur, ut omnem ab oratione fictionem, fucum atque artificium affectatum excludamus; sed ita nos in ea geramus, uti se vulgò homines in temporalibus suis negotiis gerunt. Hi primum seriò secum meditantur quid agant, quem ea successum habeant; & quænam adhuc meliùs eadem peragendi ratio. Non aliter servus Dei se simpliciter & sine ullo artificio, quoad orationem, examinet oportet, à se petendo; Quomodo profectus ac salutis meæ negotia se habent? Hoc

unum namque nostrum negotium est, nec alia de causa vitam hanc vivimus, quàm ut in hoc sedulò incumbamus.

Formula se seriò examinandi.

2. Religiosus itaque rationes à se exposcens, maturè serioque apud se cogitet, ac percunctetur, Quomodo isthoc mihi negotium succedit? quemnam hisce decem, viginti, triginta, vel etiam quadraginta annis, quibus in Religione vixi, fructum feci? quid sum lucratus? quomodo in virtutibus, humilitate ac mortificatione profeci? prospiciam, quam reddere Deo rationem potero commoditatum, oportunitatum & mediorum, quæ in Religione ad peculium & talentum ab ipso acceptum, augendum amplificandumque, adeò commoda habui: &, si hactenus tempus meum non rectè impendi, nec aliquam ex eo utilitatem capere studui, meliùs posthac id impendam, atque operam seriam dabo, ne vita reliqua simili modo miserè effluat, aut sine fructu decurrat.

Serio se quisq; & simpliciter examinet de suæ vitæ ratione & profectu.

Officii sui rationem à se quisque serio exigat.

3. Pari modo quisque in suo statu, simpliciter, sincerè, ac sine arte ulla, apud semetipsum in particulari poterit exquirere, qua ratione in officio suo se gerat, quomodo id in posterum convenienter, & ex Dei beneplacito acturus sit, negotia sua Christianè tractaturus, familiam ac domum ita gubernaturus, ut, domestici ac subditi omnes Deo deserviant; quomodo denique æquanimiter occasiones, molestias, & gravamina sui status & muneris excepturus. In quo sanè satis magnam cogitandi, plorandi & corrigendi sui materiam inveniet. Et hic optimus & utilissimus quidam fuerit orandi modus.

Guliel. Paris. laudat Gersonem quoad exercitiũ Humiliationis.

4. Secundum sit medium bene meditandi quod seq. exemplo propono. Narrat de quodam Dei famulo Joannes Gerson, sæpiùs eum hoc modo de se referre solitum: *Quadraginta & amplius jam sunt anni, quibus omni, quo potui, studio & contentione orationis artem mihi comparare sum conatus; nullum verò ad benè orandum invenire potui medium efficacius, brevius, & compendiosius, quàm me instar pueri, vel pauperis mendici, cæci, nudi, & ab omnibus destituti coram Deo sistere.* Hoc orationis genus Prophetæ regio perfamiliare fuisse constat; modò quippe se vocat infirmum, modò pupillũ & orphanum, aliàs cæcum, nonnumquam inopem, denique mendicum, quorum nominum pleni eius sunt Psalmi. Quin & experientiâ scimus, multos, qui hunc orandi modum frequentarunt, sibique familiarem fecerunt, sublime quoddam orationis genus esse consecutos. Hoc ipsum & tu usurpa, & hac via Dominus tibi dare dignabitur id quod desideras. Oratio pauperis, optima est oratio. *Vide*, ait Gerson, *quantâ pauper patientia & humilitate præ foribus divitum parvam aliquam stipem exspectet, quàm seriò & festinè eò se conferat, ubi eleëmosynam scit erogari. Sicut ergo pauper, nudus & derelictus, magnâ submißione & reverentia ad januam divitis eleëmosynam petit, & aliquid neceßitati suæ ab eo remedium exspectat: sic & nos in oratione Deo sistamus, nostram indigentiam, neceßitatem, ac miseriam illi aperiendo, & à liberali munificaque*

De monte contemplat.

Pauperes in oratione imitandi.

manu eius levamen & opem exspectando. Ps. 122. 2. *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ*, exspectando quod ipsum datura est; *ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.*

4. Tertium medium exemplo explicatum. Abbas Paphnutius in abditissima agens solitudine, cùm multa de Thaide meretrice, quæ animarum multarum erat laqueus & pestis, quinimò nonnullorum jurgiorum & cædium causa, inaudisset; ipsius Deo lucrandæ, & ad meliorem frugem convertendæ studio accensus, habitu sæculari indutus, & pecunia instructus, urbem in qua ipsa commorabatur, adiit, ipsamque Deo, occasione ex aliquibus ejus verbis desumpta, convertit: cùm enim Paphnutius locum ad peccandum secretiorem peteret, ait ipsa, *Certus esto, hoc loco te à nullo mortalium videndum*, cui ille animosius respondens, ait: *sed oculos Dei, in quantumlibet secretum locum te abdas, effugere non poteris, quin ab iis videaris.* quibus verbis perculsa intra recessit. Ille Thaidam conversam in eremum abduxit, & cellulæ cuidam angustæ inclusit, ipsiusque ostium plumbeo sigillo obsignavit, unica duntaxat relicta fenestella, per quam illi quotidie panis & aquæ pauxillum daretur. Recedentem jam Paphnutium rogat Thais, ecquo orandi genere Deum iratum potissimùm sibi propitiaret? Respondit sanctus Abbas. Ore tuo immundo ipsum Dei nomen nuncupare non mereris, sed hæc tua erit oratio. Positis in terram genibus, & facie ad Orientem conversâ identidem dices, *Qui plasmasti me, miserere mei.* Itaque triennio continenter hunc orandi modum servavit, ipsum Dei nomen ore suo proferre non ausa, sed assiduè sibi sua peccata, & multitudine plurima, & gravitate horrenda, ob oculos ponens, & iis quibus à Paphnutio edocta fuerat verbis, misericordiam eorum & veniam à Deo efflagitans. Tantopere porro hæc Deo oratio placuit, ut, cùm exacto triennio, Abbatem Antonium Paphnutius consuleret, suæ ne Thaidi Deus peccata remisisset; suos Antonius Monachos evocatos nocte sequenti jusserit separatim apud se quemque in oratione vigilare, ut horum alicui Deus id revelaret, ob quod Paphnutius eò venisset. Omnibus ergo orationi incumbentibus, Paulus, qui inter discipulos Magni Antonii facilè primus erat & præcipuus, vidit quendam in cœlo lectulum, pretiosis cortinis & stragulis adornatum, eumq; à quatuor virginibus septum custodiri. Ergo tam pretiosum cubile conspiciens, cogitans, apud se, dicebat: *Nulli alteri merces & donum hoc reservatur, quàm Patri meo spirituali Antonio.* Hæc animo voluenti, allapsa subitò vox de cœlo, quæ diceret, *Thalamus hic non Patri tuo Antonio, sed Thaidi peccatrici præparatus est.* Et, ecce, quindecim pòst diebus Thais ad gloriam illam, ac cœlestem thalamum à Deo est evocata. Hæc ergo orandi formula tibi sufficiat, ac cogites, indignum te esse, nec promereri ut aliam usurpes; & magis fortassis hac oratione, quàm alia qualibet, quàm tibi fingis, Deo placebis.

Pratum spirit. Villegas in Exvagant.

Dei nomen peccatrix nō inare nō audet.

Quartū medium etiam exemplo ostenditur.

5. Extat tractatus spiritualis manuscriptus, quem de frequenti communione Monachus quidam Carthusianus conscripsit, in quo res quædam singularis de S. P. N. Ignatio, eiusque sociis refertur, quàm auctor à viro fide digno se asserit accepisse. Est autem hæc. *Cùm illi pro more, pedibus, & sarcinulis suis onusti iter Barcinonem versus haberent; vir quidam pius eos intuitus, compassione motus est, seq; ad sarcinulas eorum gestandas ultrò obtulit, easq; instantissimè sibi petiit imponi; quòd enim valido esset corpore, iis se ferendis parem ajebat. Etsi verò illi eas initio dare recusarent; tandem tamen importunioribus eius precibus victi dederunt, iter suum prosequentes. Postquam jam ad diversorium ventum esset, sibi quisque Patrum angulum quæritabat, in quo se recolligeret, Deoq; se commendaret. Quod Bajulus ille conspicatus, etiam sibi angellum quæsivit, in quo se, ad illorum imitationem, adorationem genu flexo componeret. Iter suum Socii resumentes, ex occasione percunctati ex illo sunt, ecquid in angulo illo faceret? quibus ille: Hoc ago & dico, Domine hi tui sunt servi, & ego ipsorum jumentum: quod ipsi faciunt, etiam ipse facere volo: & hoc ipsum Deo offero.* Addit auctor, ita virum illum per hanc orationē profecisse, ut admodum spiritualis dein factus, sublime quoddam & eminens orationis genus sit assecutus. Et quis nostrûm similem orandi modum, si modò velit, habere non queat?

Mira oratio humani bajuli sarcinarum S. P. Ignatii, & sociorum.

Quintus Modus orandi humilis cuiusdā

6. Novi ego senem quemdam in Societate nostra Patrem, & quidem insignem concionatorem, qui aliam multo tempore orationem non faciebat, quàm magna cum humilitate & simplicitate Deo dicere, *Domine ego sum bestia, & orationem facere nescio, tu me quæso illam doceas.* Atque hac ipse oratione mirificè in spiritu profecit, & ad eminentem orationis gradum pervenit, ut verè in eo locum habuerit illud Psalmographi; *Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Tu itaque te humilia, teque ut jumentum apud Deum esse crede; & Deus tecum erit. Multum namque apud Deum potest ipsa sui humiliatio, ut ista quis apud divinam Majestatem egregiè rem suam agere, magnasque gratias queat impetrare.

Patris exemplo monstratur.

Ps. 72. 23.

7. Quocirca sancti Patres maximi momenti rem hîc advertunt; scilicet, sicut humilitas optima est doni orationis obtinendi ratio, ita & orationem optimum esse humilitatis tum impetrandæ, tum conservandæ & augendæ medium debere. Proinde, eum qui benè orare vult, ex oratione semper debet maiore cum humilitate & confusione sui surgere. Unde sequitur, eum, qui nescio cum qua satisfactione & vana sui complacentia, occultaque suiipsius æstimatione & opinione, ab oratione surgit, ratus jam multùm se profecisse, & paulatim in hominem spiritualem evadere, orationem suam ut suspectam habere debere. Si ergo dixeris, magnas multasque te habere considerationes non posse, nec ad sublimes contemplationes ascendere; humilia te, & vel animi demissionem ex oratione elicere stude: nam cur ab hoc te excuses, nulla prorsus subest:

Greg. li. 2. in Ezech. hom. 12. Chrysost. hom 4. de pœnit. to. 5

Oratio & humilitas sibi invicem causæ.

Vana cō-placentia orationis tinea.

est ratio. Atque ista demum optima erit oratio.

Sextus Modus orandi.

Lib. 1. epist.

8. Quando quis in oratione colligere mentem nequit, sed variis hinc inde cogitationibus & tentationibus agitatus, ab ea præpeditur, bonum est ad eam adeundi medium, quod R. P. M. Avila, in quadam epistolarum suarum proscribit: *Abjice te,* inquit, *humiliter ad pedes Christi, ac dicito: Domine in quantum hoc, mea culpa est, summopere sinè eius me pœnitet, necnon occasionis & causæ, quàm à parte mea dedi: at, in quantum tua voluntas est, necnon pœna gravium peccatorum meorum aliàs commissorum, & præsentium negligentiarum & imperfectionum meritò commerita castigatio; quàm libentißimè eam accepto, summæq; mihi voluptati est, hanc à sanctißima manu tua crucem, ariditatem, distractionem, desolationem & derelictionem spiritualem accipere. Isthæc patientia & humilitas, valdè bona erit oratio, Deoq; longè fortaßis acceptior illâ, quam ipse meditatò fundere volueras:* ut postea pluribus ostendemus. Trac. 8. c. 27.

Modus orationē compensandi.

In vita.

9. B. P. N. Franciscum Borgia, quo die sibi bonam orationem fecisse non videbatur, eo se magis mortificare, maioreque in omnibus operibus suis diligentiâ & circumspectione ambulare studere solitum scribitur, ut hoc pacto quadamtenus commissum in oratione defectum suppleret, quod non ipse modò faciebat, sed ut & omnes sui idem facerent, auctor erat. Hoc bonum medium est, ad omnes in oratione admissos defectus resarciendos, tum etiam futurum, ad bene orationem instituendam.

Nilus de orat. c. 17. & 26 in Bibliotheca Patrum.

In oratione Deus punit mala, & bona retribuit.

10. Hinc Abbas Nilus agens de oratione. Quemadmodum, inquit, si quando interdiu defectum aliquem, nostri obliti, committimus, & delinquimus; statim illius Deus à nobis in oratione pœnam repetere videtur, vultum suum in ea avertendo, ita vice versâ, si quando in re quapiam nos mortificavimus, & superavimus quamprimum istud in oratione experimur, ut eius operis laborem præsenti veluti mercede, non dilatâ solutione, nobis persolvere velle Deus videatur. *Quidquid durum & asperum, patienter tolerabis, & fructum laboris tempore orationis reperies.*

Nihil admittendū quod orationi adversetur.

11. Aliud quoque idem sanctus Abbas benè orandi medium, & bonum inprimis, ac jam dictis conforme assignat, his verbis: *Si orare desideras, nihil facias eorum, quæ orationi adversantur; ut tibi appropinquet Deus, & tecum ambulet, magnasq; tibi gratias conferat.* Et hoc generatim omnibus persuasum sit, servo Dei in primis esse curandum, ut cor suum expurget, se mortificet, ab omni sibi crimine caveat, semperque id propositum habeat ac decretum, quidvis potiùs pati & amittere, quàm vel unum letale crimen committere. In hoc se in oratione in primis fundet, huicque identidem insistat, ac sæpiùs id iteratis actibus repetat: hoc enim quamdiu in ista vita mortali agimus, nobis pernecessarium est, & huic fundamēto inædificare quisq; nostrûm debet, quidquid postea perfectionis vult superstruere.

perstruere. Quod qui fecerit, næ ille perutilem fecerit orationem, nec ullam conquerendi, at potiùs magnam Deo gratias agendi occasionem habebit, etsi eminentius illud orandi genus non sit adeptus.

Sanctitas non est oratio, sed observatio divinæ voluntatis.

12. Neque enim sanctitas in eo consistit, quod præcellens orationis donum quis habeat, sed quòd voluntatis divinæ exactissimus sit observator. Unde etiam in eo Salomon sublimem illam & præclaram libri sui Ecclesiastæ concionem ac prænesin, concludit, dum ait, *Deum time, & mandata eius observa, hoc est enim omnis homo:* quasi diceret, In eo versatur omne hominis esse, & universum omnium obligationum eius complemētum, & hoc si habeat, sanctus & perfectus esse potest.

Eccles. 12. 13.

Desiderium bonę orationis supplet omnes defectus.

13. Adducam coronidis loco medium quoddam eximiæ omnibus cōsolationi futurum: quando, scil. in oratione illam inductionem, attentionem, devotionem, & intimam illam unionem, quam desideras, non sentis, operam saltem da, ut hoc ipsum ardenter velis & desideres, ita nimirum supplebis, quod tibi arbitraberis deesse. Neq; enim minùs bona hæc voluntas ac desiderium Deo satisfacit, quàm sublimis quædã & excelsa oratio: nec minùs voluntate hac sanctoque desiderio lætatur, quàm si tota anima amore liquefacta plenè sibi jungeretur. Hoc ipsum mediũ à Deo B. Virgini Gertrudi propositum fuisse testatur Lud. Blosius. Cùm n. Sancta hæc quodam tempore quereretur, quòd cor suum tam altè in Deum librare non posset, quàm aut ipsa vellet, aut facere debere sibi videretur; divinitus edocta fuit, satis Deo esse, quòd homo sincerè & ex animo ardens quoddam eius rei desiderium habere velit; quando exiguum, & fortè etiam nullum, ipse in se sentit. Tantum quippe homo coram Deo desiderium habet, quantum ipse habere vellet. Et addit: Deum non minùs libenter commorari ac deliciari in corde huiusmodi desiderium habente (desiderium, inquam ac voluntatem talis desiderii habendi) quàm aliquis nostrûm in vernantissimo ac floridissimo prato. Sublimi tua oratione Deus non indiget: aliud, præter cor tuum, non quærit, hoc unum spectat, hoc operis loco acceptat. Totum te illi in oratione offer, cor tuum illi repræsenta, ac tali in ea fervore versari desidera, quo ardentissimi Seraphini coram eo consistunt; & hanc Deus voluntatem pro ipso opere respiciet ac recipiet.

B. Barthol. de martyrib. in compend. spirit. c. 19. fo. 250. Cap. 2. Monil spiritual.

Aliorum ferventes preces Deo offerendæ.

14. Quocirca ista etiam bona, juxta hanc veritatem, erit devotio, & optima consideratio, ut, dum in oratione tepidos nos & aridos sentiemus, consideremus, quot servi Dei hac ipsa hora in oratione agant, fortè etiam calidis lachrymis madentes, atque etiam sanguinem effundentes; imaginemur nos unà cum illis Deum precari: nec cum illis modò, verùm etiam cum omnibus Angelis ac spiritibus cælestibus, Deũ amantibus & laudantibus; nosque ad illorum actiones referamus ac componamus, hac ratione supplentes, quod ipsi facere non valemus, ex

toto

toto corde & ore identidem illa Ecclesiæ verba ingeminantes. *Cum quibus & nostras voces ut admitti jubeas deprecamur, supplici confeßione dicentes, Sanctus, sanctus, sanctus, &c.* Quod ipsi dicunt, Domine, idem dico & ego; quod illi agunt, hoc ipsum & ego facere cupio; quo ipsi modo te laudant & amant, equidem te laudare, benedicere & amare vellem.

Subinde etiã præteritum ardorem repetens offerẽ cũ Deo.

15. Interdum quoque utile erit, nos ad nosipsos referre, ad id, scilic. tempus, quo aliàs bonam fecisse orationem nobis videmur, dicentes: Quod tunc temporis volui, Domine, volo modò; sicut tunc me totum tibi obtuli, ita me offero in præsentia; & sicut tunc peccatorum me pœnitebat, tunc humilitatem, patientiam & obedientiam desiderabam; sic & eam nunc, Domine, desidero & à te efflagito.

Opera nostra inauranda operibus Christi Domini.

16. Cæterùm, in hoc genere nullum fructuosius nec utilius exercitium est, quàm opera nostra cum operibus Christi conjungere, & eius, sacratissimæque passionis eiusdem meritis defectus nostros & imperfectiones, tam in oratione, quàm in reliquis operibus nostris commissos supplere; offerendo orationes nostras Patri æterno in illius amoris & fervoris, quo Christus ipse olim in terris oravit, & ipsum laudavit, unione; jejunia verò nostra in unione jejuniorum eius; eumque rogando, nostram ut impatientiam filii sui patientiâ, superbiam eius humilitate nequitiam eius innocentiâ supplere & instaurare dignetur. Exercitium hoc Dominus quibusdam particularium

Hoc exercitium amicis suis Deus revelat. *Lib. 9 Institut. spirit.*

amicorum suorum, ut ait Blosius, aliàs revelavit, ut aliquod hac ratione operibus nostris meritum & valorem conciliemus, atque infinito inexhaustoque meritorum Christi thesauro paupertatem nostram sublevemus.

Caput XX.

Satis nobis esse debet oratio, quæ hactenus exposita est; nec conquerendum, quòd ad illam aliam eminentiorem nequeamus pertingere.

Lib. de adhærendo Deo.

Humilis communibus & contentus & tutus.

1. Verus humilis, ut ait Albertus Magnus, ad sublimem & eminentem orationis modum, & extraordinarios illos favores, quos amicis suis interdum Dominus communicare solet, aspirare non audet, imò ne id quidem petere in cor suum admittit. Etenim tam parvi se facit, ut omni se gratiâ & spirituali consolatione indignum existimet: atque adeò, si qua eum interdum consolatione Dominus etiam non petendo, dignatur, eam nonnisi summo cum timore recipit, ratus hos se favores & consolationes minimè promereri, neque eum quem oportet, ex iis fructum ac quæstum facere posse. Quocirca, si verè essemus humiles, orationis specie contenti essemus: imò singularis cuiusdam beneficii divini loco haberemus, quòd per humilitatis planam viam nos deducat. hanc quippe insistentes, tuti erimus & servabimur, in alia illa fortassis ad superbiæ scopulos collisi & evanescentes periremus.

2. S. Bern-

Serm. 5. in Quadrag Dei providentia paterna nobis sublimia sæpe benè negãtur.

2. S. Bernardus asserit ita nobiscum Deum agere, sicut in hoc mundo patres cum filiis parvulis solent; quibus panem petentibus libenter eum dant, at cultrum pani scindendo poscentibus, negant, quòd hunc iis minimè necessarium esse norint, at aliquod potiùs damnum inferre posse, eo se lædendo. Pater ergo arrepto cultro panem discindit, ut ita puer à labore omni liberetur & periculo. Eo prorsus modo agit Deus; dat, nimirum, tibi panem discissum, gustus verò & consolationes in eminentissima illa oratione contentas denegat, ne fortè te lædas & noceas, dum ex eo sis inflatus, te spiritualem esse putans, & aliis præferens. Unde longè maius tibi Dominus beneficium confert, quòd divisum tibi det panem, quàm si cultrum porrigeret quo tu eum divideres. Si per hanc orationem magnam tibi constantiam, & generosum propositum impertiatur, antè moriendi, quàm peccandi, teque toto vitæ tempore præservet, ne in ullum lethale crimen prolabaris; ecquæ à te melior ac fructuosior oratio possit desiderari?

Exemplo perspicuo declaratur illius providẽtiæ ratio.

3. Non aliud respondit filii prodigi, pater, filio primogenito; hic conspicatus tanto fratrem suum asotum gaudio, plausu & exultatione à patre in gratiam admitti; stomachari cœpit, & paternas ædes ingredi noluit, dicens, *Ecce tot annis fideliter tibi domi sum famulatus, semper jußis tuis filiorum more obsequens & morigerus fui; & nunquam mihi vel hœdum dedisti, quem cum amicis meis manducarem; huic autem nepoti, qui omnem suam substantiam prodegit, & mandata tua sprevit, vitulum saginatum occidisti, splendidum epulum instruxisti, symphoniam adornasti, atq; aliis lætitiæ modis istum excepisti.* Cui amantissimus pater respondit: *Fili tu semper mecum es*, id est, *Luc 15. 31.* Non ideò facio fili, quòd illum tibi in amore præferam; tu semper domi & apud me conversaris; unde æquum etiam erit, ut, quod tibi præsto, agnoscas & æstimes: an non satis tibi favoris & benevolentiæ ostendo, quòd te semper apud me detineam? Ita quoque se res hic habet: Parum ne tibi videtur, quòd Dominus te semper secum & in domo sua retineat?

Si ordinaria oratione omnia à Deo obtines, quid ultra requiris.

4. Majus est profectò, quod perseverantiæ tibi donum det, & ita te sibi constrictum teneat, ut ab eo nunquam peccando desciscas, quam post lapsum tibi, uti filio prodigo in multa scelera perlapso factum, amicã porrigere manum: sicut etiam maius est, ita te servari ab eo, ut caput non comminuas, quàm post collisionem persanari. Si ergo ista quam habes orationis specie hoc ipsum tibi Deus det, quid conquereris? Si peream, magnam tibi ad omnia, quæ ad cultum Dei pertinent, peragenda promptitudinem, integram indifferentiam, ac resignationem tui in omnibus quæ obedientia tibi præscribit, concedat, quid amplius desideras? Si peream, te in humilitate, ac sui timore conservet, detque ut cautè ambules, ab omnibus te occasionibus & periculis occurrentibus præservando, quam ingemiscendi habes causam? Hic nempè, fructus est, qui tibi exora-

ex oratione, tametsi ea etiam sublimior & eminentior foret, colligendus esset; &, licèt multas Deus in ea consolationes & gustus concederet, eas omnes deberes dirigere. Hoc Deus in simplici hac & ordinaria oratione facit; utpote qui orationis fructum & finem, sine extraordinariis illis elevationum, ac spiritualium consolationum mediis elargitur, ut reipsa experiuntur, qui in eadem perseverant.

Bonitas Dei, qui nos & in humilitate continet, & tamē somnia elargitur. Gen. 42. 7. & 25.

5. Hanc sanè ob causam duplici nomine Deo grates agendæ sunt: primò quòd ab inanis gloriæ & superbiendi periculo, quod fortè subesset, si alia via conduceremur, nos liberet: deinde quòd nobis orationis fructum & utilitatem completissimam det. Joseph Patriarcha hinc fratres suos asperè & præfractè alloquebatur, illinc verò saccos eorum frumento repleri, ac lautè hilariterque eos ab œconomo suo haberi jussit. Eodem prorsus modo agit Deus nobiscum.

Ignoramus essentiam orationis & profectus.

6. Vix intelligimus, in quo consistat oratio; vel potiùs, in quo noster situs sit profectus & perfectio; quæ, finis & fructus unicus est, ad quem oratio ordinatur sæpè. Hinc sæpè dum malè res succedit, putamus benè eam succedere; & cùm benè, tunc malum eius successum arbitramur.

Bona actio vel vita orationis finis est.

7. Enimverò tu illud ex oratione colligere stude, quòd antè (Cap. 18.) colligendum monuimus, ac præsertim, ut illam diem fructuosè & cum aliorum ædificatione transigere proponas (ut suprà dictum est;) & bonam tunc orationem feceris, quamvis in ea vel pumice aridior, & saxo durior apparueris Quod commodum nisi ex oratione elicias, bonam orationem non instituisti: esto toto eius tempore & lachrymis madueris, & ad tertium usque cœlum in ea evectus fuisse videaris.

De teipso, non de Deo querere.

8. Quamobrem non est quòd de hoc orationis genere posthac conqueraris; de te ipso potiùs conqueritor, ac dicito, In mortificatione, in humilitate, in patientia, in silentio, ac recollectione mentis, non eo quo par est modo procedo. Hæc sanè bona est querela & expostulatio: per hanc enim de teipso conquereris, quòd non facias, quæ tibi necessariò facienda sunt, & ut facias in tua sunt potestate: dum verò de oratione tua conquereris, de Deo conqueri videris, quòd eum, quem fortasse velles, ad se aditum, accessum, quietem, & consolationem tibi non tribuat. Bona hæc expostulatio non est, *nec* (ut Bethuliensibus ait Judith) *est iste sermo, qui Deum ad misericordiam provocet, sed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat.* Et sanè clarum est, quàm in hoc secùs atque oportet, & inverso modo procedamus: dum, videlicet, nequaquam queritamur de eo quòd nos mortificare, humiliare, vitam emendare (quod tamen in nostra est potestate) nolimus; sed de eo tantùm, quod nobis integrum ac liberum non est, sed à gratuito Dei dono solum dimanat. Judit. 8.

Fac quod in te est, reliqua Deꝰ præstabit.

9. Cura ergo, ut te mortifices & superes, illudque hic age quod propriè in tua situm est manu; Deo autem relinque quæ ipsius sunt curare.

rare: magis quippe ipse erga bonum nostrum afficitur, deque eo sollicitus est, quàm nos ipsi: si ergo nos præstiterimus quod nostrum est, securi & tuti esse possumus, eum, quod ad se attinet, in dando quod nobis expedit, minimè defuturum. Pluribus de hoc agemus, ubi de nostræ voluntatis conformitate cùm divinæ agendi erit locus, & simul huic querelæ tentationique magis ex professo & proposito satisfaciemus.

Tract. 8. c.14. & seq. Vide suprà c. 5. ad finē ex S.Berna.

Caput XXI.

De causis distractionum in oratione, & earum remediis.

Distractionū tres causæ. Prima Socordia nostra. Coll.1. & 7.

1. Est hæc valdè frequenta quæstio & querela. quare communiter sancti Patres de ea agunt, & quidem satis in particulari Cassianus. Hi tribus è causis vel radicibus procedere distractionem in oratione posse docent. *Primò*, è nostra socordia ac negligentia, quòd nimirum, interdiu in nimis multa nos diffundamus cum exiguâ cordis nostri custodia, sensuumque recollectione. Qui ergo ita effunditur, mentemque dissipat, non est quod quærat undenam rationis tempore distrahatur, & cur eam inire nequeat: cùm certum sit, imagines, figuras, objecta ac repræsentationes rerum, quas per sensus in animum transmittit, eum in oratione turbaturas, & inquietaturas.

Coll.1. Cogitationes quatenus

2. Verissimè dicebat Abbas Moises, Etsi in hominis potestate non sit, variis cogitationibus non impugnari ac pulsari; in eius tamen manibus est, eas non admittere, &, dum sese importunè ingerunt, rejicere. Addit præterea, in eius quoque manibus magna ex parte esse, ipsam illarum cogitationum qualitatem corrigere, efficereque ut sanctæ bonæque cogitationes menti occurrant, & illæ aliæ de rebus vanis & impertinentibus imaginationes de memoriæ tabula deleantur. Si enim spiritualibus exercitiis se applicet, lectioni, inquam, meditationi, orationi, ac bonis sanctisque operibus incumbat, bonæ sanctæq; cogitationes illi occurrent: at, si per diem de huiusmodi rebus non agat, sed vanis & impertinentibus sensus suos pascat; certus sit hisce de rebus tum se cogitaturum. Et hoc similitudine quâdam commodâ declarat, quam adferunt quoque Anselmus & Bernardus.

sint in manu nostræ.

3. Hi sancti Patres cor humanum lapidi comparant molari, semper quidem molenti, sed in molitoris arbitrio est, efficere ut vel triticum, vel hordeum, vel siliginem molat: quodcunque ei iniecerit, illud molet. Pari modo, cor hominis semper aliquid agitare & cogitare debet, semper, inquam, molere; sed industriâ ac diligentiâ tuâ facere potes, ut vel triticum, vel hordeum, vel siliginem, vel terram molas, quodcunque demum ei ingesseris, illud agitabit ac redhibebit. Vis igitur, juxta hanc doctrinam, in oratione recollectus esse? fac ut interdiu cor tuum habeas recollectum, nec non sensuum tuorum portas benè occlusas oportet.

Collat.1. c.18. Cor lapis molaris, cogitationes frumentum sunt.

Hortum conclusũ amat Deus.

4. Libenter quippe cum animabus, quæ velut *horti conclusi* sunt, Dominus conversatur. Unde id etiam, commune priscorum illorum Patrũ erat consilium, quod & adfert Cassianus: *Quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus: ex præcedente enim statu mens atque animus in supplicatione formantur*. Et S. Bonaventura, *Qualis liquor vasi infunditur, taliter redolebit, & quales herbas in horto cordis tui plantaveris, talia semina germinabunt*.

Collat.9. Abbat. Isac.c.2.

De profect. Religios li.2. c.58.

Amor attentionē generat.

5. Et quoniam commune & velut à natura ingeneratum nobis est, ut de illo identidem cogitemus, erga quod amore ferimur; hinc danda tibi opera, siquidem cor in oratione stabile ac firmum habere velis, & cogitationes de rebus vanis & impertinentibus de memoria tua deleri & abire, ut omnino affectum erga illas mortifices, terrena omnia contemnendo, & in sola cœlestia oculos conjiciendo: & quo magis in hoc proficies & cresces, eo maior erit cordis tui firmitas ac stabilitas, & in oratione attentio.

Secunda causa distractionis, Tentatio dæmonis.

6. Solent secundo distractiones interdum à dæmonis adversarii nostri tentatione proficisci. Quoniam is, inquit Basilius, orationem medium, ac velut canalem, esse novit, cuius adminiculo universum ad nos bonum derivatur, omni, quo potest, studio & conatu ipsam impedire, & mille in ea nobis remoras atque obices objicere connititur, ut, isthoc sublato præsidio, faciliùs illi ad animam nostram perfraudes & tentationes aditus & accessus pateat. Pari ille nobiscum modo agere nosque intercipere ac subvertere conatur, quo archistrategus Holophernes Bethuliam sibi resistentem: ut enim ille aquæ ductus & canales, quibus ad urbem aqua derivabatur, incîdit: ita dæmon omni ope & operâ hunc orationis canalem & conductum, per quem ad animam nostram gratiæ, omniumque bonorum spiritualium aqua dimanat, aut penitus frangere, aut aliò saltem divertere connititur. Et sicut, inquit Climacus, ad campanæ sonum fideles & Religiosi visibiliter ad Deum tum precandum, tum laudandum in Ecclesia congregantur: ita quoque inimici nostri, dæmones, inquam, tunc invisibiliter, ad nos tentandos, & in oratione interturbandos conveniunt ac coëunt.

Serm. de renunt. sæcul. & spiritual. perfect. Cass. li 10. c.10. Nilus c.44. & 47. de orat.

Iudith. 7. 6.

Oratio est aquæ ductus gratiæ.

Exemplũ huius rei in Abbate Marcello.

7. Quidam de priscis illis Eremi Patribus, (ut in Prato spirituali Moschus tradit) cùm nocte quadam, ad orandum & Psalmodiam pro more cantandam surrexisset, clangorem velut buccinæ, milites ad conflictum ineundum vocantis audit. Ad quem cùm turbaretur senex, nesciens unde hic clangor in vasta solitudine proveniret, cùm in ea nec milites, nec ullus belli esset apparatus; ecce repente apparuit illi diabolus, & ait, esto nullum instare prælium & conflictum putaret, minimè tamen ipsum defuturum: nam hoc dæmones classico ad servos Dei oppugnandos & infestandos quodammodo exciri. Unde, si ipse à conflictus discrimine immunis & exemptus esse vellet, cubitum concederet; sin minùs, ad imminens

minens certamen se disponeret. at ipse, Domino confisus, orationi, nihil veritus, se dedit, in eademque perseveravit.

Dæmon orationē maximè odit, & contra eã tentat.

8. Inde verò potissimùm orationis excellentia & dignitas apparet, quod eam cacodæmon, cane peiûs & angue detestetur, & quocunque potest modo, orantem interturbare ac impedire conetur, uti præclarè S. Nilus Abbas observavit. Quælibet alia bona opera, putà jejunium, flagra, cilicii gestationem, diabolus ægre non fert, nec ea tantopere disturbare nititur; at orationi, quod tempus impensum sit, ferre nequit, sed ipsum omni studio impedire, & mille in illa impedimenta objicere contendit. Inde fit, ut nonnunquam, dum jam orationi insistimus, magis exagitemur, & tentemur, quàm alio quolibet tempore. Tunc siquidem universum cogitationum agmen, & tota moles in nos ingruere videtur, ac subinde adeò malarum & immundarum, ut non alio fine precationem suscepisse videamur, quàm ut ab omni tentationum genere tunc impugnemur & infestemur. Inter orandum namque occurrunt & se oggerunt nobis, quæ numquam toto vitæ tempore nobis occurrerunt, vel in mentem venerunt; quasi in tempus orationis omnia reservari videantur. Cuius rei causa est, quòd diabolus orationem unicum esse novit omnium malorum nostrorum remedium, universorumque bonorum spiritualium fontem & principium, nec non efficax quodam omnes virtutes obtinendi medium: quare illa summopere execratur, & omnem adhibet conatum, omnibusque nervis annititur impedire.

Nilus c. 44. & 47. de orat. & c. 100. & seq. refert aliqua exempla, circa hoc in Biblioth. SS. Patr. tom. 3.

Oratio flagellũ dæmonum.

9. Hinc à sanctis Patribus oratio partim tormentum, partim flagellum dæmonum appellari consuevit. Quod ipsum nobis, ad eam maioris faciendam, & seriò magis illi incumbendum, stimulus debet esse & incitamentum; idque eo magis, quo cacodæmonem arcius mera ex invidia, ab ea nos divertere & avocare velle videmus. Atque ex hoc ipso capite sancta mater nostra Ecclesia, à spiritu Sancto gubernata (ut S. Thomas, Abulensis, aliique graves auctores observant) adversarii nostri mores & consuetudinem, totis viribus tentandi & oppugnandi eos, qui orationi impendunt, probè cognitam habens, decrevit salubri sanè instituto, ut singulis Horis Canonicis versiculus ille, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina*, præmitteretur: quo gratiam & opera à Domino petimus, ad debito modo orandum, utque nos ab inimicorum nostrorum insidiis ac tentationib. inter orandũ tueri dignetur.

S. Thomas Abulensis.

Deus in adiutoriũ meũ intende: cur præmittatur horis? *Psa. 69. 2.*

Tertia causa Distractionis, imbecillitas nostra.

10. *Tertiò*, distractiones hæ & cogitationes peregrinæ, nonnunquam, sine ulla nostra culpa, è propria imbecillitate & infirmitate nostra ortum habent: adeò namque debiles & miseri sumus, naturaque nostra per peccatum est adeò sauciata & destructa, ac præsertim ipsa facultas imaginativa, ut ne unam quidem orationem Dominicam recitare possimus, quin à variis & impertinentibus cogitationibus interpellamur, uti

uti cum gemitu deplorabat S. Bernardus.

Remediū imbecillitatis, ipsa eius agnitio.

11. Quamobrem utile fuerit, hoc ipsum quod patimur, in materiam assumere, nos ipsos humiliando, considerantes; & agnoscentes quanta nostra sit fragilitas & debilitas: hæc enim humiliatio, & suiipsius cognitio, optima erit oratio. Sunt verò præter hæc & alia quædam remedia, quæ cùm sancti Patres, tum vitæ spiritualis magistri suggerunt, & nos declarabimus.

CAPUT XXII.

Quædam media attentè reverenterq; orationem obeundi.

In regul. brev. 20. & 306. in Constit. ad Monachas solitar.

Considerantio præsentiæ Dei tollit distractiones.

1. QVærit S. Basilius, quomodo cor suum quis in oratione firmum, attentum, & non distractum habere possit? Respondet verò, Primò nullum ad hoc præstantius aut efficacius medium dari posse, quàm si se consideret coram Deo versari, & ab eo, qualiter & quomodo oret, pervideri. Si enim cum terreno Principe loquens, magna cum reverentia & respectu se gerit, ad singulas actiones, quin ad gestus & modum, quo easdem peragit, attendens; & pro summa inurbanitate duceret, si aut tergum Principi obverteret, aut sermones aliquos impertinentes proferret; quid faciet ille, qui attentè considerat se coram divina Majestate agere, & ab ea non exteriora sua duntaxat, sed & intima cordis sui penetralia perspici?

Similia quib. declaratur irreverentia voluntariæ distractionis.

In histo. SS Patrū c. 21.

In Psal. 85.

2. Quis, inquit, futurus est, qui oculos & animum ab iis quæ agit, divertere, aut Deo tergum obvertere, & coram illo aliena quædam cogitare præsumat? Hac magnus ille Monachus Jacobus, cuius Theodoretus meminit, comparatione & consideratione, quanta hæc irreverentia foret, declarabat, quam & S. Augustinus alibi adducit: Si, inquit, homini eiusdem mecum naturæ famularer, & eo ipso tempore, quo cibum & potum illi adferri oporteret, cum alio servo fabularer; an non justam mei & reprehendendi & castigandi rationem haberet? Aut si judicem accedens, illi illatas mihi ab alio injurias enarraturus, ego semiprolata & dimidiata verba in ore habens, ab eo me subitò subducerem, dorsumque illi obvertens, cum alio quopiam de præsentibus loquerer, an non te judice, me Judex ille ut incivilem haberet, ac tribunali suo ut malè moratum & inficetum suppelleret? Id faciunt, qui ad orationem accedentes, cum Deo collocuturi, distrahuntur, de aliis nihil ad orationem attinentibus rebus cogitantes.

In lib. Exer. cit. addit. 3.

Praxis præsentiæ Dei ex S. Ignatio.

3. Hoc item medium nobis assignat S. P. Noster in quadam Additionum & Notationum, quas ad orationem benè faciendam suggerit. In ea monet ut paulò antè quàm orationem auspicemur, spatio quo percurri oratio Dominica posset, mente sursum elevata, consideremus à Deo præsente & spectante nos videri, ac proinde magna cum reverentia & humilitate orationem aggrediamur.

Duran-

Durante verò meditatione ipsa, procurandum, ne hæc Dei præsentia nobis effluat aut excidat, juxta illud Prophetæ. *Et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.*

Psal. 18. 15.

4. Praxis eadem ex S. Chrys. In illud Psal. 4. Miserere mei, &c. tom. 5.

4. Imaginare, inquit S. Chrysostomus, te quando ad orationem accedis, in aulam illam cœlestem ingredi, in qua Rex Regum stellato sedet solio, innumeris tum Angelis, tum Sanctis circumcinctus, teque ab omnibus illis inspici ac considerari, secundùm illud Apostoli: *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.*

1. Cor. 4. 9

Eadem ex S. Bernardo.

5. Consulit S. Bernardus, quod ipsummet quoque usurpasse & factitasse verisimile est: *Veniens*, inquit, *ad Ecclesiam, pone manum tuam super os tuum, & dic: Exspectate hic cogitationes malæ, intentiones & affectus cordis, & appetitus carnis: tu autem anima mea intra in gaudium Domini Dei tui, ut videas voluntatem Domini, & visites templum sanctum eius.*

Fructus harum praxium, stabilitas.

In scala spirit. grad. 4. & 18.

6. Climacus ait, eum qui orans seriò considerat, in Dei scilicet se conspectu versari, instar solidæ, immobilis, ac loco moveri nesciæ columnæ esse; ac refert, se quadam vice, cùm Religiosum quendam in Psalmis decantandis attentiorem ceteris notasset, ac præsertim sub initium hymnorum, è vultus gustusvé mutatione, eum velut cum alio colloqui collegisset, ex eo petiisse, ut sibi diceret, ecquid hæc mutatio significaret. Dixisse verò Monachum, Ego sub divini officii exordium, quantum in me est, mentem meam ac cogitationes

Praxis alia.

soleo colligere, eisque ad me advocatis, dico: *Venite adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, & nos populus pascuæ eius, & oves manus eius.* Omnes istæ considerationes, bonæ sunt & inprimis utiles, ad cum attentione & reverentia orationem peragendam.

7. Alii pro collectionis remedio suadent, ut deprecans & meditans se coram sanctissimo Altaris Sacramento supplex prosternat, si quidem in eo verse tur loco, in quo commodè id facere possit; sin minùs, notet versus quam partem divinissimum Sacramentum propiùs sit, eoque cor suum convertat.

Praxis alia corã SS. Sacramento orandum.

8. Suadent alii, ut pias imagines inspiciat & contempletur, quem in finem etiam libellis precum tales piæ imagines, inseri solent, ut videmus in Canone Missæ Episcoporum & Missalibus & Breviariis, ac B. V. officiis. quin imo quidam mobiles icones per libros disponunt, ut una cum legentium oculis de pagina in paginam migrare possint.

Alia praxis & imagines pias.

9. Aliis solemne est, oculos in cœlum defigere. quod S. P. N. familiare fuisse, & innumeris SS. in eorum vita exprimitur.

Alii aspiciunt cælum.

10. Confert quoque non parum, ut quis, jam in oratione distractus & aridus, seipsum expergefaciat, orationes aliquot jaculatorias proferre, & vocali oratione Deũ compellare, suam imbecillitatem debi-

Iaculatoriis alii re excitant.

debilitatemque ipsi repræsentando, & eius medelam rogando, ac dicere, *Domine vim patior, responde pro me.*

Isaia. 38. 14.

Mar. 10. 47.

Luc. 18. 38

Deus pia prece cogendus, nec distractionibus cedendum.

11. Cæcus ille Evangelicus, etsi eum clamantem Christus Dominus audire nolle se fingeret, tacitusque pertransiret, turbæ quoque illi silentium indicerent, non propterea desiit clamare, imò vocem efferre cœpit altiùs, ac dixit: *Iesu fili David, miserere mei.* Hoc ipsum & nos imitari par est, & quamvis Dominus nos nec audire, nec visitare se velle simulet; etiam ipsa cogitationum ac tentationum turba & multitudo silere nos jubeat; non idcirco à clamore desistendum, sed altiori voce dicendum, *Iesu fili David miserere mei.* Et, *Confirma me Domine*, & cor meum *in hac hora*, ut de te cogitare, & in oratione firmus & constans persistere queam.

Iudith. 13. 9.

S. Angela de Fulginio c. 58. *&* 62.

Cor frigidũ oris flagello accendendum.

12. Scitè proinde dicebat Sancta illa: *Si non poteris corde tuo cum Deo loqui, ore saltem sæpè loquere: quod enim sic identidem linguâ repetitur, cor facilè incendit, & calorem aliquem producit.* Quin etiam ipsamet fatetur interdum mentalem orationem ideò se facere non potuisse, quòd vocales orationes, cùm à socordia, tum à somno prægravata & impedita, omisisset. Quod idem & nobis subinde usu venit, ut, dum ex pigritia, vel torpore, vel quòd semisopiti sumus, loqui in oratione desinimus; si rursus loqui incipiamus, statim somno soluti expergiscamur, & cœptam orationem novo quasi collecto vigore, prosequamur.

Gerson.

13. Gerson quoque bonam ad evitandas distractiones rationem esse docet, ipsam meditationis materiam benè præparasse, & diversa ad orandum puncta optimè digessisse: sic enim homo, dum distrahitur, hoc animadverso, ad punctum suum, quod certum & constitutum habebat, facili negotio revertitur. ad quod si commodè nequeat recurrere, quamprimùm aliud ex præparatis punctum aggreditur, sicque longè faciliùs orationis suæ filum connectit. Ipsi quoque, dum nos examinamus, comperimus distractionum & evagationum mentis, sæpè non aliam causam esse, quam quòd puncta & capita meditationis ordinatim non digesserimus, nec certos ac præfinitos limites nobis constituerimus, ad quos inter orandum, ceu ad signa quædam nota respiceremus. Præterea hoc monitum, uti & id quod sequitur, pernecessaria sunt, ut quis debita cum præparatione ad orationem accedat: Unde etiam S. N. P. nobis verbis amplissimis & efficacissimis inculcat. *Magnopere juvabit*, inquit, *ante ingressum exercitii tractanda puncta comminisci, & numero certo præfinire.*

Aliud remedium materiæ meditandæ bona dispositior vel electio.

Lib. Exerc. notab. 3. *hebdom.* 4.

14. Quod & ipsum sedulò legimus observasse, non modò sub initium conversionis suæ, verùm etiam postea, inclinante jam ætate, meditationis materiam vesperi prælegere & præparare, & in hac cogitatione lectum petere solitum. Ne quis putet hanc rem ad solos Novitios spectare & ab iis requiri. Et licet quis meditationis materiam & exercitium optimè norit, quòd aliàs sæpè de eadem

Exemplũ S.P. Ignatius pridie se ad meditandum parabat.

eadem sit meditatus; nihilominus consultum est eum denuò præparare; præsertim quòd, (cùm illa ut plurimum sit è verbis sacræ Scripturæ, quam Spiritus sanctus dictavit, deprompta) horum per quietem & otium lectio, novam attentionem & devotionem soleat excitare, ad eadem meditanda, & maiorem ex iis fructum colligendum.

Prima diei cogitatio, sit ad meditationem excitatio.

15. Permultum quoque ad hoc nos juvabit, ut simul ac experrecti sumus, omni aliâ cogitatione exclusa, de exercitio quod faciendum est, cogitemus, nos ad orationem consideratione aliqua rei, quæ meditatione excutienda est, accommodata præparando. Hanc doctrinam Cassianus, Bonaventura, Joannes Climacus tanti faciunt, ut dicere non dubitent, ab hoc totum orationis successum, & per consequens bonum totius diei processum directionemque dependere. Et advertit Climacus, dæmonem, cùm tanti momenti id esse videat, sedulò præstolando advigilare, ut, dum è somno excitamur, statim cordis habitaculum occupet, itaque totius diei primitias sibi præoccupet. Addit præterea, inter spiritus malignos esse unum, quem *præcursorem* nuncupant; cuius partes sunt, ut simul atque noctu è somno excitamur, oppugnando nos aggrediatur, etiam nondum plenè experrectos, & cùm homo sui planè compos non est, ut fœdas & obscænas imagines, aut saltem impertinentes nobis tunc objiciat, ut sic diei totius possessionem sibi vindicet: quòd hunc integrè cessurum putet ei, qui primò cor occuparit. Quocirca permagni nostra interest, ut diligenter advigilemus, caveamusque nequem huic diabolicæ nequitiæ in corde nostro locum demus, sed ut, quamprimùm expergiscimur, etiam vixdum plenè oculis apertis, aliqua cogitatione de Deo priùs cor nostrum sit præmunitum, quàm peregrina quædam imaginatio ad ipsum penetret & occupet.

Cap. 22. Dæmon primitias cogitationũ præcerpere conatur. Is Præcursor à Climaco nominatur.

Aliud muniment contra distractiones, summarium orationis futuræ.

16. Hujus quoque rei seriò nos commonefacit S. P. N. Ignatius, additque idipsum quodammodo etiam observandum tum, cùm alio extra ordinem tempore oratio instituitur, ut scilicet paulò antè quàm ei nos demus, animum colligentes, cogitemus, *Quò vado, coram quo sum comparitur us?* & exercitium meditandum breviter percurramus, perinde ac testudinis chordas prætemperat ac moderatur, qui eam est pulsaturus. Et in genere dicebat S. P. N. ab huius similiumque præceptorum, (quas vocat Additiones) observantia, magna ex parte, orationis bonitatem, & fructûs ex ea collectionem dependere. Ipsi quoque ita se rem habere plerumque experimur; scilicet, cùm benè parati sumus, & hæc præcepta observamus, orationem ex animi voto succedere; sin minùs, aliter cadere ac volebamus.

Li. Exercit. spirit. addit. 2. prima hebdomad. & addit. 5. hebdom. 2. & in 1. modo orandi.

Ex Additionibus pendet successus Meditationis.

17. Monet nos per Ecclesiasticum Spiritus sanctus: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* In quæ verba notant S. Thomas & Bonaventura, eum, qui sine debita præparatione ad orandum se componit, quodam modo

Eccli. 18. 23.

2. 2. q. 97. *art. 3. ad 2. In Regul. Novit, c. 2.*

Deũ tentat qui sine præparatione orat. modo Deum tentare. Nam (ut docent Theologi ac sancti Patres) Deum tentare, nihil est aliud, quàm aliquid ab illo impetrare velle, ordinatis & necessariis ad hoc consequendum mediis adhibitis: Perinde ac si quis diceret, Nolo comedere, quia potest me Deus sine ullo cibi adminiculo sustentare: ipse me certò alet & pascet; hoc esset tentare Deum, & citra ullam necessitatem miraculum postulare. Sic Salvator noster Christus tum, ad templi pinnaculum subvectus, persuadenti cacodæmoni ut se deorsum jaceret (Deum namque Angelos missurum, qui cadentem manibus suis exciperent) *Non tentabis* respondit; *Dominum Deum tuum*: equidem possum per templi gradus descendere; alterum illud esset, Deum tentare, ac petere ut absque necessitate ulla miraculum patraret. Tam præstans ergò & necessarium bonæ orationis medium est, prævia ad eam præparatio, ut dicat Sapiens, sine illa orare gestientem fore similem homini Deum tentanti, & ut miraculosè secum agat, exposcenti. Vult quidem Dominus, ut benè, attentè, ac reverenter oremus, sed hoc nonnisi per media ordinaria & consueta fieri vult, nimirum modo jam dicto ad orationem nos præparando ac disponendo. *Matt. 4. 7*

***

Caput XXIII.

Quonam modo se consolari queant illi, qui distractionibus inquietantur.

1. Tunc solùm (ut ad eorum, quos isthæc tentatio infestat, consolationem notat Basilius) in oratione, per has cogitationes & distractiones, Deus offenditur, quando quis propria sua voluntate, advertenter, deliberatè, & videndo quid agat, in precibus distrahitur, & parva cum reverentia & respectu inibi versatur. Quisquis ad orandum accedit, cum deliberato de studiis, officio, aut rebus agendis inter comprecandũ cogitandi proposito ac voluntate, revera mereretur ut eum orantem Deus non audiat vel exaudiat, sed potiùs propterea malè mulctet. Huc spectat illud Chrysostomi, *Tu non audis*, ait, *orationem tuam, & Dominum vis audire precem tuam?* Verùm quando quis in oratione moraliter facit quod in se est ac nihilominus ex infirmitate distrahitur, nec tantam, quantam forsitan vellet, habere attentionem potest, sed cor hominem deserens ac peregrinans, aliò divagatur, juxta illud Prophetæ: *Cor meum dereliquit me;* tunc tantum abest ut Deus irritetur, ut potiùs compatiatur & misericordia moveatur: Ipse siquidem infirmitatem & debilitatem nostram perspectam habet. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* Id est, quemadmodum *In Constit. Monast. c. 1.* *Solæ distractiones voluntariæ Deum offendunt.* *Hom. 15. in varia loca Matt. tom. 2.* *Non involuntariæ.* *Psa. 39.* *Psal. 102. 13*

dum pater, habens filium mentis impotem, ei condolet, & magna commiseratione tangitur, quoties eum sensatè & prudenter loqui incipientem, in stolidas ineptias & deliramenta desinere videt: ita benignissimus ille pater cœlestis afficitur nostri miseratione & compassione, dum tantã esse naturæ nostræ debilitatem & infirmitatem videt, ut, quo tempore quàm prudentissimè cum illo nobis agendum est, quamprimum in sexcentas cogitationes impertinentes & ineptas dilabamur.

Oratio arida sine culpa sæpe plus meretur.

2. Quare etsi nullam omnino in se quis devotionem & dulcedinem spiritûs, sed magnam potiùs ariditatem, siccitatem & variarum cogitationum & imaginationum conflictum experiatur, & toto orationis tempore his fluctibus jactetur; non propterea hæc eius oratio Deo minùs placebit, minorisque in divino conspectu valoris erit aut meriti; imò sæpenumerò gratior, & magis meritoria esse solet, quàm si magnam in eadem animi devotionem & consolationem sensisset; quòd majorem in illa pro Dei nomine laborem difficultatemque subierit ac perpessus sit: nec per illud orationis genus minus gratiarum, pauciores vé ad meliùs Domino serviendum, & magis in virtute perfectioneque crescendum, favores consequitur, quamvis ipse id sensibiliter non percipiat. Prorsus sicut ægroto, cibos quosdam succulentos & vegetantes comedenti, contingit: hic enim, quamvis nullum ex eorum sumptione gustum saporemvé, imò magnam potiùs afflictionem ac cruciatum colligat, nihilominùs eorum adminiculo revirescit, conservatur, & vires pristinas recuperat.

Oratio non intermittẽda, sed distractionibus fortiter resistendum.

3. Et supradictis perspicuum est, insignem diaboli illusionem, gravemque tentationem esse, dum ideo quis solùm orationem intermittit, quòd à variis cogitationibus & tentationibus impertinentibus inter orandum divexetur. Hoc duntaxat hîc admonendum, ut caveamus, ne hac occasione, & prætextu debilitatis, quasi plura præstare nequeamus, nescio quis tepor ac remissio in animum nostrum irrepat, permittendo nos quocunque, à quolibet vento leviter abripi, & cogitationem imaginationemque, quocunque voluerit, liberè exspatiari ac divagari, uti postea copiosiùs suo loco ostendemus: sed, ut, faciamus quod in nobis est, accuratè ac diligenter omnes cogitationes inutiles dispellendo & abigendo, sicut olim Abraham Patriarcha aves arcebat & abigebat, ad sacrificium suum importunè advolantes. Quod cùm pro eo ac oportet, ac pro virili præstiterimus, non est quòd amplius nos discruciemus.

Tract. 8. c. 30.

4. S. Brigitta, ut in eius vitæ historia legimus, cùm quadam vice inter orandum gravibus tentationibus divexaretur, Deipara Virgo illi apparens, ait, Cacodæmon, omne bonum hominibus invidens, ipsos orationi incumbentes, omnia qua potest arte & modo impedire & pedicis positis disturbare satagit; verùm tu, filia, quantumcunq; & quibuscunq; in ea

Refert Blosius c. 3. Monilis spirit.

Constantia distractionum jacturam resarcit.

tentationibus, etiam impertinentissimis, divexeris, nec eas dispellere posse tibi videaris; da operam, ut quoad possis, in bona tua voluntate sanctisque desideriis perseveres: & erit hæc optima, utilissima, summique apud *Cap. 18.* Deum meriti oratio. Suprà porro, optimum quoddam, recuperandi eius quod per distractionem amisisse videmur, medium suggessimus. cui illud adde, quod animadverteres animum tuum alio avolasse, optime feceris, si curas illas quæ te abripuerant, Deo commendas, ut rectè procurentur, tunc enim ipsæ distractiones convertuntur in bonam partem orationis.

CAPUT XXIV.

De tentatione ad somnum: unde ea proveniat, & eius curandæ remedia.

Aliud impedimentum orationis est somnus, is variis de causis oritur, 1. innoxiis.

1. TENTATIO ad somnum, quæ est nova quædam distractionis species, nonnunquam à causa naturali habere ortum potest, ut à somni defectu, à magna corporis defatigatione ac labore, tum à tempore ipso, & ætate, demum à cibo ac potu, etiam aqua, largiùs sumptis. Interdum à mera dæmonis tentatione proficiscitur. Unde veteres illi sanctique eremi Patres commemorabant, sibi in spiritu divinitus ostensum, certos quosdam esse dæmones, qui Monachorum cervicibus & capitibus insidentes, eos ad dormiendum inducerent; alios verò, qui digitum ori ipsorum inserentes eos ad oscitandum & pandiculandum excitarent.

Secundo ex causis culpabilibus.

2. Alias denique hoc à nostra tepiditate ac culpabili negligentia nascitur, ut cùm inter orandum eo sumus situ, qui facilè somnum conciliet, & ad stertendum inducat.

Remedia contra somnũ.

3. Præcipuum, adversus somnum remedium est id, quod suprà (cap. 21. & 22.) pro attentione inter orandum habenda, suppeditavimus, ut nimirum recordemur, in Dei omnia cernentis nos conspectu versari. Nam, ut qui ante Principis oculos versatur, dormire non audet: ita nos, si consideremus, in divinæ majestatis oculis nos agere, & à Deo omnia contuente videri, non parum erubescere oporteret, quòd in oratione obdormiscamus.

Naturalia remedia.

4. Bonum quoque remedium est, in pedes stare, non inniti, frigidâ oculos madefacere: cui rei solent orantes nonnulli panniculum aqua humectatum penes se habere, ut oculos eo madefaciant, dum ab hac tentatione impugnantur. Alii, ut soporem hunc pellant, vel cœlum assiduè intuentur, vel lumine accenso loci tenebras fugant, vel coram Sanctissimo Sacramento Altaris, aut in aliorum cætu orationem instituunt, vel denique flagellationem orationi præmittunt: & hoc pacto se excitantes devotionis ardorem concipiunt. Alii, in ipsa oratione aliquem sibi dolorem infligunt, quo se exstimulant; &, cùm remotis arbitris orant, aliquantisper in modum crucifixi, brachia extendunt.

Vocalis oratio

5. Huc etiam non parum confert,

juvat meditationem. fert, subinde vocaliter loqui, aut vocales aliquas orationes fundere, quibus, ut suprà diximus, homo mirum Cap. 22. in modum excitatur & vegetatur. His, aliisque id genus remediis nos consultum est uti, Dominum rogando, ut ab hac nos infirmitate curare dignetur.

Exemplũ somnolentorum punitorum. 6. Religioso cuidam ex Ordine Cisterciensium (ut eiusdem instituti monachus Cæsarius in suis Dialogis refert) identidem in oratione dor- Li. 4. Dial. cap. 29. mienti, quadam vice Redemptor noster Jesus Christus crucifixus, averso vultu, & tergo obverso apparuit, ipsumque his ferè verbis est allocutus: Quia negligens & torpidus es, idcirco faciem meam non mere- Lib. 4. c. 38. ris aspicere. Alium verò, (ut ibidem refertur) multò asperiùs corripuit: cùm enim is in choro, inter orandum more solito obdormisset; venit ad eum crucifixus de altari, ac talem illi alapam infregit, ut ex ea triduo pòst exspiraret. E quibus omnibus satis colligere est, quantopere Deo hæc negligentia ac tepor orationis tempore displiceat. Religiosus quippe torpidus, segnis ac tepidus (ut ibi Cæsarius ait) Deo nauseam ac vomitum movet, juxta illud Apocalypse- Apoc. 3. 16 os, *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.*

Dormientes prohibentur sacrificio Missæ. 7. Petrus Damianus de S. Abbate Romualdo, Camaldulensis instituti fundatore; deque Monachorum eiusdem oratione loquens, tam grave piaculum apud eos haberi solitum asserit, vel tantillum in oratione dormitare, ut qui hanc culpam incurrisset, illum S. Romualdus eo die sacris operati prohiberet, quòd irreverenter & indignè in illius Domini conspectu esset versatus, quem erat in altari recepturus.

Caput XXV.

Quanti referat extraordinaria aliqua tempora seligere, meditationi & orationi prolixiùs vacandi.

1. Quemadmodum homines mundani, ad corporis sui refectionem, præter quotidianam & ordinariam cibi sumptionem, extraordinarias quasdam habent recreationes & convivia, in quibus liberaliùs hilariusque genio suo indulgere consueverunt: sic æquum planè est, ut & nos, præter quotidianam orationem, spirituales nostras festivitates & epulas extraordinarias habeamus, in quibus animæ nostræ, non jam ad mensuram ac dimensum (uti aliis diebus solent) reficiantur, sed ab abundantia ubertateque dulcedinis, & gratiæ Domini repleantur. Vti corpus, sic anima habet utiliter extra ordinem refocillamenta.

2. Hoc porro & natura ipsa luculenter nos docet: quando non est contenta voce, singulis noctibus in terram decidente; sed vult præterea, ut ipsa interdum plausæ per integram, aut etiam duam septimanas continuò decidentis humore inebrietur. Nec id sine ratione: ut, scilicet hoc pacto ab aquis ita penetretur & immadescat, ut eam nec solares æstus, nec arida ventorum flabra postea supervenientia, queant arefacere. Ad eundem modum, animas nostras par est, præter quoti- Simile ex auræ alternæ vicibus.

dianum & communem rorem, singularia quædam habere tempora, in quibus ita virtutum imbre cœlesti perpluantur, & medullato devotionis succo adimpleantur, ut nec occupationibus externis, nec tentationū ventis, nec mundi successibus casibusvé ea exarescant.

Exempla. P. Franc. Arias p. 2. profect. spirit. tra. 5 de orat. cap. 7.

3. Sic legimus, non paucos viros sanctos, & Ecclesiæ Prælatos, occupationibus & negotiis suis ad tempus intermissis, sæpiùs per annum ad aliquot dies, in locis secretis & ab hominum consortio sequestratis mentem colligere solitos, ut hac ratione se magis orationi ac cōtemplationi darent. Ita S. Abbas Arsenius unum ad hoc singulis septimanis diē (sabbathū inquam) seligere solitus fertur, quo, nimirum, jam inde à vespera diei præcedentis usque ad sequentis exortum, in oratione perseverabat.

Recollectio extraordinaria 1. arcet teporem.

4. Utile profectò id exercitium, non tantùm ut in virtute magis magisque proficiamus, verùm etiam minimè in ea retrogrediamur: tanta namque hominis est imbecillitas & miseria, tanta nostra in malum proclivitas, ut, etsi nonnunquam spiritualia nostra exercitia cum fervore incipiamus, statim à primævo illo ardore, cum quo cepimus, sensim deficiamus & defervescamus. Quemadmodum aqua, quantumvis ferveat, si eam ab igne removeas, mox ad naturalem suam frigiditatem paulatim redit: ita & nos quamprimum ad teporem & remissionem nostram connaturalem magis nobis insitam ac naturaliorem, quàm aquæ sit frigiditas, regredimur. Dicit quippe Spiritus sanctus: *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Gen. 8. 21. Et, *Quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorū.* Sap. 12. 10. Atque uti è nihilo sumus, ita ad nostrum nihilum ilicò redimus.

Inprimis Hominū distentorum.

5. Huc accedit, quòd, cùm Societatis nostræ homines ita sint occupati & distenti, hic quidem studiis, ille suis ministeriis ac functionibus, alius suo officio & occupationibus exterioribus; maior sanè nobis extraordinariæ huius recollectionis incumbat necessitas: quantumcumq; enim prædictæ occupationes bonæ sint ac sanctæ; tamen, uti culter quotidiano usu hebescit, & subinde ad cotem exacuendus est, quòd eius acies & chalybs factus sit obtusior; ita nos, dum aliorum salutem procuramus, paulatim è continuo eorum usu in spiritu obtundimur, propriamque salutem negligimus.

Aliis serviendo consumimur.

6. Axioma præterea & scitum Philosophorum est. *Omnis agens agendo patitur*, ac seipsum destruit. Id in seipso quisq; nostrûm quotidie experitur. Quocirca permagni refert, subinde nos colligere, à reliquis omnibus occupationibus mentem subducendo, quò istud damnum resarciamus, quotidianum detrimentum reparemus, novas quoque vires ad ulteriùs procedendum acquiramus: magis quippe nobisipsis, quàm proximo, obstricti sumus, & benè ordinata caritas à semetipsa initium ducat & incipiat.

2. Intendit zelū animarū.

7. Quin, & ad proximum juvandum promovendumque hoc ipsum permultum interest. Certum namq; est,

eſt, à maiore profectu noſtro, maiorem fratrum & proximorum profectum dependere. Proinde nullum in ſalute proximi procuranda tempus deperditur, dum ſibi quis id impendit; at potiùs lucrifit: perinde ut agri novales alternis annis ſeruntur, & uno interquieſcere ſinuntur, ut ſequenti majore proventu luxurient. Magiſter Avila hanc animi collectionem eſſe ſimilem ajebat lapidis molaris redacutioni, qua is reddatur ad molendum aptior.

Qui plus occupãtur, ſæpiùs ſe recolligãt.

8. Quamobrem non eſt cur quis pluribus occupationibus diſtentus, hanc ſpiritualem recollectionem fugiat: imò quo erit occupatior, & pluribus functionibus & negotiis implicatus, eo magis eum ad hoc medium neceſſarium erit confugere. Qui vaſtũ mare conſcenderunt ſæpè portum ſubeant opus eſt, ad aquam recentem in navem convehendam: ita & ii qui negotiorum plurimorũ tractatione, occupationibuſque externis jactantur, ac proximo totos ſe impendunt, inque tot naufragiis, periculis, occaſionibus verſantur; ſæpè ad optatum ſolitudinis & recollectionis portum recurrant oportet, ut in eo vires ſpirituales reſtaurent, ſe reficiant, & de rebus neceſſariis ſibi provideant.

Exemplũ Apoſtolorum.

9. Illuſtre huius receſſus exemplum in Evangelio videre eſt. Apoſtoli, uti S. Marcus refert, ita ſe totos proximis juvandis impendebant, ut vix cibo ſumendo eis tempus ſuppeteret: tanta ſcilicet erat hominum ad ipſos confluentium multitudo. Qui cùm dein Redemptori Jeſu rationem ab ſe geſtorum redderent, ab illo audierunt, *Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum.* Si Apoſtoli hac recollectione & ſeceſſione in ſolitudinem opus habuere, ſi hanc quoq; ipſis Salvator Jeſus conſuluit; quanto magis ea nobis futura neceſſaria?

Marc.6. 31.

Recollectio eſt neceſſaria animæ, uti ſomnus corpori.

10. Qui orationis orandique methodum ſcripto tradunt, id animæ eſſe dicunt orationem, quod corpori eſt ſomnus: unde etiam Scriptura ſomni nomine eam nuncupat: *Ego dormio,* inquit, *& cor meum vigilat:* & ſponſus, *Adiuro vos filia Ieruſalem, ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.* Et hoc ipſum pluribus demonſtrantes, docent, quemadmodum ſomno corporali corpus inſtauratur, & novum velut vigorem ac vires concipit: ita animam ſpiritali hoc ſomno orationis revigorari, & novum ſpiritum, firmitatem, roburque, ad pro Dei nomine laborandum, conſequi. Adhæc, ſicuti homo, quantumlibet bonis paſtus cibis, niſi neceſſarii ſomni quietem capiat; debilitatur, langueſcit, nec ab amentia & veſania multum diſtat: ſic eum qui operibus exterioribus, quantumvis bonis & ſanctis, ita ſe dicat, ut neceſſario orationis ſomno & quiete frui non valeat, in ſpiritus infirmitatem & languorem incidere, & in præſentiſſimo pereundi periculo verſari. Atq; idcirco monet ſponſus, ne dilectam quis evigilare faciat, donec ipſa velit. Quando quis dormiens, ob ſtrepitum & tumultum excitatum expergeſit, perquam id moleſtum eſt, & importu-

Cant.5.2.
Cant.8.4.

num.

num: at dum sponte expergiscitur, quòd jam abundè pernecessarium somnum corpori satisfactum sit, & fumi ad cerebrum ascendentes, evaporarint, perfecteq; consumpti sint, minùs id molestum & insuave est. Pari modo habet res animæ: cupit siquidem Deus, ut nihil omnino ipsam interturbet, nihil eius orationis somnum impediat, sed ut ipsa ultro & sponte, cùm scilicet tamdiu in ea fuit, quoad sibi necessarium esse & expedire judicant, evigilet, & tum in opera caritatis se impendat. Hac quippe ratione tunc illa laudabiliter ac fructuosè suscipientur.

Primum Tempus Recollectionis, cum sentitur tepor.

11. Etsi verò omnium nostrûm, & semper permultum intersit, per spiritualia illa exercitia animum colligere, ac magis diutiusque orationi vacare, ac quo magis & amplius id præstiterimus, eo futurum sit melius, particulariter tamen in certis quibusdam casibus & occasionibus, id magis necessarium est: verbi gratia, dum aliquo ex indicio advertit homo se in exercitiis suis spiritualibus, orationis, examinum, lectionis spiritualis, &c. intepescere & segnescere, quòd scil. illa non ut par est, obeat, nec fructū, quem oportet, ex iis colligat: adhæc, dum se in regularum observatione languere, & negligentem esse, ac parva parui ducere animadvertit: præterea, se in spiritu non ambulare, sed exterioribus totum se applicare, & negotiis ac rebus, quas tractat, nimioperè insistere; denique cùm observat, nullam se de passionibus victoriam referre, nec in ulla re, in qua tamen oporteat, mortificare; tunc, inquam, perutile fuerit ad dies aliquot his exercitiis mentem colligere, ut tandem firmam quamdam resolutionem faciat, & victoriam aliquam de seipso referat.

Plus modica recollectio, quā plurimi ordinarii dies conferunt.

12. Fieri siquidem potest ut tali temporaria collectione & secessu ampliore à Deo Opt. Max. gratiam robur ad se mortificandum, victoriamque de se ipso aliquam referendam, quàm ordinario multorum dierum sudore, labore, exercitiisque consequatur. Sæpè enim fit, ut quis, perpetuo cespitans (id est identidem cadens & mox resurgens) horum exercitiorum aliquo planè resurgat, meliora sapiat, illuminetur, veteribus moribus damnatis, ad ea quæ oportet animetur, in virum alterum mutetur, aliumque vivendi procedendique modum assumat. Nam profectò, quòd quis tanto tempore in solitudine maneat, secum & cum Deo loquendo, magna solet esse dispositio, ut ei Dominus ad cor loquatur & plurimas gratias & charismata conferat. *Sedebit solitarius, & tacebit, quia levavit se super se.* Thren. 3. 28. Unde etiam admirabiles quasdam extraordinariasque vidimus per per hoc causatas mutationes. *Non est* autem *abbreviata* nunc *manus Domini*: Iob. 59. 1. ac nunquam de eo est diffidendum, sed semper, quidquid est à parte nostra, agendū. Quid scis, quid in anima tua Deus, positâ tali dispositione, operaturus sit? fortè totum profectum & perfectionem tuam huiuscemodi exercitiis alligavit, ac circumscripsit. Videtur adhæc, iste secessus ac recollectio post longam aliquam profectionem,

post negotiorum tractationes, post occupationes obnoxias distractioni animæ tam esse necessaria, quàm corpori post longam infirmitatem ac morbum bona tractatio, recreatio & delicatior refectio, ut sic homo per multa diffusus sibi reddi, ac perdita recuperare valeat.

Recollectio occupationib⁹ præmittẽda, ceu præservativum.

13. Alterum tempus erit, in rem eius cui huiusmodi munus suscipiendum est, ut id quibusdam exercitiis antevertat ac præveniat, ut maiori deinde spiritu, ac sine ullo sui detrimento id obeat: Melior namque est medicina præservativa, eâ quæ postea morbo medetur. Hac etiam de causa S. P. Ignatius omnibus Superioribus præscribit, ut antè, quàm munus suum exercere incipiant, se recolligant, ad aliquot dies exercitia spiritualia obeundo. Idem quoque consulitur in longinquam ac diuturnam aliquam Missionem abituro.

Exemplũ Christi ante conciones 40 diebus secedentis.

14. Cuius rei exemplum nobis dedit Redemptor Jesus, qui priusquam prædicare inciperet, per quadraginta ipsos dies in deserto se recollegit, & fuit iste secessus præstantissimus quo satanam ad victoriam Domini elicuit, & nostra exercitia fundavit.

In necessitatibus publicis recollectio instituenda.

15. Tertium Tempus accuratioris Recollectionis vel secessus est tempus tribulationum ac necessitatum, idque tam propriarum ac privatarum, quàm publicarum ac generalium totius Ecclesiæ, aut universæ Religionis: Semper namque optima placandi Dei, misericordiæque eius obtinendæ ratio in Ecclesia Christi habita & usitata fuit, orationes, pœnitentias, & mortificationes adaugere & ingeminare.

Annuè & Seriò facienda Exercitia.

16. Omnes hæ occasiones, inprimis bonæ sunt, ut exercitiis his homo se dedat; verùm non est, cur ipsas studiosè conquirat: propria siquidem tum necessitas & inopia, tum emolumenti spes impellere nos debet, ut sæpiùs id & desideremus & procuremus. Nullus elabi deberet annus, quo non minimùm semel spirituales hasce ferias ac vacationes usurpemus; & quidem valdè ex animo, totoque affectu. Tanti quippe momenti res, quanti hæc est, non est specie tenus, vel externa cerimonia, vel ad hominibus placendum, obeunda.

Quanti sint momenti Exercitia.

17. Porro singulari prorsus modo isthoc Deus Opt. Max. medium Societati contulit; idque non solùm in nostri ipsorum profectum & commodum, verum etiam proximi, ut per hoc illi prosimus & opitulemur. Unde etiam in instituti nostri diplomatibus, id inter præcipua, quæ Societas habet ad proximos juvandum, media recensetur. Et hæc est altera maximi ponderis ratio, cur S. P. N. horum exercitiorum usum familiarem nobis esse velit, eumque partim in Constitutiones nostras, partim in regulas Sacerdotum retulerit: *Vt in hoc, inquit, armorum spiritualium genere tractando, quod Dei gratiâ ad ipsius obsequium tantoperè conferre cernitur, dexteritatem habere poßint.* Hoc certè medio Dominus S. P. N. Ignatium est lucratus, hoc omnes eius socios: hoc eodem hactenus adducti alii plurimi, tam intra Societatem, quam

4 p Conß. c. 8. §. 5. regul. 7. sacerdot.

extra, Dominicæ voci auscultarunt. Et quoniam cùm in his, tum in illis, Dominum, per mirabiles quosdam effectus ad finem, velut per medium quoddam tam singulari modo ab ipso profectum, concurrere vidimus; spem magnam ac fiduciam concipiamus oportet, fore, ut etiam nobis hoc præsidio auxilium, ac gratias plurimas conferat.

Indulgentia plenaria facientibus Exercitia, 10. dierum.

18. Ad supradicta addo aliud, non minùs notabile, quod ad hanc rem ambabus ulnis amplectendam, peculiari quodam modo juvare nos & animare debet: singularem, scilicet, illum favorem & gratiam, quam Sanctissimus D. N. Paulus V. Pontifex Max. quoad hoc, concessit omnibus Religiosis, in Bulla vel constitutione Apostolica 23. die Maij, anno Domini 1606. Pontificatus sui primo data. In hac plenariam Indulgentiam, & omnium peccatorum remissionem; omnibus Religiosis, cuiuscunque sint ordinis & instituti, elargitur, qui per decem dies se ad hæc exercitia spiritualia peragenda, recolligent, quotiescunque id fecerint. E quibus videre licet, quanti rem hanc Summus Pontifex faciat, & nos facere oporteat. Ad maiorem autem omnium & singulorum consolationem, hoc loco ipsamet Pontificis verba sigillatim adferam. Sic ergo loquitur: *Iis verò qui de suorum Superiorum licentia à negotiis per decem dies alieni, in cella commorabuntur, aut ab aliorum conversatione separati, in piorum librorum & aliarum rerum spiritualium, animos ad devotionem & spiritum inducentium, lectionibus operam suam dederint; addendo sæpè considerationes & meditationes mysteriorum fidei Catholicæ, divinorum beneficiorum, quatuor novißimorum, paßionis Domini nostri Iesu Christi, & aliorum exercitiorum, orationem jaculatoriarum, aut vocalium; saltem per duas horas in diem & noctem, orationibus mentalibus sese exercendo; faciendo eodem tempore confeßionem generalem, aut annualem, vel ordinariam, Sanctißimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, aut Missam celebraverint; toties pro quolibet prædictorum exercitiorum, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam & remißionem misericorditer in Domino concedimus.*

Caput XXVI.

De fructu, quem ex his spiritualibus exercitiis nos colligere opertet.

Triplex exercitiorum usus. Primus Reformatio in ordinariis actionibus omnibus. Tract. 2. c. 1. & 2.

1. Tria sunt potissimùm nobis in his Exercitiis spectanda, ut optatum quisque fructum ex iis colligat. *Primum est*, reformare nos in iis operibus, quæ quotidie agimus, imò in iisdem nos perficere. Omnis namque profectionis ratio consistit in eo, ut res ordinarias benè recteque obeamus, uti suo loco diximus. Nemo verò sibi persuadeat, ideo dumtaxat exercitia suscipi, ut octo quindecimvé diebus reclusus orationi identidem incumbat; verùm ut illic quandam quasi consuetudinem & usum contrahat orationi suæ meliùs insistendi, additionum quoque & documentorum, quæ ad benè oran-

orandum præscribi solent, observandorum, examinum ritè obeundorum, rei divine vel faciendæ, vel audiendæ, officium divinum decenter recitandi, aelectionem spiritualem fructuose faciendi, atque ita de reliquis. Quæ etiam est causa, cur toto illo tempore homo sibi omne rerum secularium commercium interdicat, curasque omnes seponat, ut in his rebus accuratè convenienterque peragendis se solum exerceat, quò totus veluti renovatus, & quodã taliter ea postea obeundi usu contracto, è collectionis suæ hoc loco egrediatur. Hinc S.P.N. toto Exercitiorũ tempore (quòd, cùm integra peraguntur, menstruum esse solet) præscribit, ut examen particulare circa additionum observationem, & diligentem exactumque spiritualium horum Exercitiorum functionem instituatur, defectus si qui in utroque committuntur, annotando, ut sic quendam velut habitum & usum quis induat ad hæc omnia in posterum optimè obeunda. Quod etiam multis in locis identidem inculcat, utpote, qui probe perspectum haberet, quantum in eo fructus ac boni consisteret.

Lib. exercit. spirit. in addit. 1. hebdomad. notab. 4. & in 2. hebdomad. die 5. & hebdom. 3. notab. 4. post 2. cõtempl.

2. Neque verò solùm in Exercitiis spiritualibus (quamquam hoc præcipuum sit, quodque robur & vitam rebus ceteris dare debet) verùm etiam in omnibus negotiis & occupationibus exterioribus quis renovatus, & velut alius homo è spirituali hoc secessu prodire debet, quodam inde spiritu ac vigore hausto, ad officium functionesque accuratiùs servandas. Exercitiorum ergo fructus non est pro illis solum diebus, sed maximè pro futuro & sequentibus. Quare dum quis ab iis recenter prodit, illorum fructus est ex operibus externis metiendus & notandus.

Fructus exercitiorũ spectandus ex operibus secuturis.

3. Alterum, quod ex Exercitiis colligere conari debemus, est seria nostri in aliquibus rebus noxiis & imperfectionibus quas habemus, mortificatio, atque victoria. Oculos igitur mentis in ea quisque conjiciat, in quæ communissimè ac frequentissimè impingere solet, vel in quæ ut alii impingant ipse causa est, dum vel ob illa offenduntur, vel propterea scandalizantur: &, his in se defectibus correctis, & evulsis, ab Exercitiis prodire studeat; ac tum demum optimè perfecteque exercitia obierit: hanc quippe ob causam ea sunt instituta, hicque potissimùm illorum finis & scopus. Unde etiam libelli, quo ipsa traduntur, titulum, in Hispana editione, sic S.P.N. concepit: *Meditationes spirituales, quarum ope & ductu seipsum homo vincat, vitãq; & affectus suos ad maius Domini nostri Iesu Christi obsequium dirigat.* Adeò ut quisque ab Exercitiis *in virum alium*, ut Saulem Samuel, *& in virum perfectum*, ut loquitur Apostolus, *mutatus* & innovatus planè, egredi conari debeat: ut ipsa, scilicet, opera postea testentur ac clament, hunc Exercitia spiritualia obiisse: ut v. g. si antea fuit loquax, garrulus & prodigus temporis, postea jam silentii & solitariæ recollectionis amicus esse videatur; si antè delicias & commodi-

Alter usus est certas imperfectiones corrigere.

1. Reg. 10. 6.

Ephes. 4. 13.

Novus homo ab Exercitiis prodeat.

moditates privatas consectabatur, jam appareat mortificationis & pœnitentiæ sectator: si priùs verbis mordacibus proximum offendebat, posthac ab iis abstineat: si antè in regularum observantia negligens atq; incurius erat, & parva parvi pendebat, deinceps sit in obediendo promptus & exactus, parva minutaq; jam magni faciat, & nullum ampliùs, vel minimum, per Dei gratiam, studio dataque opera delictum committat. Si quis enim eosdem defectus & imperfectiones, quas habuit, retinere velit, talis ab exercitiis prodire, qualis antè fuit, quid illi, obsecro, prosunt Exercitia.

Li. de pœnitent. c. 10. Exemplũ mutati Hominis.

4. Refert S. Ambrosius de quodam adolescente rem admiratione dignam, quam quoniam ipse narrat, & nobis proferre fas est. Hic cùm & vitæ perditæ, & parvæ spei esset, longam profectionem instituit, in qua unà cum cœlo etiam vivendi genus mutavit. Itaque ad suos reversus, casu antiquam amasiam obviam habuit; quâ conspectâ, quasi illam aut non nosset, aut contemneret, tacitus pertransit. Ipsa se despectam admirata, nec agnitam rata, ultrò ad eum accessit, eique ad autem insusurrans ait, *Ego sum illa.* Tum juvenis, *At ego non sum iste.* Totus quippe erat mutatus, & planè alter. Pari modo & nos mutari, & in viros alios reformari oportet, ut cum Apostolo

Gal. 2. 20. dicere possimus. *Vivo autem jam non ego*, id est, jam non vivit ille qui olim vivebat in lege, qui Ecclesiam

Hier. in hac verba. persequatur, *vivit verò in me Christus.* Atque hoc, Christum significare voluisse per hæc verba, *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum*; asserit S. Ambrosius. Ille, inquit, seipsum abnegat, qui se in alium hominem mutat, & jam non ampliùs esse vultis qui solebat esse.

Matt. 16. 24. Luc. 9. 23. S. Ambros.

Lib. 1. vitæ c. 8. Aliud Exemplum.

5. P.N. Franciscus de Borgia, (uti in vita eius legimus) postquam Imperatricis defunctæ corpus Granatam conduxisset (ubi mirificè illum Dominus illustravit, mundique vanitatem in tetro illo mortis spectaculo, quod præ oculis habebat, ei spectandam dedit) ad aulam jam reversus, affirmavit eam planè sibi mutatam videri; quòd, scilicet, ipse divina luce & illustratione plane esset mutatus. Tales ergo & nos ab Exercitiorum palæstra, per novam lucem & illustrationem, quam in ea Dominus solet elargiri, egredi oportet.

Tertius usus est Virtutẽ certam, orando & exercitando acquirere.

6. Tertium, in quod oculos oportet conjicere, quò ex Exercitiis id hauriamus, quodque è superioribus consequitur, est alicuius virtutis, & cuiusdam perfectionis gradus acquisitio, eius inquam in primis, quo potissimùm & præ aliis opus habemus. Ad hunc enim effectum antè vitia evelluntur, ut deinde virtutes, inserantur. Duæ res, inquit sanctus ille vir, ad profectum spiritualem quàm maximè juvant: Primum, magno animi conatu illud vitium declinare, ad quod vitiata & corrupta natura nostra propendet (hoc est id de quo antè paulò locuti sumus.) Alterum, magno cum fervore ei virtuti comparandæ insistere, qua præ aliis opus habemus: & hoc, tertium est, de quo in præsenti agimus. Ipsum quoque Exer-

Thomas Kempis.

Cap. 9. Exercitiorum Directorium, agens de modo, quem in iis obeundis servare nostros oporteat, ait, *non esse nobis anxiè diuq; in prima hebdomada hærendum. Duo tresvé*, inquit, *ad hoc sufficiunt dies, ut ad alias meditationes, è quibus maior haurietur perfectio, transeundi sit locus & oportunitas.*

Regulæ sui statûs ruminãdæ eo tempore v.g. de Humilitate. Reg. 11. *summarii Const.*

7. Inter alia verò, quæ illo loco hunc ad finem afferuntur, vult assumi subinde, ad ruminandum, aliquas de primariis regulis, in quibus omnis, ad quam aspirare possimus, consistere perfectio videtur, qualis est, hæc sequens: *Quemadmodum mundani diligunt & quærunt magna cum diligentia honores, famam, & magni nominis æstimationem in terra: sic nos diligamus & exoptemus quæ iis omnino cõtraria sunt.* Seriò igitur in quadam exercitiorum recollectione animum inducas ad hanc perfectionem contendere, & illuc humilitatis & submissionis pertingere, ut tantum contumeliis, despectu, opprobriis, injuriis, falsis ac iniquis testimoniis gaudeas, quantum homines mundani honore, & æstimatione. quod si adeptus fueris, in multis conflictibus importunisque vexationibus, quoad famam, nomen & existimationem (quam nimirum hic è doctrina, ille ex officio ac munere quo fungitur, nonnemo functionibus & negotiis quæ tractat, aucupatur) quibus profectus spiritualis non mediocriter turbatur & impeditur, victor existes.

Reg. 17. Summarii Const. Vel de Purissima intẽtione.

8. Aliàs sequentis regulæ praxis tibi sit in desiderio, & reipsa eam exequare. *Omnes rectam habere intentionem studeant, etiam circa res omnes particulares, id semper in eis sincerè spectantes, ut serviant & placeant divinæ bonitati propter seipsam, & propter caritatem & eximia beneficia, quibus prævenit nos, potiùs quàm ob timorem pœnarum, vel spem præmiorum.* Ad talem scilicet intentionis puritatem & rectitudinem pervenire stude, ut nulla in re, tam parva, quàm magna, in temporalibus juxtà ac æternis, tuum proprium commodum & emolumentum quæras; sed in omnibus purè unicam Dei voluntatem & gloriam quæras, ipsaque sic unicum tuum sit gaudium ac voluptas, ut tuiipsius, omnis utilitatis propriæ, ac commodi privati penitus obliviscaris. Aliàs denique in perfectissimam quandam cum Dei voluntate conformitatem oculos defige: ut scilic. quæcunque tibi occurrent, tam magna quàm parva, & quolibet modo, viâ, medio ea adveniunt, velui à benigna Dei manu venientia, acceptes. In hæc aliaque id genus, ad perfectionem spectantia oculos nos conjicere oportet, dum Exercitiis spiritualibus vacamus; nec antè desistere, quàm hæc ipsa consequamur.

Conformitas voluntatis nostræ cum divina.

Caput XXVII.

Documenta quædam proponuntur, quæ nobis ad maiorem ex his exercitiis fructum colligendum usui sint.

Documẽtum primum, providere.

1. Ut verò spiritualia isthæc Exercitia in maiorem utilitatem nobis cedant; & is, quem diximus, ex iis fructus existat, notandum est primò, sicut suprà insinuavimus, ado- *Cap. 14.*

ad orationem accedenti, non puncta solùm, quæ in oratione meditaturus est, præparanda, verùm etiam fructum, quem ex ea est collecturus, præfigendum: ita eum, qui hæc Exercitia est facturus, sibi sigillatim præstituere ac prævidere debere, quidnã ex iis utilitatis & fructus colligere velit: scilicet, ut, antequam se ad ea facienda colligat, ipsaque aggrediatur, videat, ac secum attentè, sedatè, & diu dispiciat. Ecquæ est maior mea spiritualis necessitas? qua re maximè indigeo? ad quid vitiosa mea natura, passiones inordinatæ, aut mala consuetudo mea, longo habitu cõtracta, magis propendet? quid est, quod animam magis exagitat? quid est in me, quo fratres mei offendi & male ædificari queant? Atque illud est, quod pro oculis habere ipse ac sibi præfigere debet, ut id ex Exercitiis eliciat, atque seriò ac revera in se corrigere proponat.

Exercitiorum optimus scopus.

2. Hæc optima quædam est exercitia auspicanda præparatio. Proinde notandum hîc est, quando se quis Exercitiis spiritualibus informandũ tradit, non tam esse spectandum, ut magnum & sublime quoddam orationis genus habeat; nec tam cogitandum, se, quòd in solitudine mentem recolligat, & intra cubiculi cuiusdam secessum abdiderit, statim aliquem ad Deum aditum, magnam mentis quietem, & in oratione attentionem habiturum (cùm fieri possit, ut eo tempore distrahatur, importuniùs vexetur, ac pluribus tentationibus pulsetur, quàm dum externis suis officiis & ministeriis distinebatur:) quàm, ut jam dictum fructum ex iisdem colligat, & ad id seriò animum suum inducat.

Nõ consolatione, sed emendatione Exercitia metienda

3. Quæ si inde elicuerit, benè Exercitia sua obierit, etsi eam quam optabat, devotionem forte non habeat: contra verò, esto jamjam inde ab orationis principio ad finem usque in lacrymas assiduè resolvatur, & sensili devotione perfundatur, non propterea rectè & prout oportet, Exercitiis perfunctus fuerit. Neque enim hic eorum finis ac scopus est, sed ille prior.

Li. Exercit. spirit. in addit. 1. hebdom. addit. 5. Alterum Documentum Revidere.

4 Huc quoque non mediocriter conferet illud S. P. nostri documentum, quod à nobis in omni vult oratione observari: Nimirum, ut quis, orationis horâ jam decursâ, per horæ quadrantem, aut circiter, sedendo, deambulando, successum ipsius examinet, secumque dispiciat, quomodo sibi ea successerit: Si quidem malè, mali huius successus causam inquirat; videat, inquam, num benè meditationis materiam antè præpararit; num quem impertinentibus, alienisque cogitationibus locum dederit, num à somno se opprimi sponte passus sit: num speculationi intellectus nimiùm intenderit: num corde torpido ac languido ad orationem se applicuerit; num voluntatis affectus excitare neglexerit; deniq; tam puram intentionem non habuerit, ut quidem par erat, propriam scilicet magis in ea consolationem, quam divinum beneplacitum quærendo. Si in horum quopiam se deliquisse comperiat, doleat, & in futurum emendationem proponat.

Si verò bonum oratio successum habuerit, Deo gratias agat, eandem orandi methodum in aliis posthac orationibus servare procurans. Magni sanè documentum hoc momenti est.

Vtilitas revisionis huiusmodi prior.

5. *Primò*, quòd per isthoc examen ac reflexionem, usu experientiaque homo addiscat, quænam malisuccessus orationis suæ sit causa, ut ab ea sibi posthac caveat: quænam etiam boni, ut ipsam exinde sectetur. Atq; hac via tum discretio spiritualis, tum magisterium, quòd à scientia experimentali ortũ trahit, comparatur. Inde est, quòd S. P. noster hoc examen, & reflexionem orationis, permagni faciat, ut perfecti magistri non in hoc solum, sed & in aliis omnibus exercitiis & ministeriis nostris, evadamus. Unde in quarta Constitutionum nostrarum parte Confessario perutile fore ait, ad benè officio suo fungendum, si, alicuius confessione exceptâ, apud se consideret & dispiciat, num quem eo in opere defectũ commiserit, præsertim cùm primùm huic muneri se applicat, ut eum proxima vice emendet, & prioribus suis defectibus cautior atque prudentior reddatur. Ergo & hanc ob causam isthoc orationis examen instituitur. Atque hoc primum ac præcipuum est, quod in eo nos facere oportet. Tanti porro momenti ac ponderis est oratio, tantique refert benè eam nos facere assuescere, &, quos in ea committimus, defectus deponere, ut S. P. Nostro satis ad hoc visum non fuerit id examen, quod quotidie meridie ac vespere instituimus; sed etiam simul ac oratio est absoluta, mox eam à nobis explorari & examinari jubeat.

4.p.Constit.c.8. lit.D. Confessarius se examinet.

Altera utilitas revisionis eiusdem.

6. Altera, & quidem non inferioris gradus, quæ in hoc examine oranti facienda est res, est ut videat, quem ex hac oratione fructum elicuerit, & eum denuo, ceu ruminatum, recolligere studeat; uti dum quis discipulus lectionem suam repetens, omnes conclusiones & assertiones eius paucis recolligit, atque earum velut recapitulationem facit. Tantum verò hoc in examine situm est, ut, si cui otium & tempus non suppetit, eius statim ab oratione instituendi, illud in ipsa oratione, sub finem eius, instituere debeat.

Tertium Documentum pro Exercit. sp.

7. Addere his & aliud monitum possumus; nempe salutare & consultum fore, ut, quæ quis ex oratione colligit, *bona*, inquam, *desideria & proposita*, *scripto breviter excipiat & annotet, necnon peculiares aliquas veritates, doctrinas, illustrationes, aut mentis serenationes, quas in ea Dominus dare solet, modò circa virtutes quasdam, modò circa mysteria, de quibus meditatur.* Id fecisse per quam diligenter primos nostros Patres legimus, atq; inprimis S. P. N. Ignatium, P. Petrum Fabrum; unde etiam nonnulla, quæ ipsi sua quoad hoc manu conscripserunt, calamo exarata à nobis etiamnum adservantur. Idem quoque faciendum consulebat S. P. Franciscus Xaverius, sicuti in eius Vita legimus. Idipsum & in Directorio Exercitiorum nobis faciendum præscribitur. Adhæc R. P. N. Generalis Claudius Aquaviva, in suis, quas ad curan-

Lib.6.c.13.eius Vitæ. Cap.2. & 4. Directoris Exercit. spir. Ca.3.

curandos animæ morbos scripsit Industriis, cùm de oratione loquitur, etiam atque etiam illud nobis commendat.

Fructus duplex huius scriptionis.

8. Et præterquam quòd hoc medio bona proposita & desideria magis magisque perficiantur, cordique imprimantur profundiùs, jam pridem longo usu & experientia didicimus, magnum ex horum scriptorum relectione consequi fructum & commodum solere. Quòd enim hæc annotata, ei propria fuerint, & ut talia, ipse aliàs senserit, hinc eum postea magis quàm alia quælibet, commovent, eædemque species illi denuò facilè objiciuntur. cùm verò se postea huc non pertingere videt, confunditur, quòd non is sit, qui fuit antè, & adeò in via Domini non progrediatur, ut potiùs regrediatur. Adeò ut aut ad ulteriùs tendendum animetur, aut saltem magna sui confusione suppleat id quod sibi deest perfectionis. Quamobrem id magni semper emolumenti & profectûs occasio esse solet, eo præsertim tempore, quo quis Exercitia obit.

Caput XXVIII.

De lectione spirituali, quantiq; ea sit momenti, & quædam eius benè fructuoséq; habendæ media suggeruntur.

Lectionis sacræ encomia.

1. Germana orationis soror est lectio, magnaque eiusdem adiutrix & subsidium. Unde Timotheo suo suadet Apostolus Paulus; *Attende lectioni.* Porro spiritualis hæc lectio tam est ei, cui Deo servire propositum est, necessaria, ut Athanasius in quadam ad Monachos exhortatione dicat, *Sine legendi studio neminem ad Deum intentum videas*; quod intermittens, statim in suo se profectu deficere ac retrocedere comperiet. Quare D. Hieron. Eustochium virginem ad sacram hanc lectionem etiam atque etiam invitat: *Tenenti*, inquit, *codicem somnus obrepat, & cadentem faciem pagina sancta suscipiat.* Imò alii SS. Patres omnes mirũ in modum spiritualem hanc lectionem commendant. Quantorum verò ea commodorum sit causa & procreatrix, quotidiana nos docet experientia: cùm omnes historiæ illustribus, quas eius adminiculo Deus est operatus, conversionibus sint refertissimæ.

1. Tim. 4. 13.

S. Athan.

Epist. ad Eustochium.

Lectio spiritualis quotidie usurpandi & visitationem etiam exigenda.

2. Quoniam verò lectio hæc, tam necessaria potensque in spiritu proficiendi ratio est, hinc ipsi Religionum sacrarum institutores, partim Apostoli doctrinâ, partim authoritate & experientia Sanctorum nixi, in suis Regulis statuerunt, ut, quotquot suum institutum profiterentur, quotidie spirituali lectioni insisterent. Sic, Humberto teste, S. Benedictus quotidie præstitutum aliquod lectioni huic suis in Monasteriis tempus esse voluit; ordinavit adhæc, ut in tempore illo duo de senioribus monachis domum universam obirent, inspecturi num quis lectionem hanc aut omitteret, aut ut ab alio eadem omitteretur, in causa esset. Unde manifestè patet, quo illam ipse loco haberet: & simul etiam per transennam notandum, quàm sint visitationes illæ,

In Prolog.

illæ, quotidie in domibus nostris, eo tempore, quo spiritualibus exercitiis vacatur, peragi solitæ, in veterum Sanctorum doctrina ac praxi fundatæ. & quidem si quis in hoc deliquisset, eum prima ac secunda vice leviter blandeque corripi sanctus ille Patriarcha volebat; sed si dein non resipisceret, tertia vice ita castigari, ut, exemplo illius cæteri territi à simili sibi delicto caverent. In Societate verò peculiari quadam regula ad hanc spiritualem lectionem obstricti sumus, quæ jubet: *Singuli præfinitum sibi tempus suæ conscientiæ bis quotidie examinandæ, orationi, meditationi, lectioniq; impendant cum omni diligentia in Domino.* Ipse etiam Superior domus, ac rerum spiritualium præfectus curare jubentur, ut singuli quotidie aliquod lectioni piæ tempus impendant. Et generatim, quicunque virtutis, ac perfectionis studio intendunt, medium hoc, indies in spirituali aliquo libro legendi, usurpare ut saluberrimum cõsueverunt; hinc, ut omnes maiore cum fructu id peragant, aliqua hîc adferemus, quæ ad benè ipsum obeundum auxilio esse poterunt.

Reg. 1. communium.

Doctorũ testimonia de lectione pia.

3. S. Ambrosius exhortando nos, ut, quodcunque possumus, tempus orationi ac lectioni spirituali dedicemus, ait, *Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas? Cur non Christum revisas, Christum alloquaris, Christum audias? Nam illum,* inquit, *alloquimur, cùm oramus; illum audimus, cùm divina legimus oracula.* Hæc igitur prima sit fructus è lectione spirituali percipiendi ratio, ut scilic. ipsi nobis persuadeamus, nobiscum Deum in ea quodammodo loqui, & nobis ea, quæ è libro legimus, dictare. Hoc ipsum medium suggerit S. Augustinus dicens; *Ita Scripturas sanctas lege, ut semper memineris Dei illa verba esse, qui legem suam non solùm sciri, sed etiam impleri jubet.* Quin mox aliam considerationem, bonam & devotam inprimis, ad hoc producit: *Divina Scriptura quasi litteræ de patria nostra sunt.* q. d. Vis scire, quo sacra Scriptura legenda sit modo? Non secùs ac litteræ, quæ nobis de patria nostra sunt allatæ, è quibus discamus quid in cœlo, patria nostra, in qua patres, fratres, amici, noti ac familiares nostri degunt, & ad quam incessanter aspiramus & anhelamus, geratur.

Lib. 1. Offic. c. 20.

Deus in lectione nobis loquitur.

Epist. 143. ad Demetriadem.

Serm. 56. ad fratres in Eremo.

4. De eadem re loquens S. Gregor. dicit, dum sacram Scripturam (quod & de alia qualibet lectione spirituali intelligendum) legimus, animæ oculis quoddam velut speculum objicere, ut in eo quales interiùs simus, perspiciamus. Ibi enim bona & mala nostra cognoscimus: videmus ibi cominus, quantum in via spiritus progrediamur, quam adhuc à perfectionis meta procul absimus: Ibi interdum mirabilia Sanctorum gesta & opera referuntur, ut iis lectis ad eorum imitationem provocemur, & ne, visis illustribus illorum victoriis ac triumphis, in tentationibus ac laboribus fracti debilitatique fatiscamus. Ibi non solùm virtutes ipsorum, sed & graves lapsus enarrantur, ut in illis, quid nobis imitandum; in his verò, quid cavendum ac metuendum

Similitudine speculi declaratur lectio Sacra.

Li. 2. Moral. cap. 1.

dum sit, videamus: ibi modo nobis in exemplum proponitur Job, spumæ instar, allisione & in medio tentationum excrescens; modò David, qui eisdem ingruentibus diffluxit ac dilapsus est: ut ille nos tribulationibus obrutos animet, & in spem erigat; hic verò in summa prosperitate & consolationibus humilia sapere, timere, nec unquã de nobis ipsis præsumere aut confidere, sed magna cũ circumspectione & cautela in omnibus ambulare nos doceat. *Optime*, inquit Augustinus, *uteris lectione divina, si eam tibi adhibeas speculi vice, ut ibi velut ad imaginem suam anima respiciat, & vel fœda quæque corrigat*, quæ ibi reprehenduntur; *vel pulchra plus ornet*, & iis, quæ ibi leget exemplis & virtutibus sese condecoret.

Epist. 143. ad Demetriadem.

Documenta per lectionem sacra. primum; lectio nõ sit festina.

5. Ut autem peculiariter ad modum hac in re servandum veniamus, notemus oportet, ut hæc lectio nobis in utilitatem cedat, eam nec festinatam, nec præcipitatam (quomodo historiam aliquam legere solemus) sed maximè distinctam, quietam & attentam esse debere. Sicut enim pluvia præceps & nimbus vehementior terram non penetrat, nec fertilem reddit, sed lenis & rarior: ita necesse est, lectionem, ut cor ingrediatur, & altiùs penetret, distinctè, interruptè, & cum matura quadam rei lectæ excussione peragi. Bonum ergo & consultum est, ut, cùm in pium aliquem locum incidimus, in illo paulò diutiùs hæreamus, & velut stationem quandam figamus, tum lecta ruminando, tum iis voluntatem movere & concitare procurando, ut in meditatione fieri solet. quod etsi in meditatione fiat diutiùs ac productiùs, in qua nimirum rebus cogitatis ampliùs inhæretur, eas ruminando, & velut digerendo; aliquo tamen modo id etiam in lectione spirituali observandum est. Ita id fieri suadent Sancti, docentque in lectione spirituali imitari nos debere bibentem gallinam: hæc namque pauculis aquæ guttulis attractis statim caput sustollit; dein rursus aliquantum sumens, rursus caput sublevat. *Hauriendus sæpè est*, ait S. Bernardus, *de lectionis serie affectus, & formanda oratio, quæ lectionem interrumpat, & non tam impediat interrumpendo, quàm puriorem continuò animum ad intelligentiam lectionis restituat.* Idem alio loco: *Nec semper ad oratorium est eundum, sed in ipsa lectione poterit contemplari & orare.*

Bernardus Ep. seu tract. ad frat. de monte Dei. Et spec. monach.

Secundò Lectio orationi instruat.

6. Ex quo apparet, quæ orationis & lectionis sit societas ac consensus, quàm una alteri subveniat: tanta equidem, ut, dum aliquem primò sensim ad orationem mentalem frequentandam inducere, & in hoc eum paulatim ac pedetentim procedere volumus (ita, scilicet, exigente hominis dispositione) ei ante omnia consulamus, ut libros quosdam spirituales legat, & in eorum lectione quasdam velut stationes & moras, eo quo diximus modo, faciat: quia sæpè hac Dominus via hominem ad orationis exercitium solet conducere. Quin imò solemus nonnullis, cùm orationem facere nesciunt, ac nihil ex ea succi ac spiritus elicere posse videntur, consulere, ut librum aliquem pium

pium in manus ſumant, & orationem cum lectione conjungant; è libro ſcilicet nonnihil legant, & mox illud meditentur, & ſuper eo orationem inſtituant; deinde rurſus lectio nova orationem excipiat. Unde efficitur, ut intellectus, cùm verbis lectis ſic adhæreſcit, non tam liberè ſe poſſit in diverſas imaginationes & alienas cogitationes diffundere, quàm dum, effuſis habenis liber & diſſolutus eſt. Adeò ut & in lectione orationem nobis inſtituere liceat, & orare legendo.

Eadem encomia lectionis & orationis. *Ephren. ſerm. 7. 8. Chryſoſt. hom. 29. ſup. Gen. Auguſt. ſer. 38. ad Frat. in Eremo.*

7. Hac de cauſa tantis lectionem ſpiritualem ſancti Patres laudibus efferunt, ut eaſdem penè in hanc, quas in orationem, laudes & præconia effundant. Docent namque *quod hæc ſpiritualis animæ cibus ſit & nutrimentum*; quòd eam corroboret, & adverſus tentationes conſtantem reddat; quòd bonas ſanctaſque cogitationes, ac deſideria cœleſtia in ea progignat; quòd intellectum illuminet; quòd voluntatem inflammet & accendat; quòd ſæculi triſtitias auferat; quòd veram, ſpiritualem, ac ſecundùm Deum lætitiam producat, aliosque id genus effectus cauſetur.

Tertium docum. Legendũ ut proficias, non diſcas, aut doceas. *In ſpecul. Monach.*

8. Aliud, ad aliquem è lectione ſpirituali fructum capiendum, monitum dat S. Bernardus, dicens: *Si ad legendum accedat, non tam quærat ſcientiam, quàm ſaporem* & guſtum voluntatis. nam ſola cognitio intellectûs res arida eſt, niſi voluntati applicetur, ut eâ ſcilicet cognitione affectus foveatur, & mentis devotio conſervetur, utpote quæ lectionis ſuccus ac fructus eſt, eiuſdemque finis. Eſt hoc inprimis notandum: magna quippe eſt differentia inter lectionem quæ purè tantùm ad ſciendum, & eam quę ad in ſpiritu proficiendum ſuſcipitur; inter eam quam propter alios, & eam quam propter ſe quis inſtituit. Primum namque, quoddam velut ſtudium eſt, alterum lectio ſpiritualis. Quocirca ſi, libros volvendo, id ſpectas, ut aliquid vel tibi addiſcas, vel notes quod in vulgus poſtea prædices & aliis denunties; erit hoc ceu nudum quoddam ſtudium propter alios inſtitutum; non autem ſpiritualis lectio, ad tui unius profectum ſuſcepta. Alia idonea ad id tempora non deſunt: *Omnia tempus habent*; *Eccli. 3. 1.* tempus autem lectionis ſpiritualis non ad hoc, ſed ad illud quod diximus, inſtitutum eſt.

Quartũ Document. nõ multa legenda. *Ephrem. ſer. 7. S. Bernard. Ep. ad fratres de monte Dei.*

9. Monent ulteriùs eamdem ob cauſam hoc loco Patres, ne quis multa eodem tempore legat, aut multas ſimul paginas obiter percurrat, ne ſpiritus prolixa lectione defatigetur potiùs, quàm recreetur. Unde S. Bernardus: *Difficilis multaq; lectio fatigat, non reficit teneriorem animum, frangit intentionem, hebetat ſenſum vel ingenium.* Quod aliud ſalutare documentum eſt, & neceſſarium inprimis nonnullis, qui in multa lectione, multorumque librorum evolutione omnem felicitatem ſuam collocare videntur. Quemadmodum enim multa & copioſa ciborum ingeſtio corpus humanum non ſuſtentat, ſed bona paucorum alimentorum concoctio ac digeſtio: ita nec animam multa alit lectio, ſed

bona lectorum ruminatio ac digestio.

Devota legenda, non subtilia.

10. Unde suadent etiam, non esse difficilia, sed facilia; & pia & simplicia potiùs, quàm involuta & intricata in lectione spirituali legenda: difficilia namque & obscura devotionem defatigare, & spiritum exstinguere & arefacere solent. Hugo de S. Victore, quendam Dei servum per visionem à Deo ipso monitum scribit, ut, rerum obscurarum lectione omissâ, vitas ac martyria Sanctorum aliaque simplia & devota legeret; quorum etiam lectio magnum illi in spiritu profectum postea attulit.

Lib.5. de erud. didasc.c.7.

Ep. ad frat. de monte Dei.

Non legendum, ut legas, sed ut inde postea opereris.

11. Quocirca benè S. Bernardus: *Sed & de quotidiana lectione aliquid in ventrem memoriæ dimittendum est, quod fideliùs digeratur, & rursus revocatum crebriùs ruminetur; quod proposito conveniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum, ut aliena cogitare non libeat.* Sicut cibum ideo corporalem non comedimus, ut illud temporis spatium comestioni impendatur; sed ut virtute alimenti tunc sumpti reliquo deinceps die & vita laborem subeamus: ita lectio; quæ spiritualis animæ nostræ cibus & refectio est (utpote Dei verba) non tam deseruit, ut tempus quo legimus, benè insumatur, quàm ut aliquem postea interdiu ex ea fructum capiamus.

Docum. 5. Lectioni præmittatur oratiuncula.

12. Bonum quoque erit, nosque omni in re permultum juvabit, si antè, quàm legere incipiamus, cor ad Deum sustollamus, gratiam ab eo poscentes, ut, quod lecturi sumus, in utilitatem nostram cedat, in animam penetret, & eius intimis fibris insculptum maneat, ac per id virtutis amantiores, & in eo quod muneris nostri est, magis illustrati ac promptiores reddamur. Sic legimus S. Gregorio solenne fuisse, lectioni orationem præmittere, illo Psalmistæ versiculo mentem præparando: *Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei.*

Ps.118.115.

Lectio concionem subinde æquat subinde superat.

13. Ut verò lectionem hanc spiritualem pluris faciamus, & ad eamdem magis animemur, solent eam sancti Patres auditioni verbi Dei assimilare: nam, esto lectio tantæ non sit energiæ, quanta vivæ voci inest; alias tamen utilitates includit, quibus vicissim conciones carent ac destituuntur. *Primò*, quod concionatorem, quis semper, & omni tempore, ad manum habere non potest, uti aliquem librum spiritualem. *Deinde*, quod benè dictum est in concione, statim effluit ac pertransit, ac proinde tantum in me effectum non facit: at quod liber bonum continet, sæpè revolvi, repeti, ruminari, & ponderari potest: quare & maioris roboris & energiæ erit. *Tertiò*, bonus liber, bonus, sincerus, liberque mihi est consiliarius: nam, ut benè dixit Philosophus, Quod amicus vel consiliarius interdum dicere mihi non audet, liber intrepidè dicit, me vitiorũ meorum ac defectuum commonens, modò objurgando, modò exhortando. *Quartò*, per lectionem conversor & colloquor cum iis qui librum con scripserunt: ergo licet mihi aliquando cum Bernardo, subinde cum Gregorio, modò cum Basilio, aliàs Chrysostomo

Non erubescit.

Demetr. Phalereus Plutarch. in Apophthegm.

Dat copiã colloquendi cum ipsis Scriptoribus.

ſoſtomo ſermonem miſcere, eos velut præſentes audire loquentes, & auſcultare ea quæ mihi dicunt, perinde ac ſi tunc illorum forem diſcipulus. Quare dicunt, nec immeritò, libros bonos, ob ingentes divitias & bona inde depromendas, publici ac parentis cuiuſdam theſauri inſtar eſſe.

Libri ſunt theſaurus.

Lectio ſacra ceu ignis accendit animam.

14. *Denique* tot tantaque ſunt bona, & commoda ſpiritualis lectionis, ut S. Hieronymus de interiori animæ incendio loquens, roget, ubinam iſtud incendium & flamma conſiſtat? ac reſpondeat, minimè dubitandum eſſe, quin in ſacris litteris, quarum lectione anima in Dei amorem inflammatur, & ab omnibus vitiis ſuis expurgatur. Idque confirmat illâ duorum Diſcipulorum, quibus in Emaus caſtellum abeuntibus, in via Chriſtus in forma & ſpecie peregrini apparuit, & quibuſcum de Sacra ſcriptura multa loquebatur, ſententiâ: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, cùm loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Nec non illa Davidicâ: *Eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum.* Et Sanctus Ambroſius ſacram lectionem eſſe ait ceu animæ vitam, teſte Salvatore: *Quòd autem*, inquit, *ſacrarum litterarum lectio vita ſit, Dominus teſtatur, dicens: Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.* Ut ergo vitam ſpiritualem vivamus, ac in ſpiritu, Deique amore ſemper ardentes & inflammati ambulemus, ſacræ lectioni ſeriò nos applicemus, & eo, quo diximus, modo impendamus.

Ep. ad Damaſum.

Luc. 24. 32.

Pſal. 11. 7.

Serm. 35.

Lectio ſacra vita animæ.

Ioan. 6. 64.

15. Multa adferre exempla poſſemus, ad ingentia bona & utilitates, quæ hac ex lectione ſequuntur, adſtruenda; verùm unum Sancti Auguſtini, quod etiam ſingularia continet documenta, fuerit ſatis. Narrat ergo Sanctus hic Præſul, nobilem & Africanum, nomine Politianum ſalutandi gratia, ſe aliquando inviſiſſe, & mira quæ paſſim per orbem de Magno Antonio ſermone omnium ſpargebantur, expoſuiſſe. Addebat inter cætera, ſe, interea dum Imperator Treveris ſpectaculis publicis teneretur, cum aliis tribus Imperatoris familiaribus, amicis ſuis, in hortos ſuburbanos animi cauſa deambulatum exiſſe, & illorum duos ab aliis digreſſos, in quandam eremicolæ caſam incidentes, in ea librum, quo Magni Antonii vita ſcripta continebatur, inveniſſe. Horum alter cùm legere in eo inciperet, illico cor eius ſancto quodam amore cœpit inardeſcere, & ſibimet iratus, & ad amicum converſus: Ecquid, amabo, omnibus illis laboribus noſtris, quos tot annis caſtra Imperatoria ſequendo, & toties magno cum vitæ diſcrimine confligendo, ſubimus, ſpectamus? Melioremne ſortem nanciſcemur, quàm ut in interiorem Imperatoris familiaritatem & amicitiam admittamur? In hoc verò ſtatu quàm omnia ſunt turbinibus, viciſſitudini, mutationi, ſummoque periculo obnoxia! Et per quot alia pericula ad hoc ingens periculum pervenitur! Amicus autem Dei ſi eſſe voluero, ecce ex hoc momento ſum. Hæc dicens, novæ vitæ, quam conceperat, parturitione non-

Exempla lectionis ſacræ.

Li. 8. Confeſ. c. 6. 7. 8.

S. Antonii vitæ lectio converſionis occaſio.

nihil turbatus, iterum suos ad librum oculos retulit, introrsumque animo mutatus, rebus mundanis, ut quidem mox apparuit, seriò valedicere proposuit. Ut enim legere cessavit, multisque in corde illius cogitationum fluctibus excitatis, & altum suspirans, commilitoni suo, *ego*, inquit, *jam quietus, & tranquilla sum mente, jam ab omni spe nostra & prætensione animum abrupi, stat animo Deo servire, & jam inde ab hac hora isthoc in loco hærebo. Tu, si sequi piget & imitari, saltem obstaculo esse noli vel adversari.* Tum alter, tam luculentâ affulgente laboris spe, se ab eo divelli, aut eius societatem derelinquere posse negavit. Quare ambo, sufficientibus sumptibus comparatis (omnia scilicet quæ habebant relinquendo) spiritualis vitæ ædificium construere cœperunt, ac Christum nudũ nudi sequi; quin & (quod non minùs mirandum) sponsas, quibus ambo desponsierant, magnâ cõstantiâ deservere: quæ, pio sponsorum suorum audito proposito, Deo se pariter consecrarunt, virginitatisq; votum conceperunt.

Aliud exemplum. 16. Hæc de aliis quidem commemorat Augustinus: sed hoc apud eum exemplum tanti fuit roboris, ut statim apud amicorum quempiam, magno animi motu exclamans, dixerit: *Quid patimur? quid est hoc? Surgunt indocti, & cœlum rapiunt; & nos cum doctrinis nostris sine corde ecce volutamur in carne & sanguine*, & demergimur in profundum. (*Cap.8.*) Rem prosequens Augustinus addit, hoc in sensu, & lancinantis animi motu, in vicinũ se hortum abiisse, & sub ficu quædam prostratum, & habenis fletui laxatis, magna cum cordis angustia & turbatione in has voces prorupisse: *Et tu Domine usquequo? Usquequo irasceris in finem? nesciet finem ira tua? ne reminiscaris Domine iniquitatum nostrarum antiquarum.* Et hæc verba, *Usquequò*, (*Cap.2.*) *usquequò?* nec non, *quamdiu*, *Cras, cras? quare non modò? cur non hac hora finis turpitudinis meæ?* magno quodam pietatis cum sensu ac motu animi, identidem repetenti & ingeminanti, vox de vicina domo allapsa est, dicens, *Tolle lege, tolle lege.* Tunc se de loco, in quo sedebat, surrexisse, ad codicem sacrum, quem apud se habebat, accipiendum, ut aliquid in eo legeret: audierat namque, hunc ipsum Antonium, dum casu in templo ex Evangelio audit legi, *Vade, unde omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in cœlo*; omnibus, quas possidebat, facultatibus abdicatis, Christum Jesum sequi proposuisse. Hoc ergo se exemplo, & magis voce auditâ, commotum, librum ait arripuisse, & in eo legisse: Qua in lectione, tantam illi Deus luminum Pater lucem infudit, ut, omnibus quæ mundi sunt, relictis, totum se illius obsequio manciparit.

(S. Antonius & S. Augustinus ex lectione conversi. Matth.19. 21.)

***

PART.

PART. I. TRACTATVS SEXTVS

DE PRÆSENTIA DEI.

CAPVT PRIMVM.

De exercitii huius, deq́ue magnis, quæ eo continentur, bonis.

Pſ.104.4. & ibi Auguſt. Beatitudinis initium eſt memoria præſentiæ Dei. *Tom.2. opuſcul. Lib.2. de profect. Religioſ. c.20.*

1. QVÆRITE *Dominum & confirmamini: quærite faciem eius ſemper*, ait Vates Regius. Facies Domini, inquit Auguſtinus, eſt eius præſentia: ac conſequenter, faciem Domini quærere, eſt, ſemper in eius præſentia ambulare, cor ad ipſum per pium deſiderium & amorem convertendo. Heſychius in ultima centuria (quem citat quoque S. Bonaventura) ait, ſemper in hoc præſentiæ Dei exercitio ambulare, eſſe quodammodo cœleſtem beatitudinem in hac vita auſpicari: Sanctorum quippe beatitudo in perpetua Dei viſione conſiſtit, nunquam ut eius conſpectu priventur. Cùm ergo in huius vitæ ſtatu clarè, & uti revera eſt, Deum videre non poſſimus (quia id Beatorum proprium eſt) noſtro ſaltem modo & prout humana id fragilitas fert, eos imitamur, aſſiduè & ubique Deum videre, intueri & amare procurando. Sicut enim nos Deus eo fine condidit, ut in omne ævum in conſpectu illius in cœlo verſaremur, eoq́ue ibi frueremur: ita etiam nos voluit in terra quoddam illius beatitudinis ſpecimen & prægustum habere, ſemper coram illo ambulantes, eum contemplantes & honorantes, etſi imperfectè & obſcurè. *Videmus* quippe Deum *nunc* per fidem, velut *per ſpeculum in ænigmate*, poſtea *autem* manifeſtè *facie ad faciem.* (*1.Cor.13.12.*) *Illa*, inquit Heſychius, *viſio clara præmium eſt*, gloria, & beatitudo, quam ſperamus; *iſta obſcura, meritum*, cuius ope illa eſt obtinenda. Cæterùm, pro modulo noſtro cælites ac beatos imitamur, dum operam damus, ut in operibus noſtris nunquam Deum ex oculis amittamus.

Vt Angeli ſemper Deum intueamur.

2. Ac velut Angeli ad nos cuſtodiendos ac tuendos deputati, ſe ita his miniſteriis occupant, ut tamen beato Dei conſpectu neutiquam priventur (ſicut Angelus Raphael Tobiæ dicebat, *Videbar quidem vobiſcum manducare & bibere; ſed ego tibi inviſibili & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor*) (*Tob.12.19*) Deoq́ue paſcuntur & ſuſten-

Matth.18.10. sustentantur. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Ita nostrum est, etsi comedamus, bibamus, cum hominibus agamus & conversemur, adeoque rebus his detineri & occupati videamur, date operam, ut ille non sit cibus noster & occupatio sed alius cibus invisibilis, quique ab hominibus non videatur, Deum, scilicet, assiduè contemplari & amare, sanctissimamque eius voluntatem exactè observare atque perficere.

Exempla SS. 3. Veteres sanè Patres, sanctique illi Patriarchæ, magno semper conatu ac studio in hoc ante oculos & in præsentia Dei assiduè ambulandi, exercitium incubuerunt. De se regius Ps.15.8. Psaltes ait: *Providebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam à dextris est mihi ne commovear.* Satis namque ei non erat, septies in die laudem Deo dicere, nisi & continuò sibi præsentem eum habere procuraret. Tam continuum, scilicet, & frequens hoc priscis illis Patribus exercitium erat, ut commune hoc proverbium apud 3.Reg.17.1. 4.Reg.3.14. eos jactaretur: *Vivit Dominus, in cuius conspectu sto.*

Vtilitas huius exercitiis prima, Arcet peccatũ. 4. Grandia profectò ac singularia sunt bona & utilitates, quæ ex hoc, in conspectu Dei jugiter ambulandi exercitio, quo eum nobis semper præsentem consideramus & spectamus, consequuntur; hinc tanta cura & studio in ipsum sancti omnes incumbebant. Hæc namque cogitatio sufficit, ut quis in omnibus operibus suis circumspectus admodum, & benè compositus incedat. Quis enim amabo, servus ante Domini oculos non pro eo ac oportet, se geret? ecquis servus, adeò futurus audax & protervus, ut hero præsente imperata non faciat, aut illo inspectante eum audeat offendere? quis denique fur tam procax, ut furari audeat, Judice vidente, & manus eius observante? Cùm ergo Deus, qui noster & Judex, & omnipotens est, & efficere momento potest, ut aperiente terrâ infernus devoret eum à quo injuriam accipit (uti & interdum fieri permisit) nos desuper inspectet, quis eum offendere præsumat? Unde sic orabat S. Augustinus: *Dum attentè considero Domine, quòd in me perpetuò respicias, itaq; noctu & interdiu pro me excubes, ac si aliam in cœlo sursum, & in terra deorsum præter me creaturam gubernandam non haberes; dùm, inquam, attentè considero, omnia opera, cogitationes ac desideria mea, tibi patere, & aperta ante oculos tuos esse; timore pariter & confusione impleor: magna certè nobis incumbit necessitas justè rectèq; vivendi, cùm videamus, omnia nos facere ante oculos Iudicis cuncta cernentis.* Si enim hic in terra, ob viri alicuius gravis præsentiam modestè & compositè nos gerimus, quid non modestiæ conciliabit ipsa Dei Opt. Maximi præsentia? Cap.14. Soliloq.

Oblivio Dei inducit peccatum. 5. S. Hieronymus in illam Domini de ingrata Hierosolyma per os Ezechielis prolatam expostulationem, *Meiq; oblita es*, scribens, ait, *Memoria Dei excludit cuncta flagitia.* Idem quoque sentit S. Ambrosius. Alibi idem † Hieronymus dicit: *Certè tam efficax, præsensque rei medium est jugis Dei* Ezech.22.12. Lib. de fide resurr. tom.4. †In Ezech 8. in illud.

memo-

memoria, & semper nos coram illo ambulare, imaginari, ut *quando peccamus, si cogitaremus Deum videre, & esse præsentem, nunquam quod ei displiceret, faceremus.* Unum hoc Thaidi peccatrici, ad flagitiosam vitam deserendam, & in solitudine pœnitentiam pro ea agendam (ut antè diximus) satisfuit. Unde & dicebat Job, *Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?* Quasi diceret, Deus me, ceu testis oculatus, desuper contemplatur, meaque enumerat vestigia; ecquis ergo peccare, aut maleficium aliquod committere sustineat? Contrà, omnis improborum dissolutio, ruina, & perditio inde ortum habet, quòd Deum præsentem adesse, seque ab eo videri, non recogitent, juxta id quod toties Scriptura, sub persona impiorum repetendo inculcat: *Et dixisti, Non est qui videat me.* Et, *Non videbit novissima nostra,* uti observat S. Hieronymus, in suprà indicatum Ezechielis cap. 22. commentans: in quo cùm Jerusalem multorum scelerum ac peccatorum, quæ in ea vigebant, coarguisset Propheta, tandem concludens, unicam horum omnium causam, originem & fontem ait esse, quòd Dei sui esset oblita. Eandem causam Scriptura divina assignat. Nam ut equus fræno, & navis gubernaculo destituta, in perniciem, interitum & exitium fertur: ita homo, isthoc fræno submoto, post suas concupiscentias & passiones effrenes præceps abit. De impio canit Psalmographus, *Non est Deus in conspectu eius*, id est, Deum præ oculis non habet, ideo *inquinatæ sunt viæ* (id est opera) *illius in omni tempore.*

Tract. 5. c.16.
Iob.31.4.
Isai. 47. 10.
Ier.12. 4.
Præsentia Dei frænum peccatoris.
Psal.9,26

6. Hinc etiam D. Basil. contra omnes propè tentationes, miserias, & occasiones, & quidquid occurrere potest, nullum aliud remedium, quàm hanc ipsam Dei præsentiam, multis in locis assignat. Quamobbrem, si breve quoddam & compendiosum perfectionis obtinendæ medium volueris, quodque omnium aliorum mediorum vim & energiam eminenter in se comprehendat & complectatur, unum hoc amplectere; quod etiam, ut tale, Deus olim Abrahamo Patriarchæ suggessit, dicens, *Ambula coram me, & esto perfectus.* Ubi, uti & alibi passim in Scriptura, imperativus pro futuro capitur, ad certitudinem & infallibilitatem successûs & eventus declarandam. Tam certum namque est, te perfectum fore, si Dei in conspectu semper ambules, teque jugiter ab eo videri consideres, ut jam statim te ut talem existimare possis.

In Regul. breviorib. & in Regul. fusius disp.
Præsentia Dei summũ perfectionis remedium.
Gen.17, 1.

7. Nam quemadmodum stellæ ab aspectu solis, quem præsentem habent, & quem intuentur, lumen hauriunt, ad tum intra, tum extra se splendendum, necnon virtutem, ad suos in terram influxus immittendos: non secùs viri justi, qui stellarum instar in Dei Ecclesia collucent, ab ipso Dei aspectu, (quòd, scilicet, eum præsentem semper habent, & suas ad eum cogitationes & desideria convertant) lucem illam mutuantur, qua in interiori cordis sui (quod Deus intuetur) veris solidisque virtutibus; in exteriori verò, quod patet homini-

Vt stella à Sole, sic justi à præsentia Dei pendent.

bus, omni decentia honestateque resplendent, simulque virtutem ac robur, ad alios ædificandos, & iis auxiliandum, colligunt. Nihil æquè ac magis propriè declarat necessitatem semper in Dei conspectu ambulandi, quàm hæc ipsa similitudo, qua de loquimur. Vide enim quæ Lunæ sit à sole dependentia, ac quàm illa necessariò semper in eius conspectu versari debeat; Luna nullam ex se claritatem habet, præter illam quam à sole respicit, pro aspectus, quo ipsum respicit, diversitate; ac juxta claritatem, quam recipit à sole, in corpora inferiora influit atque operatur; atque ita effectus illius sunt, pro claritatis acceptæ magnitudine vel parvitate, maiores vel minores; hinc dũ aliquid Lunæ objicitur, quod Solis ei aspectum & visionem subtrahit, statim eo ipso momento, deliquium & eclipsin patitur, suamque claritatem & splendorem, & unà cum eo, non minimam suæ in operando efficaciæ, quam luce mediante habebat, partem amittit. Idipsum usu venit animæ cum Deo, qui eius sol est.

Adhortatio Patrum. 8. Atque idcirco hoc sancti Patres exercitiũ tantopere nobis commendant. S. Ambrosius & Bernardus, de eiusdem continuatione & in eo perseverantia tractantes, dicunt; *Sicut nullum est momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate, & misericordia: sic nullũ debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria.* Alibi verò Sanctus Bernardus sic loquitur: *In omni actu vel cogitatu suo sibi Deum adesse memoret.* Religiosus: *& omne tempus, quod de ipso non cogitat, perdidisse se computet.* Cũ Deus non obliviscatur nostri; par erit ut nos illius nunquam obliviscamur. Atque inde Sanctus Augustinus in illud Psalmi 31. *Firmabo super te oculos meos*, scribens; velut paraphrasticè ait, *Non auferam à te oculos meos, quia & tu non aufers à me oculos tuos*; semper eos in te defixos habebo, more illius qui dicebat, *Oculi mei semper ad Dominum.* Memorabile est quod Nazianzenus ait, *Non tam sæpè respirare, quàm Dei meminisse debemus.*

Lib. de dignit. condit. human. c. 2. Bernard. c. 6. Meditat.

In specul. Monacher.

In Ps. 31. 8.

Ps. 24. 15.

In orat. 1. Theolog.

Respiratio nostra sit præsentia Dei. 9. Nam quemadmodum necessaria nobis est ad cor refrigerandum, ac naturalem calorem nonnihil imminuendum, respiratio: sic necesse nos est per orationem assiduè ad Deum recurrere, quò inordinatum concupiscentiæ ardorem à quo ad peccandum identidem solicitamur & exstimulamur, refrænemus, ac compescamus.

Caput II.

In quo hoc semper in Dei conspectu ac præsentia versandi exercitium situm sit.

Duo actus hic requiruntur, Intellectus & Voluntatis. 1. Ut verò melius aliquam è præsenti exercitio utilitatem capiamus, antè operæ pretium fuerit ostendere, in quo ipsum consistat. In duobus præcipuè punctis id situm est, in duobus scil. actibus; uno intellectûs, voluntatis altero: Primus actus est intellectûs, utpote qui (ut docent Philosophi) ad quemcumque voluntatis actum prærequiritur ac præsupponitur.

Prin-

Intelle-ctus pro-ponit præsen-tiam Dei, per fidē. 2. Principio ergo, intellectu ipso considerandum est, Deum hoc, & quolibet alio loco præsentem adesse, universum mundum replere, atque totum in toto, & qualibet eius parte, & in quacumque demum creatura, quantumlibet exigua, existere. quin & quidam fidei actus concipiendus; quòd hæc sit una de veritatibus, quas nobis fides credendas proponit. Ait quippe Apostolus: *Non longè est Deus ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* & S. Augustinus, *Intus eras, & ego foris, & ibi te quærebam.* Intra te, quin imò magis tibi præsens, magis intimus & intrinsecus Deus est, quàm tu ipse tibi: In ipso vivimus, movemur, & esse nostrum habemus: Ipse vitam dat omni viventi, omni quod aliquo modo potens est, potentiam; omni quod est, suum esse: qui si præsens non adesset omnibus, ea sustentando, statim universa esse desinerēt, & in nihilum redigerentur. Considera ergo, te undiquaque Deo plenum esse, à Deo circumcingi & ambiri, Deoq; te totum velut innatare, quod verba illa, *Pleni sunt cæli & terra gloria tua*, egregiè & liquidò demonstrant.

Act.17.27

Li.10. Cō-fess.c.27.

Adjumē-ta phan-tasiæ in exercitio præsen-tiæ Dei. 1. Spon-gia in a-qua. 3. Nonnulli, ut meliùs in hac se cogitatione provehant, mundum hunc universum Deo plenum (uti revera est) considerant, seque ipsos in maris huius infiniti (quod Deus est) medio constitutos, & ab eo circumvallatos & cinctos imaginantur: non secùs ac spongia in medio mari natitans, tota & prorsus ab aquis imbibitur & penetratur, quin etiam undiquaque aquis cingitur & circumdatur. Nec verò absona & inepta ista est comparatio, ut tenui nostro ingenio comprehendatur, etsi alioquin nimis angusta, rem non ædæquet, nec attingat id quod intendimus. Nam spongia hæc in medio mari constituta si ascendat sursum, tandem finem & extremum invenit; si deorsum descendat, fundum; si ad illud ve latus declinet, terminum reperit. at in Deo nihil tale reperies: De quo Propheta: *Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades; si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextra tua.* Nullum enim in Deo extremum vel terminus est, utpote qui immensus & infinitus est. Præterea spongia, cùm quoddam corpus sit, non potest ab aqua, quæ aliud corpus est, plenè penetrari; nos autem toti ac totaliter à Deo, qui purus est spiritus, penetramur. Cæteroquin hæ, atque aliæ eiusmodi comparationes, tametsi tenues & impares sint, conferunt & bonæ sunt, ut nos mortales infinitam Dei immensitatem aliquatenus intelligamus, &, quomodo ipse in nobis, & in omnibus rebus, præsens intimusque sit, noverimus. Atque hanc ob causam illis utitur S. Augustinus.

Psa.138.8.

Epist.57. ad Dardan. & lib.7.Confess. c.5.

2. Adjumentum, Imago Humanitatis Christi. 4. Cæterùm in hoc exercitio notandum est, non esse, ad hanc Dei præsentiam concipiendam, necessarium, formare conceptum aut repræsentationem aliquam de Deo per imaginationem, qua eum ad latus nostrum, aut in alio quolibet loco

designato, adesse fingamus, aut eum in tali forma aut figura nobis præsentem imaginari. Sunt nonnulli qui Christum Jesum ante se, vel ad latus suum sibi repræsentant, quasi ubique cum ipsis ambulet, atque omnes actiones eorum inspiciat; itaq; semper in Dei versantur conspectu. Horum quidam sibi Christum repræsentant velut crucifixum, alii columnæ alligatum, alii in horto sanguineas in oratione guttas effundentem, alii in alio passionis tormento constitutum, vel in aliquo sanctissimæ vitæ suæ mysterio gaudioso, prout se quisque magis emoveri sentit. Vel modò sibi eum repræsentant hoc, modò illud opus peragentem.

Iesum corporeum imaginari utile, sed difficile.

5. Et quamquam hoc inprimis bonum sit, si modò quis eo aptè, uti norit; communiter tamen loquendo, id nobis animi ex parte non quadrat, neque semper expedit: quod omnes istæ rerum corporalium figuræ imaginationesque caput & cerebrum defatigent, debilitent, & perturbent. SS. Bernardus & Bonaventura longe commodiori modo id facere norant, quam nos, & miram in eo facilitatem & quietem inveniebant: hinc in vulnerum Christi Jesu foramina, & intra latus illius apertum abscondentes se ingerebant, illudque unicum ipsorum erat asylum, refugium & solatium, sibi dictum putantes illud sponsi ad sponsam: *Surge amica mea, speciosa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Cant. 2. 13.

3. Adjumentum

6. Aliàs ipsam crucis radicem ac basim cordi suo velut implantatam & infixam esse imaginabantur, maximaque mentis dulcedine ac teneritudine sanguinis guttas, è fontibus Salvatoris decurrentes ac profluentes ore se suo excipere cogitabant. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Isa. 12. 3.

Imaginatio crucis Dominicæ.

Cautela in imaginationibus adhibenda.

7. Hi viri sancti id benè & congruenter faciebant, indeque mirificè proficiebant: at si tu integro die in id genus considerationibus, & hac Dei præsentia versari velis, uno fortè die vel mense, quo hanc præsentiam usurpabis, omnem quem anno integro collegisti ex oratione fructum, amittes: quòd hac ratione tibi lædes caput. Hinc patebit, quàm de hoc meritò præmoneri nos oporteat: cùm etiam in sola compositione loci (quæ unum est de orationis præambulis, qua præsentes nos esse fingimus rei meditandæ, quasi eam revera ante oculos nostros geri videamus) facienda, notent qui de orandi methodo scripserunt, non esse vim imaginativam magnopere figuris ac repræsentationibus illarum rerum corporearum, quas cogitat, obruendam, tum, ne caput ac cerebrum lædatur, tum ob alia illusionum hic occurrentium pericula. Quare si vel in uno meditationis præambulo (quod tam breviter tamen, quietè, & per otium instituitur, & in quo in nullam rem aliam hominem necesse est intendere) tanta circumspectione & cautela opus sit; quid erit, quando quis toto die, & inter alias occupationes, hanc compositionem usurpare volet?

8. Por-

Præsentia Dei credēda, non imaginanda.

8. Porro hæc Dei præsentia, de qua in præsens agimus, omnes illas imaginationes & considerationes violentas excludit, ab iisque valdè remota est: hîc enim de præsentia Dei loquimur, in quantum Deus est; quē nobis præsentem adesse, non est necessum imaginari, sed tantū id, tamquam fide certum. Christus Redemptor noster, in quantum homo, in cœlo est, & in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento: at non est ubivis & quovis loco præsens. Secundum Humanam naturam. Quocirca dum Christum, quà homo est, præsentem nobis imaginamur, mera imaginatio est, quam ipsi nobis fingimus: verùm qua Deus est, verè hic præsens adest, & intra me, & quovis in loco, omniaque replet. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Non est autem necesse fingere, quod à parte rei non existit, sed potiùs in eo, quod verè est, credendo nos exercere.

Sap. 1.7.

Deus incorporeus sub imaginationem non cadit.

9. Cæterùm ipsam Christi humanitatem, utpote corpoream ac figuratam, imaginatione nobis quidem figurare ac repræsentare possumus: at Deus, quà Deus est, figurari imaginativè non potest, uti revera est; quia corpore & figura omni caret, cùm purus sit spiritus. Qua ratione nec Angelum quidem, imò nec animam nostram, prout verè est, imaginari aut concipere possumus, quia spiritus est; quanto minùs imaginari aut concipere poterimus qualis sit Deus?

Credamus Deū adesse, plura nō inquiramus.

10. Quo ergo modo Deum nobis præsentem facere & considerare debemus? non aliter, quàm quendam fidei huius præsentiæ actum eliciendo, præsupponendo, inquam, credendoque Deum verè hîc præsentem adesse, cùm id ipsa nos doceat fides; ita tamen ut scire ulterius nolimus, quomodo aut qualiter id fiat. Sicuti fecisse Apostolus testatur Mosen, qui Deum *invisibilem tanquam videns sustinuit*, eumque ceu præsentem considerabat, ac quasi oculis obversaretur, ulteriùs scire nolens, aut imaginari, quomodo is esset; sed, perinde ac dum quis cum amico de nocte in tenebris loquitur, de eius forma nihil sollicitus est, vel cogitat, sola amici, quem præsentem esse novit, alloquio & consortio fruens ac se oblectans. Ita & nobis Deum præsentem fingere debemus: sufficit enim nos scire, amicum nostrum hic adesse, ut eo fruamur atque oblectemur: neque necesse nos est sollicitè inquirere vel vestigare, quomodo aut qualis sit, quòd nunquam eò pertingemus; cùm adhuc in caliginosa nocte versemur: exspectemus verò, donec aspiret dies, & alterius vitæ aurora exoriatur. tunc se nobis manifestabit, & clarè eum, prout revera est, videre poterimus. *Cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Hac de causa Deus Mosi apparuit in nebula & obscura caligine; ut, scilicet, eum coràm non videas, sed duntaxat præsentem adesse credas. Totum illud quod diximus hactenus, ad primum intellectus actum, qui alteri præsupponendus est, spectat.

Heb. 11.27

1. Ioan. 3.2.

Actus voluntatis potior.

11. Notandum verò, præcipuam exercitii huius partem neutiquam in

hoc consistere: non enim solus intellectus divinæ præsentiæ consideratione occupandus est; sed & voluntas, Deum desiderando, & amando; seque illi quà potest, uniendo. Atque in his voluntatis actibus] exercitium hoc præcipuè consistit. De qua re capite sequenti tractaturi sumus.

Caput III.

De actibus voluntatis, in quibus Exercitium hoc potissimùm consistit, & quomodo in iis nos exercere debeamus.

Via 3. & in opusc. 25. Memor. c. 27. Desideriis exercetur præsentia Dei.

1. S. Bonaventura in Mystica sua Theologia docet, voluntatis actus, quibus in sancto hoc Exercitio mens ad Deum elevanda est, ardentia quædam esse desideria, quibus se anima perfecto quodam amore, cum Creatore suo cõiungere & unire desiderat; affectus quosdam inflammatos; viva quædam è visceribus intimis profecta suspiria, quibus ipse ad Deum anhelat; pios quosdam & amorosos voluntatis motus, quibus, ceu alis quibusdam spiritualibus se attollit, sursum librat, ac sublevat, Deoque se arctiùs colligare & constringere connititur.

Aspirationes dictæ ad imitationem respirationis.

2. Hæcce desideria, & vehementes ardentesq; cordis affectus, à Sanctis Patribus aspirationes vocantur; quòd his anima se ad Deum sublevet; quod idem est ac ad Deum aspirare: & quia (uti ait Bonaventura) quemadmodum respirando anhelitum & spiritum ex interiori corporis nostri, sine prævia deliberatione trahimus; ita etiam celerrimè, & interdum vix ulla deliberatione præcedente, vel quasi sine illa, ardentia huiusmodi desideria, ex intimis cordis penetralibus educimus, & prolicimus.

3. Istas aspirationes & desideria declarat quis per breves quasdam & frequentes orationes, quas jaculatorias, id est, *raptim ejaculatas* (ut ait S. Augustinus) nuncupant. Sunt enim hæ tamquam ardentia quædam jacula & sagittæ, quæ ex intimo corde evibratæ, in momento ad Deum efferuntur & mittuntur. Hoc autem orationum genus frequens ac familiare erat priscis illis Ægypti monachis, ut ait Cassianus, *breves quidem, sed creberrimæ* & illas ipsi permagni faciebant; partim quòd cum sint breves, caput non lædant; partim, quòd cum fervore quodam & spiritu elevato ejaculentur, & ante Dei conspectum celerrimè se sistant: ideoque nullum spatium dæmoni, eius, qui eas concipit, perturbandi, aut aliquod in corde illius impedimentum objiciendi, concedunt. Notatu digna sunt illa S. Augustini verba, ab iis qui se orationi dedunt: *Ne, inquit, illa vigilans & erecta intentio, quæ tamen necessaria est oranti,* ad cum debita reverentia & respectu orandum, *per productiores moras hebetetur,* ut in oratione productiori fieri solet. Per has ergo orationes jaculatorias, sancti illi Monachi in hoc præsentiæ divinæ exercitio identidem se exercebant, cor suum frequentissimè ad Deum sustollentes, & cum ipso familiariter conversantes & tractantes.

Iaculatoriæ orationes. *Epistol. ad Probam, quæ est 121.* *Lib. 2. de institut. renunciant.* Iaculatoriæ Dæmonem non metuunt. *Epistol. ad Probam. Chrysost. homil. 79.* *Abbas Isaac collat. 10. c. 10.*

Iaculatoriarum orationũ elogium. imprimis Deus in Adjutoriũ &c.

4. Ideò hic in præsentia Dei ambulandi modus, unicuique nostrum ut plurimum convenientior, facilior, & fructuosior est: verùm ipsa exercitii huius praxis jam pluribus erit ac distinctiùs nobis declaranda: quam Cassianus communi illo versiculo comprehendit, à quo Ecclesia singulas suas Horas exorditur, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.* Si quod negotium, in quo grave subest periculum auspicaris, sic Deum precare, ut te, ad bene inde emergendum, juvare dignetur; *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.* In omni enim re Dei auxilio & succursu opus habemus, hinc ipsum semper etiam atque etiam nos exposcere oportet. Addit præterea Cassianus, versiculum hunc admirabilem esse, & ad quoscunque cordis nostri affectiones, in quolibet statu, occasione, & casu qui inciderit, exprimendas ac declarandas oportunum. Illo namque divinam opem expetimus; illo nos humiliamus, necessitates miseriasque nostras agnoscentes; illo mentem elevamus, & à Deo nos exaudiendos & adjuvandos confidimus; illo in amorem Domini, qui nostrum refugium & protector est, inflammamur: In illo denique impenetrabile quoddam in omnibus conflictibus & tentationibus incidentibus, scutum invenis, loricam telo cuilibet imperviam, murumque à nulla machina expugnabilem. Semper igitur eum in ore, semper in corde versa; hic continua & perpetua tibi sit oratio, necnon continuum tuum in præsentia Dei ambulandi exercitium.

Collat.10. c.10.
Psa.69.2.

Homil. in Mart. Iulit.

5. Exercitii huius praxin S. Basilius in eo ponit, ut qualibet ex re Dei recordandi occasionem capiamus. Comedis? gratias age Deo: vestem induis? gratias age Deo: in agrum, aut hortum prodis? benedic Deum, qui illa creavit: cœlum, solem, aut reliqua creata suspicis? universorum creatorem lauda: inter dormiendũ, quoties somno expergisceris toties cor ad Deum sustolle.

Benedicã Dominũ in omni tempore.

Iaculatoriæ triplices juxta tres vias, etsi omnes à singulis usurpari queant.

6. Alii (quoniam in vita spirituali tres sunt viæ, prima purgativa, Incipientium; secunda illuminativa, Proficientium propria; tertia demum unitiva, Perfectorum) tres item aspirationum & orationum jaculatoriarum species ponunt. Primæ, ad peccatorum veniam obtinendam, animamque à vitiis atque affectionibus terrenis expurgandam diriguntur; Et hæ ad viam purgativam spectant. Secundæ, ad virtutes obtinendas, tentationes superandas, difficultates & labores pro virtute suscipiendos; hæ viæ illuminativæ respondent. Ultimæ unionem animæ nostræ cum Deo per perfecti amoris vinculum impetrandam; & hæ ad viam unitivam referuntur: ut nimirum se quisque in hoc exercitio juxta statum & dispositionem suam exerceat. Quamvis etiam fas sit, hominem, licet perfectissimum, exercere se nonnunquam in dolore de peccatis concipiendo, ac in venia illorum petenda, gratiaque ad Deum non ampliùs offendendum exposcenda: Et erit hoc, bonum Deoque gratis-

gratissimum exercitium. Quin imò tam hic, quàm qui animam à vitiis & inordinatis passionibus expurgare, virtutesq; ei inserere studet, se etiam poterit in actibus amoris erga Deum concipiendis (quò istuc majori facilitate & suavitate faciat) exercere.

Exempla Iaculatoriarū.

7. Omnes ergo & singuli se in hoc Exercitio exercere possunt: modò quidem, huiuscemodi verba & actus concipiendo: *Vtinam te, Domine, nunquam offendissem? Ne permittas, Domine, ut posthac ampliùs te offendam. Mori malim, quàm peccare. Det utinam divina tua Maiestas, mille potiùs mortibus moriar, quàm in ullum lethale peccatum incidam.* Interdum immensas illi pro beneficiis, partim generalibus, partim particularibus, receptis gratias agendo; vel virtutes aliquas postulando, nunc quidem profundam humilitatem, nunc perfectam obedientiā, interdum ferventem caritatem, subinde patientiam. Alias denique mens sursum erigenda per aliquos amoris actus, & magnam cum sanctissima eius voluntate conformitatem, dicendo, verbi gratia, *Dilectus meus mihi, & ego illi. Non mea voluntas, sed tua fiat. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?*

Purgativæ. Illuminativæ. Vnitivæ. Cant. 2. 16. Luc. 22. 42. Psal. 72. 25.

Iaculatoriæ optimæ quæ è proprio nascuntur. Non est necesse plures esse, aut diversas.

8. Istæ aliæque id genus aspirationes & orationes jaculatoriæ perutiles sunt ad hoc præsentiæ Dei exercitium semper excolendum: probatissimæ autem efficacissimæque solent illæ, quas animus divinitus motus & concitatus per se ipse concipit, etsi fortè non fiant verbis tam compositis formatis & ordinatis, ac priores illæ sunt, quas jam attulimus. Minùs autem necessarium est, ut orationes hæ & multæ, & diversæ sint: quando vel una, sæpiùs magno cum affectu repetita, satis esse possit, ut ad multos dies, imò toto vitæ tempore, in hoc exercitio quis vertetur. Si enim te proficere comperias, frequēter & identidem illa S. Pauli verba, *Domine quid me vis facere?* Vel illa Sponsæ, *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Vel denique illa Prophetæ: *Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* repetendo; non est quòd ad alia transeas: sed in hoc morare & persevera; & hoc sit continuum tuum exercitium, inque præsentia Dei ambulandi studium.

Act. 9. 6. Cant. 2. 16. Psal. 72. 25.

Caput IV.

Exercitii huius praxis ampliùs declaratur, modusq; valdè facilis, utilis, multæq; perfectionis semper se in præsentia Dei constituendi proponitur.

1. INter alias aspirationes & orationes jaculatorias, à nobis sæpiùs usurpandas, non postrema, sed facilè princeps, & ad exercitii huius praxin convenientissima est illa, quam nos docet Apostol. dicens, *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facetis, omnia in gloriam Dei facite.* q.d. In omnibus actionibus tuis, aut saltē quàm pores frequentissimè, cor tuum ad Deum sustollito atque his aut similibus eum verbis alloquere: *Propter te, Domine, hanc rem facio, ut ea tibi placeā, tibiq; gratificer: quia sic id ipse fieri jubes. Voluntas tua, mea est; tuum beneplacitū, meum: aliud equidem velle & nolle non habeo,*

Optimū genus Iaculatoriarum. 1. Cor. 10. 31.

habeo, quod ipse aut voles, aut noles: quin in hoc omne meum gaudium, voluptas, atq; exultatio est, ut voluntatem tuam adimpleam, tibi placeam, satisfaciam, & gratificer; neve quid aliud in cœlo vel terra est, quod cupiam, desiderem, aut ad quod oculos meos convertam.

Maxime de præsentia Dei.

2. Est hæc optima in Dei conspectu jugiter ambulandi ratio, eaque admodum facilis, utilis, magnamque perfectionem includens: hoc enim est in continuo quodam amoris Dei exercitio versari. Quoniam verò hac de re in aliis locis egimus, istud tantùm hîc addere visum, hanc unam esse, de optimis & fructuosissimis in oratione semper agendi rationibus: ut ad plenam exercitii huius commendationem laudemque nihil aliud dici posse videatur, quàm per ipsum consequi nos continuam illam & jugem orationem, quam in Evangelio Salvator noster Christus à sui sequacibus exigit, *Oportet semper orare, & non deficere.* Ecquæ enim dari melior oratio potest, quàm quòd majorem Dei gloriam & honorem semper quispiam desideret, eiusque voluntati semper & in omnibus se conformet; ut aliud non velit, vel nolit, quam quod Deus vult, aut non vult, & omne unicumque eius gaudium & beneplacitum sit, gaudium & beneplacitum Dei.

Tract. 3. c. 8. Tract. 8. c. 4. Luc. 18. 1.

3. Hanc ob causam gravissimus quidam Doctor Theologus non sine ratione tradidit, eum, qui per affectus hos & desideria interna in hoc exercitio studiosè perseverabit, tantam ex eo utilitatem capturum, ut suum ipse cor brevissimo tempore prorsus mutatum, & planè alium factum se esse, percepturus sit; adhæc in eo, cum particularem quandam à rebus terrenis aversionem, tum singularem erga Deum divinaque affectum ac propensionem notaturus. Hoc, scilicet, est incipere cæli civem, domusque Dei intimum, familiarem ac domesticum fieri. (*Iam non estis*, inquit Apostolus, *hospites & advenæ, sed estis cives sanctorum, & domestici Dei.*) Hi nimirum sunt nobiles illi quos in Apocalypsi sua Joannes conspexit, nomen Dei in frontibus suis scriptum habentes, quod est continua quædam & jugis Dei memoria & præsentia. (*Et videbunt faciem eius, & nomen eius in frontibus eorum.*) Eorum namq; conversatio & studium non in terra est, sed in cœlo. *Nostra autem conversatio in cælis est. Non contemplantibus nobis quæ videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna.*

Diony. Carthus. Lib. 1. de contemplat. c. 25. Optima hæc est oratio, citò cor immutans. Facit cives cæli. Ephes. 2. 19. Apoc. 22. 4. Phil. 3. 20. 2. Cor. 4. 18.

4. Notandum autem hoc in exercitio est, ut, quando hos actus concipimus, dicendo: *Propter te Domine hanc rem ago, ac propter nomen tuum, & quia tu ita vis*; aut alios huiusmodi; ita hi concipiantur & dicantur, ac si cum Deo coràm loqueremur, non verò quasi cor vel cogitationem procul à nobis, vel extra nos sublevaremus. Permagni porro refert hoc in exercitio istud monitum dare. Id enim propriè est coram Deo & in eius præsentia ambulare; hoc itidem reddit exercitium istud facilè suave, & sapidum, efficitque ut moveat, & fructum maiorem producat. Quin & in reliquis orationibus, in quibus, nimi-

Coràm Deo loquere, nec extra te abeas.

rum, meditamur Christum aut in cruce fixum, aut ad columnam alligatum, monent qui de orationis methodo tractant, id mysterium ita nos imaginari debere, non quasi jam à mille eoque ampliùs annis Jerosolymis peractum, (quia hoc & plus hominem fatigat, & minùs animũ movet) verum quasi coràm, & ante oculos nostros gereretur, & vere virgarum ictus, ac clavorum infligendorum sonitum auribus nostris exciperemus. Simili modo, cum de morte meditandum erit, ex illorum doctrina, fingamus nos velut morti vicinos, à medicis desperatos ac derelictos & cereum sacrum manibus gestantes supremum agonem præstolari. Quanto ergo magis in hoc de Dei præsentia exercitio erunt illi, quos diximus, actus ita concipiendi, nõ quasi cum aliquo absente & procul posito, sed quasi cum Deo præsente loqueremur, cum & ipsum exercitium id exigat, & res ipsa ita se habeat?

Caput V.

Ostenditur, in quibus hoc in Dei præsentiá ambulandi exercitium, ab aliis exercitiis differat, & iis præcellat.

Exercitii de præsentia Dei laus.

1. UT exercitii huius, ac modi in Dei præsentia jugiter ambulandi (de quo hactenus locuti sumus), dignitas, perfectio & utilitas magis innotescant, itaque ipsum meliùs intelligatur; hic aliquot eius differentias & excellentias adducemus. *Primò*, in aliis exercitiis, quibus nonnulli ad in Dei conspectu ambulandum, trahi solent, omnia nonnisi meri intellectûs conceptus ac speculationes esse, & solùm in Deo præsente sibi efformando consistere ac terminari videtur: porro hoc nostrum, illum intellectûs & fidei actum (Deum scil. præsentem esse) præsupponit; unde ulteriùs ad actus amoris Dei concipiendos & eliciendos progreditur: in quo & potissimùm consistit.

Est duplex & quodnã melius. Tract. c. II.

2. Hoc autem posterius primo melius, & fructuosius esse, ad oculum patet. Et sicut in materia de oratione suprà diximus, non tam in actibus intellectûs (quæ est meditatio & rerum consideratio) quam in actibus voluntatis, id est, in affectibus & desideriis virtutis, & imitatione sistendum; in quo & totum fructum orationis posuimus: ita præcipua huius exercitii pars, & fructuosissima, & optima in actib. voluntatis consistit. Illud proinde est, cui hic insistendum. *Secundò* (id quod ex dictis sequitur) est hoc exercitium præ cæteris cùm facillimum, tum suavissimum. In reliquis namque opus est quodam discursu, ratiocinatione & fatigatione intellectûs atq; imaginationis, ad res nostris oculis objiciendas: quod cerebrum afficere & lædere solet: quare non potest esse tam diuturnum. At hoc in exercitio nullus omnino requiritur discursus; sed soli affectus & actus voluntatis, qui sine ulla defatigatione concipiuntur. Tametsi enim verum sit, aliquem in eo intellectûs actum reperiri, hic tamen per fidem potiùs præsupponitur, quàm exercetur, ita ut nos ipsos necesse non sit defatigare; sicut, v. g. dum Ven. Altaris

Sacra-

Sacramentum adoramus: per fidem enim præsupposito Salvatorem nostrum Jesum verè in eo præsentem adesse, omnis nostra attentio & occupatio eò dirigitur, ut eum Dominum adoremus, revereamur, amemus, & gratias agamus, quem verè ibi præsentem adesse cognoscimus, ita plane se res habet in hoc exercitio. Atque ex hac facilitate sequitur, ut diutiùs in eo quis perdurare valet ac perseverare: unde & ægrotis lectoque affixis, qui aliam orationem instituere nequeunt, consulere solemus, ut frequẽter per quosdam affectus & actus voluntatis cor suũ ad Deum elevent: quòd hi magna facilitate fieri possint. Proinde etsi alia exercitii hujus non esset præcellentia, quam quòd diutiùs in eo perseverare & perdurare possumus quàm in reliquis; magni sanè ipsum faciendum esset; quanto erga pluris, cùm per tot alios titulos ipsis præstet & dignius sit?

Est duplex & quodnã melius. Tract. 3. c. 11.

Facilè ægri cor ad Deum elevant.

3. *Tertiò* (quòd præcipuum est, in primisque hic notatum oportuit) advertendum est, ipsam Dei præsentiam non eò tantùm spectare, ut in ea velut in termino sistamus, sed ut eius adminiculo & ope cuncta quæ agimus opera, debitè laudabiliterque agamus. Si enim id unum satis esse putaremus, quòd Deum præsentem adesse imaginemur, atque idcirco opera nostra negligentiùs exequeremur, multosque in iisdem errores committeremus; næ ista non bona esset devotio, sed mera potiùs illusio. Quippe hoc ante omnia curandum & spectandum, ut, quamvis oculo uno divinam eius majestatem respiciamus, alterum tamen ad opera nostra convertamus, ut nimirum ea ad eiusdem gloriam & honorem benè exequamur. Adeò ut præsentiæ divinæ consideratio motivum ac medium efficax nobis esse debeat, ad meliùs & perfectiùs omnia quæ facimus, obeunda. Atque hoc ipsum meliùs per hoc, quàm per alia quælibet exercitia fit: quia in istis intellectus non parum circa figuras illas corporales, quas sibi repræsentare gestit, vel circa conceptus, quos è materia præfixa elicere vult, occupatur; & sæpenumerò, ut ipsam bonam cogitationem eliciat, non satis reflectit ad id quod facit, atque idcirco ipsum minus bene facit. At isthoc exercitio (quia nulla in eo est intellectûs occupatio) ipsum operum exercitium neutiquam impeditur: imò potiùs magnopere id confert, ut hæc benè debiteque peragantur: quòd homo ea purè propter Dei amorem, & corã Deo, à quo videtur, agat. Hinc ea taliter, & tam benè agere connititur, ut ante oculos eius comparere digna sint, nihilque contineant, quod majestatis eius sit præsentiâ indignum. Circa quæ suprà aliud punctum attulimus; quod novus esse modus potest in præsentia Dei ambulandi, quemque etiam bonum & utilem esse sancti Patres tradunt: quare eum hîc repetere, supervacaneum videatur.

Tract. 2. c. 3.



PART. I. TRACTATVS SEPTIMVS

DE EXAMINE CONSCIENTIÆ.

CAPVT PRIMVM.

Quanti momenti res sit examen conscientiæ.

Examinis conscientiæ antiquitas.

Hom. 1. de instit. Monach. & serm 1. de renunt. sac. & spir. profect.

Lib. 50. hom. 24. De inter. domo. c. 61. in specul. monach. Collat. 5. Abbatis Serapion. c. 14. Hugo de S. Victore li. de anima c. 6. Doroth. doct. 10. & 11. S. Chrysost. ser. de pænit. to. 5

1 INTER cætera profectûs nostri spiritualis media, non postremum, partim dignitate, partim dignitate, partim efficacia est, ipsum conscientiæ examen: quod etiam, ut tale, à sanctis Patribus mirificè nobis commendatur. S. Basilius unus de antiquissimis, qui certas leges ac Regulas Monachis conscripsere, præcipit, ut examen hoc quovis vespere instituant. Idem in sua regula præscribit S. Augustinus: suæ disciplinæ alumnos S. Antonius Abbas idem edocuit, atque id ut observarent, seriò impenseque commendavit. His accedunt S. Bernardus, Bonaventura, Cassianus, & communiter omnes. S. Joannes Chrysostomus explicans illa Prophetæ Davidis verba, *In cubilibus vestris compungimini*, de isthoc examine loquens, & ut ipsum singulis vesperis ante somnum instituatur, consulens, duas ad id rationes optimas adducit.

2. *Prima est*, ut postridie eo meliùs dispositi & paratiores ad peccata præcavenda, & ad culpas, in quas pridie prolapsi sumus, declinandas inveniamur: cùm enim hodie in illa inquisierimus, deque iis dolorem conceperimus, necnon serium emendationis propositum fecerimus; certum est id frænum quoddam fore ad easdem postera die rursus non committendas. *Secunda*, etiam pro hodierno die fræni cuiusdam loco nobis futura est instituenda vesperi cõscientiæ discussio: Quòd enim sciamus, nobis etiam illo ipso die rationem de commissis reddendam, nosque examinandos esse; hæc cogitatio efficiet, ut stemus super vias nostras, & circumspectiùs ac prudentiùs vivamus. Quemadmodum, inquit S. Chrysostomus, industrius paterfamilias quotidie ab œconomo suo rationes dati & accepti reposcit, ne secùs agendo, illi rem domesticam negligentiùs obliviose que tractandi aliquam præbeat occasionem, unde pòst rationes intricatæ inveniantur; ita & nos æquum erit, illas quotidie à nobis reposcere, ne, si in eo segnescamus, & nostri obliviscamur, & computus

Psal. 4. 5.

Vtilitates quatuor examinis conscientiæ.

Ser. ascit. de vita relig. Climacus.

putus vacillet. *Tertiam* hic rationem addunt SS. Ephrem & Joannes Climacus, dicentes, quemadmodum gnavi & providi mercatores quotidie diei lapsæ cùm lucra tum dispendia supputant, & ad rationes revocant, &c, si quam passi sunt jacturam, ipsam omni studio reparare ac resarcire satagunt: pari modo nostrum esse, quotidie nosipsos excutere, & compendii dispendiique nostri spiritualis rationes inire, ne jactura indies fiat deterior & increscat, itaque sors capitalis & peculium totum tandem dispereat; sed ipsum extemplo resarciamus & instauremus. Aliud longè maximum examinis huius quotidiani commodum adfert S. Dorotheus, scilicet. *Quartum* quòd usu huius quotidiani examinis, erratorumque nostrorum pœnitudine, vitia ac passiones inordinatæ profundas in nobis radices agere nequeant, nec parui in corde nostro habitus & consuetudines incrementum sumere. Contrà, de anima in sua examinanda conscientia negligente dicitur, quòd sit similis vineæ & agro hominis pigri, per quem transiens Sapiens, eius maceriam destructam, & sentibus urticisque eum repletum se vidisse testatur: *Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti; & ecce totum repleverant urticæ, & operuerunt superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat.* Sic eius, qui de conscientia sua examinanda parum laborat, anima instar vineæ incultæ silvescit, & sterile quoddam fit solum, vepribus & infelici lolio horridum. Sterilis enim ista terra carnis nostræ nunquam non aliquas herbas noxias progerminat: ut semper sarculum & runcinam in manu habere nos oporteat, ad urticas & zizania indies suppullulantia evellenda & eradicanda.

Doctrin. 11.

Prov. 24. 30.

3. Sarculi loco, est hoc, de quo agimus, examen, ut per hoc, & nequitia, & quod exsurgere, incipiebat malum, omnisque vitiositas exstirpetur & eradicetur, ac, ne proserpat ulteriùs, & radices profundiores agat, impediatur. Et verò vim atque energiam præstantissimi huius medii non solùm viri sancti, verùm etiam Gentiles Philosophi, lumine naturali facilè intellexerunt. Magnus ille quondam Philosophus Pythagoras, (S. Hieronymo & D. Thoma testibus) inter alia documenta, quæ suis discipulis præscribebat, hoc inprimis erat, nimirum, ut duo quotidie quisque sibi designaret tempora, unum manè, alterum vesperi, quibus seipsum tribus potissimum in rebus examinaret, sc. *Quid feci, quo modo id feci, quid agendorum omisi?* tum, si quid in iis boni notaret, gauderet; si quid mali, de eo doleret. Idem quoque commendant, & faciendum suadent Seneca, Plutarchus, Epictetus, & alii.

Examen sarculum animæ.

Tom. 1. in apol. cont. Rufin. c. 10.

Lib. 4. de regim. princip. c. 22.

4. Hac de causa S.P.N. Ignatius, cùm Sanctorum doctrinam secutus, tum ratione & experientiâ nixus, ipsum conscientiæ examen seriò nobis omnibus commendat, ceu mediorum omnium, quæ à parte quidem nostra ad profectum spiritualem afferre possumus, primarium & efficacissimum; ac Regula quadam singulari

Examen conscientiæ efficacissimũ perfectionis medium.

3.p. Const. c.1. §.11. & reg.6. Summar.

lari præscripsit: *Vtantur quotidie omnes conscientiæ suæ examinatione consueta.* Alibi verò, ipsum bis per diem fieri jubet. Quinimò tanti ipsum faciebat, ut oratione ac meditatione quodam modo melius & antiquius, id duceret. Per examen quippe, executioni mandandum, & opere adimplendum est, quodquis in oratione facturum se proposuit; passionum, inquam, mortificatio, vitiorumque defectuum & imperfectionum malarum exstirpatio. S. Bonav. verò existimat, conscientiæ examen esse eorũ mediorum, quæ à parte nostra afferre possumus ad spiritualiter proficiendum, efficacissimum.

S. Bonavent.

Societatis Iesu in examinanda cõsciencia sedulitas.

5. Unde etiam tanta ipsius in Societate nostra habetur ratio, tantiq; fit, ut expressè signo campanæ bis per diem, primò mane ante prandium, & dein vesperi ad id evocemur: & sub horum examinum tempus, non minùs quàm orationis, cubicula singulorum lustrentur, ut tam matutinum, quàm vespertinum: nemo instituere negligat. Neque istoc contentus fuit S.P.N. voluit prꝺterea, ut & aliis, quibuscum agimus, id commendaremus ac persuaderemus.

p.7. Const. c.4. lit. F. & li. Exerc. spirit. reg. seu annot.18. ex prior.

Examen utrumq; externis communicandũ.

6. Unde boni & navi Societatis operarii, si quando alicuius conscientiam tractant, statim examen tum generale, tum particulare, ut instituat, inolitam aliquam vitiosam consuetudinem, putà jurandi, mentiendi, detrahendi, aut similem aliam eradicandam, consulere consueverunt: uti primos nostros Patres fecisse constat, atque inprimis P. Petrum Fabrum; quem iis, quorum spiritum excolendam susceperat, hoc devotionis exercitium ac Progymnasma ante omnia tradere solitum legimus, & de S. P.N. memoriæ proditum est, si quem ab aliquo vitio persanare vellet, non modò particulare hoc examen ei peculiariter injungere consuevisse; verùm etiam voluisse, ut, ne opere id exequi oblivisceretur, antequam cibum sumeret, aut cubitum concederet, rationem eius viro alicui fido (quẽ ad hoc illi ipse assignabat) daret, eique declararet, num examen eo, quo ipse id fieri præscripsisset, modo fecisset. Scimus ad hæc suos ipsum Socios multo tempore in solis conscientiæ examinibus, Sacramentorumq; frequentatione exercuisse; quòd crederet, si modò hæc benè fierent, sufficere, ut se quis eius adminiculo in virtute conservaret.

Li.5.c.10. vitæ eius.

Lib.2. vitæ.

Examẽ consciẽtiæ nunquam omittendum.

7. Ex dictis colligere debemus, tanto nobis in pretio hoc conscientiæ bis quotidie excutiendæ exercitium habendum esse, ut id velut maximè necessarium efficacissimumque medium ad profectum in spiritu esse arbitremur, idque ut tale, singulis diebus usurpemus, nobis certò persuadentes, quo die ipsum omiserimus, rem unam de præcipuis Religionis nostræ, nos prætermisisse. Nulla quippe tam prægnans, & urgens esse debet occupátio aut negotium, quæ sat ponderis habeat, ad nos inducendos, ut examen hoc omittamus: si tamen id, ob occupationem aliquam urgentem horâ assignatâ quis facere non potuit, ipsum quàm poterit citissimè, post facere procuret, statim nimirum à sumpto pran-

prandio, antequam quid operis aggrediatur.

Ne quidem ab infirmis.

8. Imò ne morbus quidem, aut corporis indiſpoſitio, quæ ab oratione prolixiori nos excuſaret, ab examinibus inſtituendis excuſare debet. Quapropter omnes intelligant, & norint oportet, nefas eſſe, examina, tam particulare, quàm generale, quacunque etiam de cauſa, vnquam omittere. Nec deeſt certè ægrotanti particularis examinis inſtituendi vberrima materia, putà, circa voluntatis ſuæ in infirmitate ac doloribus à Deo immiſſis atque in medicamentis ac catapotijs, à medico præſcriptis (utpote quæ interdum graviùs quàm ipſa morbi gravitas morbidum cruciant & affligunt) cum divina conformatione; nec non circa patientem errorum defectuumque, quos circa ſe à miniſtrantibus fieri putat, tolerantiam.

Memoria examinis pro infirmis.

Caput II.

Quibus nam de rebus particulare ſit examen inſtituendum?

Examina duo, generale & particulare.

1. Duo examina in Societate in uſu ſunt; unum in particulare, alterum generale: illud circa unam dumtaxat rem verſatur, unde & particulare dicitur, hoc verò omnia delicta interdiu cogitando, loquendo, operandové perpetrata examinãtur: quòd univerſa complectatur, ideò generale vocatur. Priùs de particulari tractandum, dein breviter de generali ea afferemus, quæ de eo videntur dicenda: quod pleraque omnia quæ in particulari examine ſervanda præſcribentur, etiam in generali locum habent; proinde quæ de particulari dicentur, etiam in generali eſſe uſui poterunt.

2. Duo ergo potiſſimùm circa hoc examen inquirenda ſunt. *Primum*, quibus de rebus ſit inſtituendum: *Alterum*, quonam modo faciendum. Circa *primum*, ut noverimus, quibuſnam potiſſimùm de rebus in hoc examine ſit agendum, notanda inprimis eſt regula & admonitio, quam è S. Bonaventura S. P. Ignatius in libro ſuo Exercitiorum aſſignat: Non aliter, inquit, nobiſcum agit dæmon, quàm dux aliquis cum civitate vel arce, quam oppugnare & expugnare geſtit: ante omnia enim quàm accuratiſſimè inquirit & explorat, quanam parte eius murus minùs ſit aut natura, aut arte munitus: quod ubi notavit, omnem tormentorum & machinarum ſuarum vim huc convertit, huc milites omnes conniti jubet, tametſi plurimi ipſorum hac incurſione certiſſimum vitæ ſint periculum adituri. Hac namque parte disjectâ, aditu jam dato, facilè locum occupabit. Pari modo Diabolus, quâ anima noſtra parte debiliſſima ſit, ſedulò explorat, ut per hãc nos oppugnet, & debellet. Noſtrum proinde eſt cautè id prævertere, & accuratè nos contra adverſarium noſtrum communire; prævidere, inquam, & attentè notare, quæ animæ noſtræ pars ſit debiliſſima, quæ à virtutum armatura præ aliis minùs inſtructa; nimirum illa, quæ vel ab indole & naturali inclinatione, vel paſſione quadam inordinata, vel prava

Duo in particulari examine quærenda, quid & quomodo.

Quid, docet nos noſtra infirmitas.

Li. exercit. ſpir. in reg. ad motus anim. diſcer. reg. 14.

S. Bonavent. 5. p. breviloquii.

Simile.

prava consuetudine, pravo denique habitu fortiùs impellitur: atque ideò de illa communienda magis nobis laborandum, ac diligentiùs providendum. Unde etiam illud præcipuè & maiori accuratione ac diligentia, sancti Patres, & vitæ spiritualis Magistri, nobis ex animo evellendum & eradicandum esse docent; quòd eo maximè, & præ aliis, opus habeamus: ideoque circa illud potissimùm particulare examen faciendum esse.

Dorotheus serm. 12.
Hugo de S. Victore.

3. Duas huius rei rationes assignat Cassianus: Prima, quia illud est, ex quo nobis gravius imminet periculum, & quod in graviores nos imperfectiones cogit impingere: unde maiore nobis opus est in eo eradicando, diligentia, conatu, & vigilantia. Secunda, quòd, cùm hostes validissimos, nobisque infestiores debellaverimus, alios minores facili negotio prostratos superaturi ac subjugaturi simus; etenim isto triumpho ac parta victoria anima fit valentior ac robustior, contrà hostis infirmior.

Coll. 5. Abb. Serap. c. 14.
Causa cur uni vitio exscindendo intendendum.

4. Adfert huius occasione Cassianus in exemplum prisca illa Romanorum spectacula, coram Imperatoribus ipsis exhiberi solita, in quibus cum variis bestiis ac feris in arenam immissis bestiarii certabant; ex his qui eminere, & sui roboris specimen dare, aliquam verò Imperatori voluptatem adferre vellent, in illam primò belluam irruebant, quam reliquis videbant & ferociorem, & fortiorem; quâ prostratâ ac jugulata, cæteras haud difficile sternebant. Idem & nos, inquit, agere oportet. Quotidiana enim experientiâ videmus, unumquemque nostrûm communiter aliquod vitium velut princips habere, quod nos violenter post se trahat ac rapiat, ob magnam, scilicet, qua erga ipsum afficimur ac propendemus, inclinationem.

Simile.

5. Sunt quædam passiones, quas *prædominantes* vocant, quæ nobis violenter dominari, & quo nolumus, in vitos nos impellere videntur. Hinc dicentes nonnullos audimus, hunc ni defectum haberem, nihil magnoperè me turbaret & affligeret. Circa hoc ergo potissimùm examen particulare est instituendum. Rex Syriæ adversus Regem Israel bello decertans (uti sacra refert historia) militibus suis edixit, ne in quemquem alium, quàm in ipsum Regem Israel tela dirigerent: *Ne pugnetis*, inquit, *contra minimum, aut contra maximum, nisi contra Regem Israel*: ratus, victo & necato Rege, reliquum exercitum facilè profligandum. Et ita revera factum est: nam Achab Rege sagitta, quam quidam è turba Syriorum casu & fortuitò emisit, convulnerato, debellatum est, & prælium finitum. Id ipsum & nos par est imitari: principe namque vitio devicto cætera facili negotio succumbent, & victa cedent. Giganti huic Goliæ cervices præscinde, & mox reliqua Philistæorum multitudo in fugam se dabit, & fundetur. Hæc optima est regula generalis, ad perspiciendum, circa quam rem potissimùm examinis huius usus versari debeat.

Passio prædominans priùs expugnanda.
2. Paralip. 18. 30.

6. Nullum porro in particulari, quoad hoc, melius ac salutarius dari præ-

Confessarius de materia

examinis particularis, præceptum poteſt, quàm ut ſuum quiſque Confeſſarium ac patrem ſpiritualem, jam plenâ & exactâ conſcientiæ ſuæ, nec non univerſarum inclinationum, paſſionum, affectionum, & pravorum habituum ratione reddita, nihil prorſus ipſum celando, ſuper ea re conſulat. Cui tunc, uniuſcuiuſq; neceſſitate hoc modo perſpectâ, ac particularibus quibuſdam notatis circumſtantiis, facilè erit definire ac dicere, de quo particulare examen potiſſimùm poterit inſtituere. Hinc quicunque conſcientiæ rationem alteri reddit, ei ante omnia aperiat ac declaret, ſuper quo particulare examen faciat, & quem ex illo fructum colligat; ſicut in Regulis Præfecti rerum ſpiritualium, & in particulari, quam de hoc ſingillatim habemus, inſtructione traditur. Magni ſanè refert, hominem, in re maximè ſibi convenienti, ſuper qua particulare examen faciat, deligenda non errare.

Radix examine particulari evellenda. 7. Sicuti permultum medicus ille præſtiterit, qui ipſam morbi radicem rectè tangit: tum enim ſolidè & ex arte malo remedia adhibentur, & quæ præſcribit medicamenta, effectum ſortiuntur, & operantur: ita & nos non exiguum quid, ſed permultum fecerimus, ſi ipſam infirmitatem, ac morborum noſtrorum radicem certò invenerimus: nam hac inventâ, etiam illis rectè certoque mederi poterimus, examinis remedium & medicinam illis applicando. Una certè ex cauſis, cur multi tam parum ex examine proficiant, eſt, quòd ipſum non applicent ei malo, cui verè applicandum eſt. Si arboris radicem præcidas, ſi lolii fibras aut radicem evellas; ſtatim reliqua extima exareſcent & flacceſcent: at ſi tantùm ramos luxuriantes relictâ radice amputes, ſtatim truncus repullulabit & ſuccreſcet.

CAPUT III.

Magni momenti præcepta aſſignantur, ad faciendam bonam electionem eius rei, de qua examen particulare inſtituendum ſit.

1. UT verò in hoc argumento magis ad particularia veniamus, duo principalia documenta ac capita hîc ſunt annotanda. *Primum,* quando exteriores aliquos defectus, qui fratres noſtros offendunt & ſcandalizant, quiſpiam in ſe notat, hos primos à ſe per examen particulare ejicere procuret, etſi alioquin defectus alios interiores habeat fortè iſtis maiores. Verbi cauſa; ſi quis in loquendo defectum habeat, quòd aut nimis multa loquatur, aut quòd inter loquendum quædam impatientiæ aut choleræ ſigna prodat, aut quòd ea fratrem offendant & mortificent, vel forſan verba detractoria, vel quæ nomen bonum alterius apud alium denigrent, aut alia eius generis. Ratio namque & charitas exigit, ut illos defectus primùm curemus, quibus fratres noſtri offenduntur & ſcandalizantur; itaque inter illos converſari & vivere ſtudeamus, ut nemo de nobis aut cõqueri, aut offendi poſſit; ſicut de S. Joan- *Defectus ſcandaloſi primum eradicandi.*

Joannis Baptistæ parentibus Evangelista commemorat: *Erant ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mãdatis & justificationibus Domini sine querela* ullius. Insignis hæc servi Dei laus est, & unũ de iis, quæ præcipuo quodam studio Religiosus in communitate vivens curare debet: neq; enim satis est, ut coram Deo justus sit, nisi & operam det, ut suus in Religioso statu procedendi modus sit sine ullius querela, ac sine ulla queat exceptione laudari. Si quid ergo in se deprehendat, quod offendat alios, ab eo corrigendo particulare suum examen debet incipere.

Luc. 1, 6.

Exteriora minùs resistunt: hinc citiùs evelli possunt.

2. *Alterum* documentum est, non esse semper nec toto vitæ tempore, examen particulare circa res illas exteriores faciendum; tum, quia illæ expugnatu sunt faciliores, tum, quia magis eas in manibus ac potestate habemus, quàm interiores. Hinc benè S. Augustinus: Impero manui, & statim manus movetur ad imperium: impero pedi, & pes imperanti obedit. Impero appetitui, & is parêre detrectat. Unde liquet, manum ac pedem magis morigerum & parentiorem esse, quam appetitum; quia contrarium hi non habent motum, uti habet appetitus.

Li. 8. Confess. c. 9.

Deinde ad interiora venitur. v. g. Humilitatem, Intentionem puram.

3. Proinde quàm possumus citissimè ab exterioribus illis nos expedire, & iis finem imponere satagamus, ut nobis ad alia, quæ maioris sunt momenti, plus temporis suppetat, scilicet, ad primariam aliquam virtutem, aut perfectionem superiorem comparandam: ut est profundissima quædam humilitas, qua quis non solùm dimissè humiliterque de se sentit, verùm etiam gaudet, quòd alii abjectè contemptimque de seipso sentiant, ac nullo eum loco habeant. Ad hæc, *omnia purè propter Deum facere*, ut eò tandem pertingamus, ut cum viro illo sancto verè dicamus: Nunquam cogitavi hominibus me servire, sed Deo. Insuper magna quædam *cum divina voluntate in omnibus rebus conformitas*; aliaque eius generis complura. Etsi enim particulare examen propriè & directè spectet ad defectus & imperfectiones tollendas, magnaque semper illarum in nobis sit copia, (quamdiu enim vita hæc fragilis durat, sine imperfectionibus, ac peccatis venialibus vivere vix datur) non tamen omne vitæ nostræ tempus huic rei est impendendum.

Tract. c. 9.

Non solùm defectus evellendi, sed virtutes inserendæ.

4. Fructuosè ac benè id collocatur tempus, quod lolio & herbis noxiis ex horto exstirpandis insumitur; non tamen utiliter omne tempus huic terræ vitio & infœcunditati tollendæ impenditur; sed hæc exstirpatio non nisi ad bonos flores & herbas in ea plantandas dirigitur. Similiter, optimè tempus illud insumitur, quod in vitiis & malis inclinationibus ex anima beneficio examinum evellendis impenditur; aliò tamen hæc omnia non spectant, quàm ut fragrantes & redolentes virtutum flores eidem inserantur. Dixit Jeremiæ Deus, *Constitui te hodie, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Primò namque evulsio & exstirpatio adhibenda, dein ædificatio & plantatio.

Jere. 1. 10.

5. Id-

Virtutũ studium tollit vitia, ut Humilitas asperum alloquium.

5. Idque eo magis, quòd etiam ad defectus & imperfectiones has exteriores evellendas, interdum sit particulare examen de aliqua virtute aut perfectione majori acquirenda assumendum illud enim medium non rarò, efficacissimum, compendiosissimum, & suavissimum ad hoc esse solet. Verbigratia, si fratres tuos vel præfractè & austerè, vel nimia cum libertate alloqueris, huc examen ordina, ut omnes te superiores, te omnibus inferiorem ducas: inde disces, quo eos debeas modo alloqui, quo loquentibus respondere. Et, si eò humilitatis perveneris, securus ac certus esto, nulli te verbum asperius, mordacius dicturum. Pari modo, senris nescio quam aliquibus in rebus, aut oblatis difficultatibus molestiam aut repugnantiam, illuc particulare examen institue, ut omnia adversa, quæ succedent, velut à Dei manu submissa, ac per particularem eius dispositionem ac providentiam, ad maius bonum & profectum tuum contingentia accipias: atque id fiet, ut illa in bonam partem admittas.

Præsentia Dei curiositatis studium.

6. Deest tibi fortè modestia, id est, oculos hinc inde leviter gyres, caput in hanc illamvé partem propendeat, vel es æquo rerum novarum curiosior, & eorum quæ uspiam terrarum geruntur indagator, tu examen facito ad hoc, ut in præsentia Dei jugiter ambules, itaque deinceps omnia tua facias, ut in eius conspectu comparere digna sint; & brevi te modestum, recollectum, compositum & spiritualem esse comperies; idque sine ullo tuo labore ac defatigatione, ut nullam in eo difficultatem subiisse videaris. Etenim vide, quomodo te, dum ab oratione cum fervore & devotione surgis, nullus sermo, nulla visa res delectabit: quia conversatio & familiare cum Deo colloquium omnium horũ te facit oblivisci. Quòd si ergo omnes hos defectus exteriores, singillatim unum post alium, expugnare & auferre velis, præterquam quòd hoc longi laboris futurum sit, non rarò contingit, ut, cùm de oculorum custodia ac continentia examen facere cupies, ipsum instituere nequeas, ac statim tibi doleat caput, quòd tam recollectè menteque attenta incedere velis.

Doctoris optima industria.

7. Unde Doctor quidam eximius non sine ratione ipsos spiritualis doctrinæ magistros reprehendit, quòd in exterioribus illis defectibus indicandis corrigendisq; toti sint: ostenditque, primarium boni instructoris ac pastoris animarum studium circa cordis & interiorum reformationem versari oportere, taliaq; eum debere præcepta consignare, quæ faciant, ut homo ad seipsum & interiora reflectatur; sicut Moysen Scriptura ait *gregem minasse ad interiora deserti.* Cor ergo tuum ante omnia reformare studeas, & statim omnia reformata erunt. *Exod. 3.*

Caput IV.

In Examine particulari uni dumtaxat rei insistendum esse.

Multitudo affligit imbecillem.

1. Examen particulare semper circa unam rem particularem

(uti nomen ipsum satis indicat) instituendum est: ratio cur ita fieri conveniat, est, quia medium hoc usurpatum & efficacius est, & maiores producit effectus, quàm si multis de rebus simul uno eodemque tempore institueretur. Certum enim est (& ratio naturalis id dictat) plus hominem adversus unum vitium singillatim, quàm contra omnia simul sumpta posse: quia

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

&, quia multa simul manu complectitur, pauca constringit, uti hostes faciliùs vincuntur sparsi & distracti, quàm pariter omnes collecti. Hunc modum vincendi inimicos nostros (vitia, inquam, ac passiones nostras) tunc à Spiritu sancto in sacris litteris nobis traditum, Cassianus ait, cùm filios Israel per Moysen edocuit, quo septem illas gentes & nationes adversarias modo possent expugnare & delere. *Dominus Deus*, inquit Moyses, *consumet nationes has in conspectu tuo paulatim, atque per partes, non poteris eas delere pariter.*

Coll. 5. Abb. Serap. c. 14.

Deut. 7. 22.

Solvuntur objectiones contra examen de una re.

2. Ac notat Cassianus, velut ad tacitam quandam objectionem respondens, nemini timendum esse, ne, dum vim suam omnem ad unum vitium expugnandum convertit, & in id totis animi corporisque nervis intendit, interim altera ex parte cetera adversum se insurgant atque invalescant. Nam *primò* hæc ipsa diligentia, quam in illo vitio particulari expugnando adhibet, magnum quendam in eius anima à reliquis vitiis horrorem & detestationem, ob communem illam rationem, in qua omnia conveniunt, producet: ac proinde dum contra vitium hoc particulare armatus & communitus erit, simul se contra omnia communitum inveniet, ut nullum ab eis sit damnum aut accepturus. *Secundò*, quia qui in examine particulari vitium unum studiosè accurateque studet ex anima evellere, is simul etiam in corde latentem cæterorum vitiorum radicem, ipsam, inquam, licentiam, permittendi ut illud quolibet feratur & evolet, præscindit. Quare unum solum in examine particulari vitium oppugnare, tantundem est, ac omnia oppugnare. Hæc enim nostri circa istud unum refrænatio & restrictio ad reliqua etiam refrænanda conducit. Sicut in æquo procaci & effræni cernere est, quem si sessor habenis contractis retineat & restringat, ne inordinatè ac præceps huc illucque feratur, alios pariter equos simul gradientes, ne dissolutè licenterque efferantur, compescit. His accedit & *tertium* illud, nimirum, quòd quotidie facimus, generale examen, quod omnia ex æquo vitia complectitur.

Imo una eademque materia est secanda in partes.

3. Tanti porro refert, examen particulare nonnisi circa rem unam institui, ut ipsum etiam vitium & virtutem conveniat non rarò (imò ut plurimùm) in varias partes & gradus dividere, & membratim de gradu in gradum procedere, ut primò circa unam eius partem, vel gradum, mox circa aliam particulare examen instituatur; ut hoc pacto melius certiusque, quod desideramus, consequamur. Nam si rem totam & in genere simul

ſimul acciperemus, nihil prorſus efficeremus: verbi gratia, volet quis examen particulare ad eradendam ex animo ſuperbiam, & inſerendam eius loco humilitatem applicare, hic non debet totum hoc coniunctim ſumere, hoc modo: Nulla in re penitus ſuperbiam præ me ferre volo, ſed in omnibus humilitatem ſectari: hoc enim ſuo complexu multa ſimul includit; & talis faceret plus, quam ſi de tribus quatuorvé rebus ſimul junctis, ac diſparatis examen faceret: quocirca parum, aut nihil proficiet, quia nimis multa ſimul complectitur. Verùm vitium id eſt in partes, membra, ac gradus aliquos diſpartiendum: quia, inimicis hoc modo diſtractis ac diviſis, & ſingillatim ſingulos aggrediendo, cùm ipſi faciliùs expugnabuntur, tum nos, quod ſpectamus, compendioſiori via aſſequemur.

Specimē ſecandi materias præbetur.

4. Ut autem hæc meliùs ad praxim reducantur, primaria aliquot capita, de quibus particulare inſtitui examen poteſt, hîc proponemus, in ſuas ea partes & gradus diſtinguendo. Ac licèt id quoad aliquas virtutes, ſuis propriis locis ac peculiaribus abunde fiat; ut tamen omnia, uno velut faſce ſimul comprehenſa (quòd proprius eorum hic ſit locus) habeantur, viſum eſt ea hic ſubjungere. Quæ tractatio imaginis ac ſpeculi inſtar [redacted] nobis eſſe poterit, in quo nos ipſi ſpeculemur, utrùm in ſpiritu progrediamur, ac, quid ad perfectionis complementum nobis deſit, quantumque ab ea abſimus, clarè videamus.

CAPUT V.

Quomodo examen particulare juxta ſingulas virtutum partes & gradus faciendum & dividendum ſit.

§. I. DE HUMILITATE.

1. NUlla verba proferre, quæ in laudem æſtimationemque mei queant redundare.

2. Non efferri lætitia, quando me quis alius laudat, aut benè de me loquitur; ſed ex hoc ipſo aliquam potiùs mei humiliandi & confundendi occaſionem capere, videndo me non eſſe talem, qualem aut alii me reputant, aut qualis eſſe deberem. His addi poteſt, gaudere, cùm alius quis laudatur, aut aliorum ſermone celebratur: Et cùm inde aliquem dolorem, vel invidiæ motum in me percipiam, eum ut defectum ac peccatum à me repellere; uti, & dum quamdam complacentiam aut vanam lætitiam ex aliorum honorificis de me verbis, in me perſentiſco.

3. Nihil prorſus ob humanos aliquos reſpectus agere, nec ut ab hominibus videar, vel æſtimer, ſed omnia purè propter Deum.

4. Non excuſare me, multò minùs culpam in alium tam exteriùs, quàm interiùs derivare.

5. Vanas, elatas, ſuperbaſque cogitationes ad honorem & æſtimationem mei quomodolibet ſpectantes mox cùm inſurgunt, reſecare & præſcindere.

6. Omnes quaſi me ſuperiores

ducere, non ſpeculativè tantùm, ſed etiam practicè & reipſa; ea me erga quoslibet humilitate & ſubmiſſione habendo, ac ſi mei Superiores forent.

7. In bonam partem accipere omnes, quæ mihi ſe offerent, humilitatis occaſiones: atque in hoc me indies creſcere, proficere, & per hos tres gradus aſcendere oportet: Primò, eas patienter; ſecundò, promptè ac facilè; tertiò, alacriter & lætè ferendo, nec antè ceſſare, quàm planè gaudeam & exultem, quòd ab alio contemnar & deſpiciar, ut ſic Chriſto, qui mei cauſa contemptus, illuſus, & ludibrio habitus eſt aſſimiler, eumque imiter.

Tres gradus humilitatis.

8. De eo quoque particulare examen quis inſtituere tam in hac materia, quàm in alia ſimili, poteſt, ut aliquot humilitatis, aut alterius cuiuſquam virtutis (de qua examen particulare faciet) actus exercitiavé concipiat, tam interiora, quàm exteriora; tot nimirum manè, & tot veſperi exercendo; primò pauciora, poſtea plura; itaque aſſiduè increſcendo, donec quemdam virtutis eius habitum & conſuetudinem induat.

§. II. DE CHARITATE FRATERNA.

1. De proximo non detrahere, nevé ullum eius peccatum, tametſi leviſſimum ac publicum, commemorare: eius geſta & opera verbis non deterere, nevé ullum vilipendii eius aut deſpectus, illo cùm præſente, tum abſente, ſignum oſtendere; ſed de omnibus ita loqui, ut eos bonos, honorabiles, & æſtimatione dignos eſſe; quivis ex ore meo verbiſque colligere queat.

2. Nunquam dicere alteri, Talis hoc de te dixit, præſertim ſi eiuſmodi res ſit, quæ ipſum contriſtare queat, etſi alioquin minima; hoc enim eſt, diſcordias & zizania diſſenſionis inter fratres ſerere.

3. Nulla ſcommata dicere, non verba, quæ proximum pungant, aut amaricent, non quæ impatientiam aliquam ſpirent. Non contendere obſtinatiùs verbis, alteri non contradicere, nec alium quempiam reprehendere, niſi ad hoc è peculiari obligatione tenear.

4. Omnes amicè benevoleque complecti, idque reipſa declarare, ipſis procurando, prout fas erit, proſpicere, juvare & delectare. quando verò quis ex officio aliis tenetur providere, tunc in hoc potiſſimùm intendat oportet, & quod opere non poterit præſtare, agendi ſaltem ſuavitate bonis reſponſis, ac verbis lenibus ſupplere ſatagat.

5. Quamcunque averſionem cavere, & multò minùs eam exterius oſtendere; qualis eſſet, ob aliquam offenſiunculam alium alloqui. aut eum quapiam in re nolle (cùm commodè poſſit) juvare, aut ſigno quopiam ſignificare, non adeò ſibi in illo complacere, ſeque ab eo alieniorem eſſe.

6. Cavere omnem in converſatione cum proximo ſingularitatem; declinando ſcilic. particulares familiarita-

liaritates & amicitias, quæ alios offendunt.

Neminem dijudicare, sed potiùs defectus aliorum tum apud se, tum apud alios excusare conari, bene laudabiliterq; de singulis sentiendo.

§. III. DE MORTIFICATIONE.

1. In omnibus se offerentibus rebus & occasionibus me mortificare, non tamen eas ultrò quærendo, & sive immediatè à Deo proficiscantur, sive à superioribus, sive à proximis nostris & fratribus, vel demum alia quacunque ratione nobis obveniant, æquo animo suscipere, & fructum ex iis aliquem capere studere.

2. In omnibus illis me mortificare; quæ me impediunt, quo minùs vel regulas observem, vel ea, quæ quotidie & ordinariè ago, tam spiritualia, quam exteriora & corporalia rite exequar. Plerique enim defectus quos in iis committimus, inde ut plurimũ ortum habent, quod vel nos in laboris ac difficultatis alicuius susceptione non superemus & mortificemus, vel aliqua delectatione ac voluptatula carere nolimus.

3. Mortificare me in incessu, ut eâ incedam gravitate ac modestiâ, quæ Religiosum decet; ac præsertim in illis, quæ ad oculos & linguam spectant, si quis hac in parte sit defectus.

4. Mortificare me quoque in quibusdam rebus, quas licitè alioqui facere possem, cuiusmodi est, non egredi domo, nolle videre pulchra ac curiosa, non interrogare vel inquirere, quæ scire mea non intersit, nolle dicere, quod libenter dicerem: aliaque id genus innumera. In examine, proponendo tot mortificationes manè, tot vesperi facere, à minoribus incipiendo, & semper ad maiora progrediendo. Harum enim mortificationum voluntariarum, tametsi in rebus paruis exercitium magnam afferre utilitatem solet.

5. In iis demum rebus me mortificare, quas alioquin ex officio facere teneor. V. g. dum ad mensam studia, lectionem, prædicationem, aut aliud quodcunque exercitium, quod delectat, peragendum ab eo, appetitum, voluntatem, pronumque in hæc opera affectum meum mortificabo, in corde dicendo; Nolo id Domine agere, quia mihi placet aut delectat, sed ideo tantùm, quia tu ita fieri jubes.

§. IV. DE ABSTINENTIA VEL GULA.

1. Nec ante, nec post statutam horam, nec extra ipsum refectionis locum quidquam comedere.

2. Contentum esse iis cibis, qui toti communitati apponuntur, alios novosque non quærendo, nec alio novoque modo coctos, vel conditos, nullam quoque singularitatem, extra evidentem necessitatem, admittendo.

3. In communibus illis cibis, quoad quantitatem, temperantiæ regulam non excedere.

4. Appositis vesci, nec nimis avidè, nec festinanter, sed modestè ac decenter, videndo ne ab appetitu & delectatione gulæ extra debitos limites abripiar.

5. Non loqui de rebus ad escam pertinentibus, multò minùs de cibis subministratis conqueri vel murmurare.

6. Omnes de gula cogitationes rescindere ac repellere.

§. V. DE PATIENTIA.

1. Nullum exteriùs impatentiæ, sed potiùs summæ pacis, animique compositi, tum in verbis & operibus, tum in ipso vultu signum edere, omnes in contrarium motus & affectus compescendo.

2. Non permittere, ut aliqua in cor perturbatio, malignus sensus, indignatio, vel tristitia ingrediatur: multò minùs aliqua vindictæ, quantumvis levioris, appetentia.

3. Quælibet adversa, quæ mihi obvenient, accipere, velut à Dei manu, ad maius animæ bonum, & profectum meum immissa, quomodocunque & undecumque demum, ea eveniant.

Tres gradus patientiæ.

4. In horum praxi tribus hisce gradibus me exercere: Omnia, quæ mihi occurrent, primò, patienter; secundò, promptè & facilè; tertiò, cum gaudio & hilariter tolerando: quod illa Dei sit voluntas & beneplacitum.

§. VI. DE OBEDIENTIA.

1. In exteriori obedientia exactissimum esse, relictâ etiam litterâ imperfectâ & ad minimum voluntatis Superiorum nutum ac significationem parendo, expressum mandatum non expectando.

2. Obedire ex voluntate & corde sincero, ut idem velle, & voluntatem eandem habeam, quam Superior.

3. Obedire quoque intellectu ac judicio interno, ut idem planè sentiam & censeam, quod Superior omnibus in contrarium judiciis aut rationibus exclusis.

4. Superioris vocem & campanulæ signum, pro Dei voce habere, & cuilibet Superiori non secùs ac ipsi Christi Domino, subordinatis quoque officialibus ex animo obedire.

5. Exercere obedientiam cœcam, id est, non indagare, nec examinare, nec scrutari præcepti rationes, quam, scilicet ob causam, & ad quid sic imperetur; sed omnis rationis instar mihi sit, quòd id obedientia mandarit, ac Superior injunxerit.

6. Ad ipsos etiam voluntatis actus transire, ut, nimirum, assuescam cogitare, dum obedio, in eo me facere voluntatem Dei; & hoc, unica mea voluptas, & omne gaudium sit.

VII. DE

§. VII. DE PAUPERTATE.

1. Nihil prorſus, ſine licentia Superiorum, ſeu domi, ſeu foris alteri dare, vel à quopiam accipere.

2. Nihil è domo & cubiculo alieno, ſine facultate mutuo dare, vel accipere.

3. Nihil habere ſuperfluum, omnia mihi non neceſſaria, tam in libris & cubiculi apparatu, quàm in victu rebuſque aliis, à me abdicando.

4. Etiam in ipſis rebus neceſſariis, quas uſurpabo, curare debeo, ut pauper eſſe videar, cùm verè pauper ſim; viliſſimas, ſimpliciſſimas, minuſque pretioſas, ex iis mihi deligendo. Adeò ut in cubiculo, veſtitu, victu, ac rebus cæteris, ipſa paupertatis virtus ſemper eluceſcat, & pauperem me eſſe etiam foris appareat; deſiderando, quin & gaudendo, ut quæ domi viliſſima ſunt, uſui meo cedant, ad maiorem mei abnegationem, maioremq; in ſpiritu profectum.

5. Gaudere, ſi quando mihi, etiam in ipſis rebus neceſſariis, aliquid defuerit: nam ille verè & perfectè
2. Cor. 8. 9. pauper ſpiritu eſt, ac Jeſu Chriſti imitator: qui, cùm adeò dives & potens eſſet, noſtri cauſa egenus factus eſt, & etiam rerũ neceſſariarum defectum voluit experiri, famem, ſitim, frigus, calorem, defatigationem ac nuditatem perferendo.

§. VIII. DE CASTITATE.

1. Oculos cautè cuſtodire, eas perſonas & res non intuendo, quarum aſpectu caſtitas periclitaretur, vel quæ tentationis carnalis eſſe incentivum poſſent.

2. Nulla loqui, nec audire verba, quæ ad hanc materiam attinent, quæque motus, appetitus & cogitationes inhoneſtas excitare poſſint; nec ſimilia è libris legere.

3. Nullis cogitationibus etiam remotè huc ſpectantibus, locum dare; ſed eas exorientes ſtatim ſumma cum diligentia ac celeritate repellere.

4. Nullius perſonæ manus, ne dum caput aut vultum, contingere; nec ſe ab aliis tangi ſinere.

5. Magna erga ſeipſum decentia & honeſtate uti, proprium corpus non intuendo, nec denudando, nec tangendo, niſi expreſſa id neceſſitas requirat.

6. Particulares amicitias non colere, nulla etiam munuſcula aut res comeſtibiles dare, vel accipere; cum iis perſonis, quæ eſſe poſſent tentationis occaſio, & erga quas peculiariter ſe affici & inclinari ſenſerit, cautè circumſpecteque ſe gerere, illorum familiaritatem, converſationemque, quoad eius fieri poteſt, evitando: quod unicum eſſe ſolet in his rebus remedium. *Fuga caſtitatis remediũ.*

§. IX. DE OPERIBUS ORDINARIIS BENE obeundis.

1. Non ſinere illum effluere diem, quo ſpiritualia exercitia mea complete perfecteque non faciam, tempus omne deſtinatum, ipſis impendendo;

&, si necessaria urgentique occupatione tunc temporis distinebor & impediar, defectum hunc alio supplere & resarcire.

2. Orationem mentalem, & examina, tam generale, quam particulare, benè riteque peragere; tum illius additiones exactè observando, tum in examinibus dolorem & confusionem de delictis meis, nec non emendationis propositum concipiendo potiùs, quàm anxiè quoties impegerim disquirendo: nam in prioribus illis tota examinis vis & fructus consistit; cuius rei defectu, multi hoc ex exercitio paruum fructum capiunt.

Examen in contritione maximè consistit.

3. Reliqua exercitia spiritualia pari accuratione peragere, putà Missam celebrare, spiritualem librum legere, & pœnitentias ac mortificationes tam publicas quàm privatas obire, ex horum singulis finem & fructum, ob quem instituta sunt, colligere procurando, non autem è consuetudine, vel dicis causa, vel duntaxat exteriore quadam cerimonia hæc suscipiendo.

4. Officio ac ministeriis meis omnibus rite fungi, faciendo quoad potuero, & quantum in me erit, ut ea benè succedant & peragantur, tamquam propter Deum & coram Deo illa exequerer.

5. Nullum sponte & volenter in iis errorem committere.

6. Etiam parva & tenuia permagni facere.

7. Et quoniam in his operibus ordinariis, quæ quotidie agenda occurrunt, benè obeundis, omnis meus profectus & perfectio consistit; quotiescunque advertero me in hoc deficere & interpescere, sedulò curabo, ut examen meum particulare per aliquot dies ei rei applicem, ut hoc pacto spiritum renovem, meque in illis perfectè exequendis velut instaurem.

§. X. DE REBUS OMNIBUS PURE PROPTER DEUM faciendis.

1. Nihil ob respectum aliquem humanum, aut ab hominibus vider, vel æstimer, vel ob commodum, utilitatem, delectationem, aut voluptatem propriam facere.

2. Universa opera mea purè propter Deum agere, assuescendo paulatim, etiam actuali intentione, omnia ad Deum referre. Primò quidem manè, simul ac expergiscor: deinde sub operis cuiusque initium: tertiò, in ipso operis medio, sæpenumerò cor meum in eo ad Deum sustollendo, ac dicendo: *Propter te Domine, & propter gloriam tuam, & quia tu ita cupis, hoc facio.*

3. Examen hoc facere de eo, ut scilicet quæ hactenus dicta sunt, tot vicibus manè, & tot vesperi exerceam; incipiendo primò à minoribus, & paulatim ad maiora ascendendo, donec habitum quendam & consuetudinem contraxero, cor & intentionem frequentissimè ad Deum inter ipsas actiones sustollendi, inque illis aliud non spectem, quàm divinæ eius majestati purè complacere.

4. Non

4. Non antè hoc examen & exercitium intermittendum est, quàm eò perveniam, ut sic faciam opera mea, quasi qui Deo seruit, & non hominibus; & usque dum ita ea peragam, ut semper actualiter in iis amem Deum, gaudeamque, quod in illis eius voluntatem faciam, & omnis mea in iis voluptas & delectatio sit isthæc. Sic prorsus, ut, dum opus perago, magis amare videar, quàm operari.

5. Hæc scilicet esse debet continua Dei præsentia, in qua jugiter stare debeo & ambulare; hæc continua oratio, quam habere procurare debeo. Ea namque animæ meæ perutilis & bona futura est, magnoque adjumento, ut omnia opera mea benè perfecteque peragam.

§. XI. DE CONFORMITATE VOLUNTATIS NOSTRÆ CUM DIVINA.

1. Omnia quæ occurrent, & quaslibet occasiones, seu magnæ sint, seu parvæ, quomodocumque illæ veniant, accipere, velut de manu Dei, qui eas mihi ex affectu, & visceribus paternis, ad maius bonum & utilitatem meam, utque hoc pacto me cum sanctissima & divina voluntate ipsius conformem, immittit: perinde ac si Christum ipsum coram viderem, mihique audirem dicentem: Volo, fili, ut hoc nunc agas vel patiaris.

2. Operam dare, ut in hac mei cum divina voluntate omnibus in rebus conformitate, quotidie proficiam, semperque progrediar, idque per tres hosce gradus: *Primò*, eas cum patientia; *Secundò*, cum promptitudine & facilitate; *Tertiò*, cum gaudio & alacritate ferendo, quòd nimirum hæc Dei sit voluntas & beneplacitum. Tres gradus resignationis.

3. Hoc in examine & exercitio tam diu manere & exerceri debeo, donec visceralem quendam gustum & delectationem in anima percipiam, quòd Domini voluntas, tametsi in eo aliqui labores, despectus & dolores subeundi sint, adimpleatur; quo ad tota mea voluptas & oblectatio sit, ipsa Dei voluntas & beneplacitum.

4. Nihil omittere eorum quæ cognovero esse Dei voluntatem, & ad maiorem eius gloriam & servitium tendere: imitari in eo conando Redemptorem nostrum Jesum, qui ait: *Ego quæ placita sunt ei* (Patri meo æterno) *facio semper.* Ioan. 8. 29.

5. Exercitii huius usus, optima & utilissima erit semper in Dei præsentia, & continua oratione ambulandi ratio.

6. Examen de mortificatione, quod suprà posuimus, meliùs fiet, si per modum conformitatis cum divina voluntate assumatur, omnia scilicet, quæ accidunt & ingruunt, velut à Dei manu venientia, uti paulò antè diximus, acceptando. Atque hoc pacto evadet id facilius, sapidius, & utilius: erit enim quoddam amoris divini exercitium. Exercitium amoris divini.

Notandum porro hic est, non velle nos, ut examen particulare necessariò eo ordine peragatur, quo

virtutes à nobis hîc proponuntur, aut eo graduum & partium ordine, qui in harum qualibet ponitur. Illud tantùm hoc loco præscribendum, ut eam quisque sibi virtutem seligat, qua magis opus habebit, & ab illa eius parte & gradu initium faciat, qui ipsi magis erit necessarius: quem ubi decurrerit & perfecerit, ex aliis deligat id, quod magis conveniat, donec tandem, adjuvante Dei gratiâ, ad illius virtutis perfectionem pertigerit.

Magis necessaria priùs assumenda.

CAPUT VI.

Materia examinis particularis non est facilè mutanda: & quandiu de una eademq́ materia id sit instituendum.

Constantia in examinis particularis materia adhibenda.

1. NOtandum hoc loco est, non esse facilè examinis materiam immutandam, modò scilicet circa hanc, modò circa illam rem, ipsum instituendo: hoc namque est in orbē & in circuitu ambulare, uti vulgo dicitur, & suo in itinere non progredi: sed una res ad finem usque prosequenda, deinde ad aliam procedendum. Una certè ex causis, ob quas nonnulli tam parum fructus ex examine capiunt, illa solet esse, quòd nonnisi velut interruptos quosdam & incisos impetus faciant, ad octiduum scilicet, vel duas hebdomadas, vel etiam mensem, circa unum defectum examen instituendo; ac statim defatigati, ad alium desultoria quadam levitate transeant, priorem nondum adepti; itaq; novum quendam impetum faciant, & paulò pòst rursum alium. Quemadmodum si quis toto connisu saxum ingens, per quandam montis crepidinem, ad summum eiusdem fastigium protrudere conatus, mox ut aliquantulum id protrusisset, defatigaretur, ipsumque dimittens, ad imum usque devolui sineret; deinde rursus, ac tertiò ipsum revolvere inciperet; is nunquam, tametsi summopere sudaret ac laboraret, in eo quo vellet loco saxum collocaret. Tales sunt ii, qui super rem unam examen instituere occipiunt, & antè quàm ipsam ad exitum deducant & obtineant; illâ omissâ, statim ad aliam, ac rursus aliam transvolant. Hoc scilicet est se delassare, & non consummare. *Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes.*

Simile.

2. Tim. 3. 7.

2. Istud perfectionis negotium, non interrupto & intercepto quodam impetu obtinetur; sed magna perseverantia & conatu est uni rei insistendum, ac tandiu in ea permanendum, donec ipsam planè, quamvis magno constet, sudore ac labore, obtineamus. Quemadmodum, inquit Chrysostomus, qui thesaurum aliquem, aut auri argentique fodinas effodiunt, grave non ducunt terram eruere, quæcunque ipsis objiciuntur impedimenta, perfringere, & decem, imò viginti calamorum spatio in terram penetrare, ut tandem ad thesaurum, quem quæritant, pertingant: ita & nos, qui veras divitias spirituales, verumq; virtutis ac perfectionis thesaurum investigamus, minimè defatigari par est, donec ad ipsum difficultatibus omnibus exsuperatis, tandem

Ea constantia per simile declaratur.

Hom 5. super Genes.

dem pertingamus, nihil ut obstaculi vel remoræ nobis objiciatur. *Perse-*
Psa.17.18. *quar*, ait Propheta, *inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant.* Siquidem sancta hæc obstinatio, & resecat vitium & virtutem inserit, non levitas illa puerilis, & iterata interruptio.

Examinis particularis continuati fructus. 3. Jam ad rem & propositum veniamus. Quàm multis de rebus ex quo primùm te examinare cœpisti, examen instituisti? Si in omnibus rectè tibi successit, jam eris perfectus: si ne una quidem rectè successerit, cur eam reliquisti? At mihi dices, tibi illam ad votum non cessisse. Sed respondeo, propterea illam tibi benè non cedere, quòd quæ bene cœpisti, leviter mutes, nec rem unam ad exitum usque prosequaris. Si etiam tum, cùm examine & cura particulari in illa tollenda allaborares, eam non ex voto tibi dicis cessisse; longè tibi illa, mihi crede, deteriùs succedet, cùm examen de illa non instítues. Si enim qui multa proponit, adhuc sæpiùs impingit, quoties, & quomodo non impinget ille, qui seriùs, aut fortasse nunquam correctionem proponit. Tamen propositum illud, manè, meridie & vesperi conceptum, velut frænum quoddam erit ad toties non impingendum. Et, quamvis tibi nec emendari, nec progredi, nec hilum proficere videris, non idcirco animum despondeas, aut leviter ab eo resilias; quin potiùs humilia te, & in examine confundere, & de novo

Si nō proficis humiliare. proponere & incipere statue: propterea namque lapsus aliquot Deus permittit, & ut in animæ tuæ terra Jebuzæus superstes maneat, ut liquidò tandem videas, nihil proprio marte aut viribus te posse, sed cuncta tibi à manu Dei venire debere; proinde ad Tract.8.
eum jugiter recurras, illique semper c.38.
adhærescas. Unde non rarò fit, ut per hoc maiorem in profectu suo fervorem ac diligentiam homo præ se ferat, quàm si statim ea quæ poscit, Dominus concederet.

4. Porrò petet jam aliquis, quan- Tract.3.
diu circa rem unam particulare exa- c.38.
men instituere oporteat? S. Bernardus, & Hugo de S. Victore isthanc quæstionem proponunt, quæruntq; quandiu contra vitium aliquod pugnandum sit? ac respondent tam diu contra id certandum videri, donec ita debilitetur, ut, simulac se exerit ac prodit, facili negotio ipsum statim rationis clypeo retundere ac subiire queas: neque eatenus expectandum, ut nullam prorsus passionem vel repugnantiam in te sentias; sic enim numquam rem confectam haberes. Addit proinde Hugo id Angelorum esse potiùs quàm hominum. Satis est ergo, ut vitium hoc vel passio nullam tibi ampliùs molestiam exhibeat, nec multum negotii facessat, sed statim atque se exerunt, ipsa dispellas, & levi negotio à te rejicias. Ac tum fas erit ad aliud vitium expugnandum, vel examen de illo instituendum trāsire. Dixit etiam Seneca: *Contra vitia pugnamus, non ut penitus vincamus, sed ne vincamur.* Non requiritur, ut vitium prorsus non sentiamus, satis est id ita vinci, & debellari, ut impedimento non sit, in muniis nostris exequendis.

Quamdiu de una re sit examen particulare faciendum.

5. Ut verò certiori methodo in hac re procedamus, optimum est, unumquemque id cum Patre suo spirituali communicare: si qua enim in re consilio est opus, hæc sanè una est in qua maximè. Quædam enim sunt, in quibus per brevis temporis examen sufficiat, uti suprà diximus; quædam verò, de quibus si anno integro vel etiam pluribus, examen instituatur, quàm utilissimum fuerit. *Si enim singulis annis vel unum vitium eradicaremus, citò perfecti essemus.*

Cap. 3.

Thom. à Kemp. lib. 1. de imit. Christi.

Quidam tota vita uni rei feliciter incubuerunt.

6. Quædam denique sunt, circa quorum vel unum si totâ vitâ examen fieret, id omne tempus optimè impensum foret: idipsum quippe homini ad imperfectionem consequendam satis esset. Et certè nos ipsi novimus quosdam per totam ferè vitam in rem unam sedulo incubuisse, & particulare de ea examen instituisse, qui ideo etiam eminentes & eximii in illa evasere; alium quidem in virtute patientiæ, alium in profundissima humilitate, hunc in eximia cum Dei voluntate conformatione; illum denique in studio omnia purè propter Deum faciendi. Ad hunc igitur modum etiam nobis enitendum, ut in aliqua virtute emineamus, nimirum in illa nos sedulò exercendo, & tam diu in eius exercitio perseverando, donec eius compotes reddamur. Per hoc verò non stat, quo minùs interdum hoc nobis examen liceat interrumpere. Quinimò consultum est id ita facere, redeundo, v. g. octo vel quindecim dies ad examen de silentio, de exercitiis spiritualibus benè obeundis, de rectè de omnibus loquendo, de non proferendo verbo quod quempiam aliquo modo offendat, & de aliis id genus rebus, quæ in nobis semper repullulare, & facilè de novo regerminare solent; sed statim dein ad primum institutum & cæptam materiam redire, ac primarium intentum prosequi, donec tandem id, quod spectamus, obtinuerimus.

Caput VII.

Quomodo examen particulare sit instituendum.

1. Alterum caput primarium, quod tractare proposuimus, est, quomodo hoc examen sit faciendum. Continet ergo hoc examen particulare tria potissimùm tempora, & duas examinandi sui vices.

Tria tempora examinis particularis.

S. Ignatius lib. exercit. Manne.

Primum tempus est, matutinum statim, ac lecto surgimus, quo proponere sibi quisque debet diligentissimè ab illo sibi vitio & defectu particulari cavere, in quo se corrigere vel emendare vult.

Meridie.

Secundum tempus est meridianum, quo & primæ examinandi sui erunt vices, tria puncta complectens: horum Primum est, gratiam à Domino petere reminiscendi, quoties in defectum illum ceciderit, de quo particulare examen instituitur. Alterum, rationem ab anima sua defectus vel vitii huius exigere, discurrendi jam inde ab illa hora, qua surrexit ac propositum concepit, usque ad præsentem horam, ac videre, quoties in illud prolapsus sit. Et juxta errato-

rum

rum singulorum numerum totidem notanda sunt punctula in linea quadam, in libello, quem ad eum usum pararatum habebit, exarata. Tertium punctum est, pœnitere quòd lapsus sit, veniam delicti petendo, ac propositum quoddam concipere eo quod restat diei, per Dei gratiam non ampliùs relabendi.

Vesperi. *Tertium* tempus est vespertinum, antequam nimirum cubitum concedatur; & tunc secundò examen, eo planè modo quo in meridie, per tria illa puncta faciendum, jam inde usque ab ultimo examine ad præsens tempus discurrendo, & totidem in alia linea notando punctula, quoties se deprehenderit impegisse.

Quatuor Regulæ seu additiones Examinis particularis. 2. Ceterùm ut faciliùs ac citiùs defectus & vitium, de quo examen facimus, eradicetur, quatuor S. P. N. regulas ponit, quæ vocat Additiones. *Prima* est, ut, quotiescunque in particulare illud vitium aut defectum homo cadit, mox ipsum eius pœniteat, manu leviter pectori admotâ: Quod fieri potest etiam præsentibus aliis, nec advertentibus quid is faciat. *Secunda* est, ut, facto jam examine, sub noctem, temporis promeridiani puncta conferat cum punctis antemeridianis, ut videat, num aliqua subsecuta sit emendatio. *Tertia & quarta* sunt, ut diem hodiernum cum hesterno, atq; hebdomadam currentem, cum superiore & præterita comparet: ut ex hac collatione videat, num quem profectum fecerit.

3. Universa hæc doctrina è sanctis est Patribus deprompta. Beatus Abbas Antonius, ut Historia Ecclesiastica proditum est, suis consulebat, ut defectus, quos in examine notarant, scripto consignarent, ut sic magis homo erubesceret, inq; suum profectum, defectus suos coràm videndo & considerando, impensiùs excubaret. Idem quoque docet S. Joannes Climacus qui non vesperi solùm, & tempore examinis, sed & singulis horis hominem vult defectus suos, statim ut in eos incidit, annotare, ut postea meliùs & commodiùs examen queat instituere; proinde ac bonus trapezita, navus mercator, sedulusque œconomus, statim in commentatiolum & codicẽ refert, quidquid vendit vel emit, tum, ut nihil ipsum fugiat labente memoria, tum, ut vesperi meliùs suas subducere rationes queat. SS. Basilius etiam & Bernardus expressè suadent, ut dies unus cum altero conferatur, ad meliùs progressum & ingressum advertendum, utque homo magna accuratione indies procuret esse melior, atque Angelis sanctis similior. Et S. Dorotheus deniq; consulit, ut septimanæ unius cum alia, mensis unius cum alio fiat collatio.

Sozom. li. 1. hist. Tri part. c. 11. & Nicephor. l. 8. cap. 4. Authores huius doctrinæ. *S. Climacus c. 4.* *Basil. ser. 1. de abdic. sive renunt. saculi. In specul. Monach.* *Doctrin. 20.*

4. Modus verò defectus nostri paulatim, & spatiis interruptis, à medio die, scilicet, ad alterum, & non ulteriùs, emendandi, quem nobis S. Pater N. assignat, est quoque à S. Chrysostomo, S. Ephrem, & S. Bernardo, velut medium, ad quodlibet vitium vel defectum no-

Breve tẽpus animum addit labori. *Serm contra concubinar. In quadam formula.*

strum

Bene vivendi Canonicorū & Vicar. c.24.

strum evellendum, efficacissimum proscriptus. Eum etiam in gentilitate agnoscit Plutarchus, allato exemplo illius, qui, cùm natura esset cholericus, magnamque in ea reprimenda difficultatem sentiret, statuit uno saltem die non irasci: atque ut proposuit, ita & cavit. Postridie rursus sibi dixit: Etiam hodie cavebo, ne iræ habenas laxem, & ab irascendo mihi temperabo, vim sibi faciens cavit, nec illo die iratus est. Idem fecit & sequenti, rursus proximo die, donec ex austero lenis, ex iracundo placidus factus est. Hic itaque modus est, quem nobis B. Pater in examine particulari præscribit, ea mente, ut conflictus multò nobis reddatur facilior. *Simile.* Quemadmodum ægro, cuius stomacho omnia desipiunt, cibus nonnisi frustatim & particulatim datur, ut hunc possit trajicere: cui si integram gallinam apponeres, deterritus, impossibile judicaret totam eam absumere, itaque nec bolum quidem præ nausea degustaret: at si frustillum eius aliquod præcisum illi porrigas, reliquum verò duas inter lances recondas, fiet, ut paulatim, bolum post bolum illi apponendo, tantum illum facias comedere, quantum natura sit satis. Hac eadem via nos S. P. N. vult in examine particulari conducere, scilicet, paulatim, velut ægros ac debiles quosdam, & ab uno medio die ad alterum, ut quod cæpimus & aggredimur, faciliùs ferre possimus. Si enim universum simul caperes, dicendo, v. g. Toto anno verbum non loquar, totâ vitâ oculis incedam in terram demissis, ita compositus, & cum tanta modestia; fortasse, vel solâ rei hui' cognitione perterritus, defatigareris, hucque te posse pertingere desperares, & hoc vitæ genus omne, triste, tetricum ac melancholiâ plenum esse judicares. At quis per medium diem, v. g. per unum tempus ante meridianum usque ad prandium, non compositis esse moribus, non linguam poterit refrænare? Dein à meridie nonnisi ad vesperam usque propone; die enim sequenti quid futurum sit, novit Deus; & ipse unde nosti, utrum sis eatenus vitam producturus: & ut eatenus eam producas, illa dies erit tantùm una dies, nec amplius: nec cras te pœnitebit, diem præsentem cum hac circumspectione transegisse; nec etiam idcirco defatigatus eris, quod hodierno die cautè circumspecteq; vixeris: quin imò mens tibi ob hoc erit excitatior, teque exinde magis dispositum invenies ad id examen meliùs, faciliùs, ac suaviùs faciendum. Crddiderim, nonnullos subinde in eo errare, quòd non assuescant, in medium tantùm diem emendationis propositum concipere: quod non parum eos, ad maiori cum efficacia id proponendum, adjuvaret.

5. F. Juniperus (ut in Chronicis Minorum legitur) etsi semper valdè parum loqueretur, semel tamen semestri integro, hoc pacto perpetuum strictissimumque servavit silentium: primo die proposuit non loqui, in honorem Dei Patris; secundo in honorem & reverentiam Dei Filii; tertio in obsequium Spiritus

p. 2. l. 6. c. 38. hist. Minor. F. Iuniperi piū silentiū.

tus sancti; quarto propter amorem beatissimæ Virginis Matris: itaque consequenter per omnes Sanctorum ordines discurrebat, in singulos dies silentium novo fervore & devotione, ex amore & affectu erga aliquem illorum observando. Et hoc pacto quis magis ad emendandum id super quo particulare examen instituit, animatur, ac magis confunditur & erubescit ob defectus, quos admittit; quòd ne tantillo quidem temporis spatio bonum propositum servare & complere potuerit. Proinde permultum nos hoc tam insigne medium per omnia juvabit.

CAPUT VIII.

In examine nobis est præcipuè dolori & emendationis proposito concipiendo insistendum.

Quæ potissima ex Regulis Examinis pars. Dolor & propositum emendationis.

1. CIrca modum faciendi examinis ante omnia advertendum est, inter tres illius Regulas duo illa postrema eminere & primas ferre: dolorem, scilicet, pœnitentiamque de peccatis ac negligentiis conceptã, & firmum emendationis propositum, juxta illud Prophetæ: *In cubilibus vestris compungimini.* *Psal. 4. 5.* In hac compunctione ac displicentia, & hoc firmo non recidendi proposito, universa vis & efficacia examinis ad nostri emendationem consistit, ac proinde duobus his præcipua temporis portio est impendenda. Una de præcipuis causis, cur multi tam parum per examina proficiant, & errata corrigant, est, quòd totum propè tempus in inquirendo quoties in defectum suum prolapsi sint, impendant; &, hoc puncto vixdum absoluto) quòd finiendi examinis jam signum detur) reliqua nonnisi superficie tenus ac leviter faciant, nec se detineant in dolore & pænitudine de peccatis, in sui confusione, in veniæ pro iisdem petitione, in firmo sui usque ad vesperam, vel in posterum diem emendandi concipiendo proposito, atque in Dei gratia viribusq; ad hanc rem necessariis petendis. Inde oritur, ut, quoties hodie impegerunt, toties etiam impingant cras. Quia toto examine non aliud fecerunt, quàm in memoriam revocare quoties impegerint. Atqui hæc non est vera nostri emendandi ratio, sed tantùm primum examinis punctum & fundamentum, cui alia duo puncta principalia ceu basi superstrui debent. Efficax tui corrigendi medium est, ex corde & animo de culpis dolere ac pœnitere, firmiterque meliorem vitam proponere, & ad hoc gratiam ferventer à Domino exposcere: quod nisi feceris, nulla sequetur emendatio. Tam enim sunt inter se coniuncta dolor de præterito, & emendatio de futuro, tantus inter utrumque nexus, ut pari passu ambo procedant. Certum quippe est, cùm quid ex animo & sincerè detestamur, omni nos studio, ne in illud relabamur, contendere.

2. Sæcularibus hominibus hoc ipsum quotidie oggerimus ac prædicamus: æquum erit igitur, ut & nos id in usum nostrum convertamus. Quid causæ est, dicimus, quòd mun- Recidiva est ex defectu firmi propositi.

mundani tam facilè in peccata, quæ toties sacramentaliter confessi sunt, relabantur? nostin' quæ? Causa ut plurimùm esse solet, quòd verè & seriò ea non sint detestati, & quòd cum firma non ampliùs in peccata reincidendi deliberatione ad confessionem non veniant; & quia animus eorum nunquam ex omni, sed tantùm media ex parte ad Dominum reverti proponit, & nonnisi medio cultu illum (ut est in proverbio) respicit; hinc facilè redeunt ad id quod nunquam totaliter deseruere. Si ex animo & revera peccati ipsos pœniteret, ipsumq; detestarentur, ac solitum posthac non relabendi propositum conciperent; non tam facilè statim à confessione ad vomitum redirent, perinde ac si peccata confessi non essent. Causa, cur etiam tu in eosdem errores cadas vesperi, in quos manè; & in eos hodie, in quos heri, est, quòd sincerè te eorundem nō pœnituerit, quòd ex corde eos non sis execratus, quòd firmiter emendationem non proposueris, quod in eo firmus non manseris. hoc si faceres, tam facilè & citò ad easdem sordes non reverteris: non enim tam facilè redire solemus ad id, quod abominamur, detestamur, & quod commisisse nos pinguit ac pœnituit.

Contritio tollit præterita & futura delicta. *Tract. 5. c. 5.*

3. Dolor & displicentia de peccatis, quando vera est, nō modò præterita tollit peccata, sed & futurorum amuletum & antidotum, uti suprà dicere memini. Qui namque prorsus à peccato abhorret, procul etiam à relapsu & recidiva. Quanti roboris & efficaciæ medium istud sit, ad nō peccandum, & à vitiis abstinendum, noverat olim magnus ille orator: cùm enim enorme à muliercula, pro turpi corporis usu, pretium rogaretur, statim respondit, *Ego tanti pœnitere non emo.* Ratio hæc diligenter notanda est: utpote digna non Philosopho solùm, sed & homine Christiano & Religioso. Interdum ipse mecum, non sine stupore, vesaniam ac impudentiā perpendo illorum, qui audacter & intrepidè peccant, dicendo, *Postea pœnitebo, & Deus mihi ignoscet.*

Demosthenes, *ut refert Agellius li. 1. c. 8.*

Cur ut parum gaudeas, multum dolere vis.

4. Quomodo enim in sensum sanum cadere potest, ut, quò appetitui tuo in præsens satisfacias, & brevem delectationem in momento pertranseuntem percipias, eligas, & malis postea toto vitæ tuæ decursu sentire perpetuum pœnitere, quòd peccatum reipsa compleveris? Nam tametsi certum sit, Deum postea id tibi, si eius te verè pœniteat, remissurum; tamen ut id tibi ignoscat, necesse est tandem, ut postea eius te pœniteat, doleasque ex toto corde, quòd ipsum admiseris. Magni ratio hæc roboris est, etiam humano more loquendo, nullo, inquam, ad amorem Dei, qui semper primarius esse debet, sed duntaxat ad delectationem & amorem proprium, respectu habito. Cogita ergo & dic, Nolo istud agere, quòd commissum novi postea magnam mihi molestiam & dolorem allaturum: voluptas siquidem quæ in committenda noxa consistit, momento pertransit; pœnitere autem & dolor sceleris perpetrati, totâ duraturus est vitâ, adeò ut nunquam ampliùs ullam ex eo voluptatem aut delectationem possim capere. quamobrem *tanti pœnitere non emo.*

emo. Magna profectò vesania est, pro tantilla voluptatula tantum in caput meum dolorem ac pœnitudinem arcessere. Elegantiùs id expressit Apostolus, dum ait, *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Quid enim est brevis illa delectatiuncula, qua potius es, longam illam pœnitentiam, quæ postea te invadet? Hæc ante lapsum & peccatum tibi præcogitanda sunt; & tentatione jam ingruente, sic tecum ratiocinare ac dicito: Absit à me ut faciam rem, cuius postea me pudeat, & quoad vivam pœniteat. Etiam in hoc mundo, dum quid alicui dissuadere niteris, dicis, Cave ne feceris, quia post factum pœnitebis. Alius verò tibi replicat, Non me pœnitebit. Nam si cogitaret, fore, ut eum facti huius pœniteret ac pigeret, videret haud dubiè stultitiæ quandam esse speciem, facere id quod magnam novit sibi postea molestiam ac pœnitudinem causaturum.

Rom. 6. 21

Præservativa peccati.

5. Hæc omnia eò disputata sunt, ut appareat, quàm verus de peccatis dolor & pœnitentia efficax remedium sit ad eadem non repetenda, simulque intelligatur, quanti nostra intersit huic rei in examinibus immorari. Verum quidem est, posse aliquem verum de peccatis dolorem, & verum emendationis propositum habere, & tamen postea rursus labi: non enim sumus Angeli, sed homines fragiles & è luto compacti, quod facilè frangi ac dissolui, ac statim refingi, & in aliam transire formam potest. At verò, sicuti de eo qui statim à confessione ad easdem blasphemias & juramenta execratoria, ad easdem carnis concupiscentias & peccata, quæ in confessione evomuit, redit; communiter dicere solemus, eum nec veram de commissis contritionem ac dolorem, nec firmam emendandi sui intentionem habuisse, cùm tam citò ad ipsa redierit: pari ratione magnum indicium & argumentum est, verè te, cùm in maridie, vel vesperi, examen tuum instituisti, silentii fracti pœnituisse, nec firmum tui quoad hoc emendandi propositum concepisse; cùm videam te statim à meridie, & postridie non minùs ipsum violare, quàm si examen conscientiæ numquam super hoc instituisses. Idem de aliis erratis, de quibus examen instituis, volo intelligi.

Emendatio arguit magnitudinē pœnitentiæ.

6. Etiam coram fratribus te pudet, de una re sæpiùs culpam dicere, vel eam ab ipsis tibi aliquoties oggeri, quòd jam secundò, tertiò, & quartò illam dixeris; quanto magis coram Deo erubesceres, si sincerè & ex animo culpam tuam coram eo dixisses, verè & ex intimo cordis affectu de illa dolendo, veniam eius efflagitando, & emendationem proponendo; idque non ter aut quater, sed tricies aut quadragies. Minimè dubitandum, quin aliter longè nos emendaremus, & alias in virtute progressiones faceremus, si verè nos commissorum pæniteret, si ob eadem ex animo doleremus, si firma vitæ emendandæ proposita haberemus.

Coram homine pudet sæpius peccare, quid ni coram Deo?

Demosthenes, ut refert Agellius li. 1. c. 8.

Cur ut parum gaudeas, multum dolere vis.

CAPUT IX.

Perutile est, aliquas examini austeritates ac pœnitentias adiungere.

Lib. 5. c. 10. Vita S. P. Ignatii.

Vindicatio seu pæna jüngenda est dolori.

1. UT autem examen conscientiæ debitum finem certiùs ciriusque assequeretur, satis S. P. Nostro, non erant animi dolor, pœnitudo, & interna mentis proposita, verùm etiam consulebat, ut (sicut in Vita eius legimus) spontanea examini particulari adjungeretur pœnitentia, certam quandam nobis pœnam præscribens, quam de nobis ipsi, quotiescunque incidimus in defectum, super quo nos examinamus, sumeremus. Adfert in exemplum Lud. Granatensis aliquot Dei servos, sibi dum viveret, notos. In his fuit, inquit, qui cùm in examine vespertino comperisset se verbo quodam incondito & importuno excessisse, linguam in eius castigationem acriter solitus erat mordere. Alius, tam pro hoc quam alio quolibet defectu, in quem incidisset, flagris in tergum sæviebat. Sanctus Agathon Abbas triennio fertur lapillum in ore gestasse, ut sic vi sibi facta silentii virtutem addisceret. Uti vulgò cilicium, carnis refrænandæ ac mortificandæ ergò, utque nobis castitatis tuendæ velut stimulus & excitator sit, gestare solemus: sic sanctus ille vir lapillum sub lingua gerebat, qui cilicii vicem sibi quodammodo præberet, & monitor ac suggestor foret, ne plura quàm necesse foret, loqueretur. Et S. P. N. Ignatium accepimus, initio conversionis suæ, risum, ad quem maximè tentabatur, flagris acribus superasse, singulis noctibus tot sibi verbera ad numerum infligendo, quoties per diem vel leviter risisset. Et sanè hæc corporalis afflictatio addita ad examen permultum solet conducere; anima namq; per pœnitentias has & rigorem subacta & timidior facta, eandem culpam committere denuo non audet. Equus, quantumlibet lentus & refractarius, calcaria dum sentit, progreditur, quin tanta illis vis inest, ut, si ea vel adesse equus sentiat, licèt alioquin non subdantur, nec in carnem adigantur, eum procedere compellant. Si, quotiescunque quis silentium violat, publicè flagellationem subire, aut per triduum nonnisi arido pane victitare, & frigidam bibere cogeretur (quæ antiquitus erat pœnitentia in regulis præscripta iis, qui silentii legem transgressi essent) certum est fore, ut talis pænæ redimendæ ergò, à nimia locutione & loquendi facilitate retrahemur.

Volateran. lib. 1. An. throp.

Lib. 5. c. 10. vita.

Simile.

2. Præter hoc, & ut meritum satisfactionemque his pænalitatibus conjunctam taceam, sequitur & aliud permagnum ex ea bonum, sc. Deum Opt. Max. videndo quàm acriter se homo affligat & castiget, eius votis & desideriis annuere solere. Et hic est unus de præcipuis pœnitentiæ ac mortificationis exterioris effectibus, quem cùm SS. Patres omnes adstruunt, tum etiam S. P. N. Ignatius in Libro Exercitiorum insinuat. Dixit aliàs Angelus Danieli, *Ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei, exaudita sunt*

Serios hominis conatus adjuvat Deus.

Li. exercit. in addition.

Dan. 10. 12.

sunt verba tua. Quia Daniel Propheta ad orationem, jejunia & carnis mortificationem addidit, ideò populi sui liberationem, & sublimium & absconditorum mysteriorum revelationem, aliaque beneficia singularia promeruit.

Ecclesia pœnitētiis placat Deū.

3. Unde videmus, medium hoc, ad favorem & auxilium divinum in laboribus & necessitatibus obtinendum, in Ecclesia Dei, & nunc in usu esse, & semper hactenus fuisse. Quando parvulus à matre non aliter petit ubera, quibus opus habet, quam solo voto ac desiderio (quod tantum nutibus signisque indicat) mater sæpenumerò ei aut penitus non dat, aut ad tempus differt: at, quando plorando, seque affligendo identidem ea exposcit, continere se illa nequit, quin statim ubera sugenda pusioni exporrigat. Pari modo, quando à Deo humilitatem, patientiam, castitatem, vel de aliqua tentatione victoriam, aut quid simile, solùm desiderio ac nudis verbis poscimus; sæpenumerò aut non consequimur quod oramus, aut in longum tempus postulata differuntur: at quando precibus pœnitentiam, pœnas & mortificationem carnis comites jungimus, nosq; coram Deo affligimus, tunc meliùs, maiorique cum certitudine & compendio petita impetramus.

Mortifitio dat vim orationi.

4. Singulari quodam modo viros justos amat Deus, quos cum videt sollicitos, anxios & afflictos, quò postulata consequantur, ipsis compatitur, maiorique in illos tunc utitur misericordia. Joseph Patriarcha (ut refert Moyses in Genesi) visâ fratrum suorum afflictione & lacrymis, ultrà se continere non potuit; sed statim se illis aperuit, illosque omnium bonorum suorum reddidit participes: *Non se poterat ultrà cohibere Ioseph, & dixit fratribus suis, Ego sum Ioseph.* Quid ergo facturus is, qui nos amat plusquam Joseph, & magis quàm Joseph, noster frater est, visâ nostrâ afflictione & dolore? Medium ergo hoc egregiè nos per omnia juvabit. *Gen. 45. v. 1. & 3.*

5. Consentiunt his quæ scribit Cassianus, de sollicitudine & diligentia loquens, quę in hoc spirituali conflictu & examine particulari nobis est adhibenda. Si enim certamen & examen particulare circa id potissimum, (ut dictum suprà) versari debent, quo maximè opus habemus; si circa illius passionis & inclinationis malæ extirpationem, quæ maximè in nobis dominatur, quæ maximè nos post se abripit, quæ in gravissima nos conjicit pericula, quæ in maxima nos impingere facit delicta; si circa victoriam illius vitii, quo subjecto, reliqua omnia subjecta & devicta erunt; si circa illam denique virtutem, quâ unâ adeptâ, facilè reliquas omnes adipiscemur; quàm igitur rationi erit consentaneum, ut magna sollicitudine & diligentia in illud incumbamus quod nostra tanti interest? Vis nosse quanta cura sit adhibenda, audi Cassianum: *Adversus illud arripiat principale certamen, omnem curam mentis ac sollicitudinem erga illius impugnationem, observationemq; defigens, adversus illud quotidiana jejuniorum dirigens spicula, contra illud cunctis momentis cordis suspiria, cerebraq; gemituum tela*

Collat. 5. Abb. Serapion. c. 14.

Diligentia maxima examini particulari impendenda.

contorquens, adversus illud vigiliarum labores ac meditationem sui cordis impendens, indesinentes quoque orationum ad Deum fletus fundens; & impugnationis suæ exstinctionem ab illo specialiter ac jugiter poscens.

Imò omni virtuti sedulò insistendũ.

6. Neque satis nobis esse debet istud studium & diligentiam in solo examine adhibere, verùm ad orationem eadem est conferenda; nec in oratione solitaria tantùm & semel, sed sæpiùs de die, per orationes jaculatorias, per suspiria, & viscerales gegemitus cordis, animus ad Deum est elevandus, dicendo; *Da Domine humilitatem; Da Domine castitatem; Da Domine patientiam.*

Et coram venerabili orandum.

7. Hanc ob rem sæpè coram sacratissimo Sacramento provolvamur oportet, magna Dominum ibi præsentem instantiam rogando, ut gratiam nobis concedat rei, quæ tanti nostra interest, obtinendæ.

Et B. V. Maria & SS. orandi.

8. Recurrendum quoque hac de causa ad Beatissimam Virginem & Sanctos, ut ii nostri in hac re intercessores sint & suffragatores. Huc omnia nostra dirigenda sunt jejunia, huc cilicia, huc flagella; adjunctis etiam quibusdam pietatis exercitiis; particulares demum mortificationes quædam hac intentione offerendæ. Semper enim cordi hoc insculptum & infixũ nos gestare necesse est, cùm tanti id nostra referat. Si hoc modo, hac sollicitudine diligentiaque examen particulare institueremus, propediem profectum aliquem in nobis notaremus: Dominus quippe nostram afflictionem videns, orationem protinus exaudiret, & cordis desiderium compleret.

Sola oratio & mortificatio omnia impetrant.

9. Universa hæc doctrina est accuratè notanda, ut & in aliis tentationibus, ac gravibus necessitatibus occurrentibus, usu veniat. Refert S. Bonaventura, Deiparam Virginem S. Elisabethæ Hungaricæ dixisse, nullam spiritualem gratiam (regulariter & ordinariè loquendo) in animam, nisi vel mediante oratione, vel corporis afflictionibus, delabi.

In vita Christi c.3.

Caput X.

De generali examine conscientiæ.

Quinque partes examinis generalis.

1. GEnerale conscientiæ examen quinque complectitur partes, vel puncta. *Primum* est, Deo pro acceptis ab eo beneficiis gratias agere. Ponitur autem primo loco ipsa beneficiorum acceptorum memoria, ut noxas & peccata, quæ nos ingrati in tot beneficiorum compensationem remunerationemque commisimus, illis opponentes, maioris inde confusionis ac doloris occasionem accipiamus. Ita Propheta Nathan primò Davidi Regi accepta à Deo bona & beneficia in memoriam revocavit, ut, quod admiserat, peccatum, deformius horum collatione redderet & exaggeraret. *Secundum* punctum est, gratiam ac lumen à Deo poscere, peccata & defectus, in quos prolapsi sumus, agnoscendi. *Tertium*, rationem ab anima nostra exposcere, paucis ab hora, qua postremò propositum fecimus, discurren-

currendo; primò per cogitationes, deinde per verba, tertiò per opera. *Quartum* punctum est, eorum quæ commisisse nos comperiemus, à Deo veniam petere, de iisdem dolendo & pœnitendo. *Quintum* & ultimum, emendationem per Dei gratiam proponere; & dicendo *Pater noster*, tandem omnia concludere.

Examen generale quando faciendũ.

2. Examen hoc generale semper unà cum particulari est instituendũ. statim enim atque manè lecto surgimus, Deo offerendum est quidquid eo die sumus acturi; sicut in particulari examine S.P.N. monet, ut mox ac surgim⁹, à particulari illo vitio, quod exstirpare volumus, seriò proponamus nobis cavere. Et hoc primum est examinis particularis tempus. Quo etiam tempore omnes diei illius cogitationes, verba, & opera Deo offerenda sunt, ut sic omnia ad divini nominis gloriam cedant, proponendo firmiter illum non offendere, & ad hoc exequendum gratiam ab ipso petendo. Æquum verò & par est, omnes hoc facere assuescere.

Quoties faciendũ.

3. Deinde bis de die, circa meridiem videlicet, & vesperi, generale examen unà cum particulari instituendum est. Atq; ita communis Societatis mos obtinet, in nostris constitutionibus fundatus; prima namq; regula communiũ expressè præscribitur his verbis: *Singuli præfinitum sibi tempus suæ conscientiæ quotidie bis examinando impendant*. Sicuti horologiũ bis per diem componitur, eiusq; rotæ concinnantur, ac pondera ad mensuram distenduntur, manè nimirum & vesperi, ut juste & concordanter horas indicet: simili modo cordis nostri horologium manè & vesperi per conscientiæ examen dirigatur & intendatur necesse est, ut semper cõformiter & æquatè procedat, neve exorbitet. Ut sicut sub meridiem inquirimus rationem erigẽdo, quoties jam inde ab ea hora quo propositũ fecimus (ipsa sc. matutina, dum cubitu surreximus) ad præsentem usque lapsi sumus in id, super quo particulare examen facimus: sic etiam inquiramus & examinemus, ubinam cogitatione, verbo & opere deliquerimus, ab illo tempore quo surreximus usq; ad tempus examinis. Deinde confundi nos & dolere oportet, tam ob defectus circa examen particulare, quàm circa generale commissos, & seriam emendationẽ in vesperum, tam pro illo, quàm pro hoc proponere. Vesperi eodem planè modo, utrumque examen junctim est faciendum, per omnia dicta, facta, cogitata discurrendo, & rationẽ à nobis exposcendo, sed nonnisi ab examine ultimo meridiano.

4. p. Constit. c. 4. §. 3. & 4.

1. Reg. Communium.

Simile.

4. Præcipuum porrò, quod circa generalis huius examinis faciẽdi modum advertendum est, idem prorsus est cum eo, quod de particulari antè diximus: nimirum, omnem eius vim efficaciam in duobus illis punctis posterioribus, uno doloris & confusionis de culpis, in quas prolapsi sumus, excitandæ; altero emendationis propositi in vesperam, vel in crastinum concipiendi, consistere. Atque in hoc potissimùm sita est ipsa examinis benè faciendi ratio, fructusque inde colligendus. R. P. M. Avila de hoc examine loquens; Persuadeas, inquit,

Dolor & propositum essentia examinis.

c. 62. super Audi filia.

Simile.

quit, tibi necesse est, Principis cuiusdam filium tibi regendum esse concreditum, ut continuò jugiterque super eum excubes, sedulam illius curam geras, bonis honestisque moribus eum imbuas, malos planè dedocas, denique quotidie omnium rationem ab eo deposcas. Si hoc tibi onus impositum esset, certum est in eo te minimè emendationis ipsius momentum collocaturum, quòd ille tibi candidè diceret quoties eo die peccasset, & à debito declinasset; sed in eo, quòd delictum illi aperires, eum erratorum coargueres, ad cavendum deinceps efficacia illi monita præscriberes, firma eum emendationis proposita concipere faceres, tibique fide & verbo Principis, correctionem & meliora polliceretur.

Tu tibi es creditus ut discipulus.

5. Simili ergo modo animam tu tuam intueri & habere debes, nimirum ceu rem tibi à Deo Opt. Max. concreditam; tali item ratione tibi est calculus cum ea ponendus, ratioque exigenda, videlicet ut omne examinis & emendationis tuæ momentum colloces non tam in nuda defectuum commissorum recollectione, & lapsuum ad memoriam reductione; quàm in confusione tui, dolore, pœnitudine, & acri tui ipsius reprehensione (sicut faceres cum eo qui tuæ esset curæ concreditus) necnon in solido constantique non ampliùs posthac in illas culpas prolabendi, proposito concipiendo.

Examen est præparatio ad confessionẽ.

6. Ad hoc autem negotium non parum nos juvabit, considerare, quòd examen generale propria & legitima sit ad cõfessionem dispositio ac præparatio: unde etiam hoc nòmine & titulo illud donat B. P. N. Ignatius in libello Exercitiorum: *Examen*, inquit, *conscientiæ, generale ad purgationem animæ, & ad peccatorum confessionem utilißimum*. Cuius rei ratio est manifestissima: duo enim præcipuè ad confessionem requiruntur; primò examen culparum; secundò dolor de iisdem: quæ duo perfectè completeque in examine conscientiæ fiunt. Proinde si examen hoc benè fecerimus, sequitur nos & ipsam confessionem bene facturos.

Dolor de peccatis duo exigit. *Triden. sess. 14 c. 4.*

7. Hic verò notandum est, dolorem confessioni necessarium, ex doctrina Concilii Tridentini & Florentini, duas præcipuè res includere, primò pœnitudinem & displicentiam de præteritis, deinde propositum de cetero non ampliùs peccandi: quorum alterutrum si defuerit, sufficiens ad confessionem dispositio desiderabitur.

Vnde vitiatur confessio.

8. Sibi persuadent nonnulli, tunc solùm se verè legitimeque confessos non esse, cùm peccatum aliquod ex verecundia & pudore confiteri omittunt, nec detegunt; ego verò mihi persuadeo, multo plures confessiones ideò vitiosas, sacrilegas, ac vanas esse, quòd in iis & verus dolor, & firmum emendationis propositum desit: ut hinc appareat, quàm hæc præparatio sit necessaria, & quanti nostra intersit, quandam nos in examine consuetudinem contrahere, huius doloris culparum & propositi ad non ampliùs in easdem reincidendum, in nobis excitandi, eisque inhærendi.

9. Dico

Duabus ultimis partibus examinis pars tēporis maxima impendenda.

9. Dico ergo, in nullum è tribus primariis examinis punctis (alia quippe sunt veluti quædam præambula) plus esse temporis insumendum, quàm in duo postrema, scilicet primò, ut veniam à Deo petentes, nos admissorum pœniteat & pudeat, deinde, ut propositum emendationis concipiamus: minimam verò temporis partem dictis factisque excutiendis, & culpis in memoriam reducendis dicandam videri. Ad hanc proinde (quæ etiam una est de tribus examinis partibus) tertia temporis examini peragendo destinati portio plusquam satis est; reliquæ verò duæ aliis duabus partibus sunt impendendæ, quoniam hæ sunt magis principales, & in quibus solis tota examinis vis & efficacia, necnon fructus ejus consistit.

Quomodo brevi tempore tot examinis puncta confici queant.

10. Jam petet aliquis, quomodo tantillo tempore, tertia scilicet quadrantis horæ parte, benè & prout oportet inquirere poterimus, quoties in defectum in examine particulari præstitutum, & in defectus alios in examine generali, circa cogitata, dicta, facta admissos, lapsi simus; quia ne totus quidem horæ quadrans ad hoc videtur posse sufficere? Optima ad hoc ratio est & consilium, quod è disciplina & praxi S. Ignatii suadeo, nimirum, in diei decursu & inter actiones suas subinde ad se attendere & reflectere sic: ante quam ad examen accedamus, jam discussio, tertia pars examinis, erit fere confecta. S. P. N. Ignatius, quotiescunque delinquebat in materia de qua examen particulare instituebat, in ligula, quam ad hoc de cingulo pendentem habebat, nodum quendam faciebat, idque memoriæ juvandæ; unde cùm nodos factos percurreret, facilè lapsuum numerum scire poterat, nec multum idcirco temporis in hac re ponebat.

Lib. 5. c. 5. Vita.

Quomodo Horaria fiat recollectio.

11. Quantum verò ad examen generale attinet, nullâ non in die horâ animum recolligebat, & reliqua negotia missa faciens, conscientiam examinabat. Si quod autem negotium prægnantius vel occuptio tam gravis intercederet, ut piam suam præstitutâ illâ horâ consuetudinem servare non posset, sequenti hunc defectum resarciebat, vel cùm primum id per occupationes licebat. Præclara & laudabilis profectò ea esset devotio, si quis, quoties signum horæ datur, ad suam conscientiam reflecteret, & ad se tantisper ingrederetur. Multi etiam post singulas actiones & opera suam examinare solent conscientiam.

Saltem post majora negotia.

12. Verùm, si singulis horis, aut unoquoque opere absoluto id facere, nimium tibi videretur; post singula saltem majora & eminentiora, quæ per diem agimus, opera, id præstare quàm saluberrimum est. Et certè de aliquibus operibus specialibus nobis præscriptum est, ut, postquam illa jam absolvimus & exegimus, ipsa, quomodo peracta sint, examinemus, uti suprà diximus. S. Bonaventura vult, ut septies in die servus Dei seipsum examinet.

Tract. 5. c. 25. Bonaven.

Alius modus vices lapsuū observādi.

13. Certè si illam in examine particulari additionem servaremus, ut nimirum ad quemvis lapsum manu pectus tunderemus; facilè erra-

torum numerum meminissemus: quanquam hanc S. P. Noster additionem non tam eo fine præscribat, ut vices lapsuum noverimus, quàm ut lapsuum statim nos pœniteret. Atque hunc in finē signū hoc tunsionis pectoris assignat; quasi id tundentes, diceremus, *Peccavi Domine*. Cæterum si hæc additio à nobis servetur, insigni erit adjumento, ad postea facilè in memoriam revocandum, quot vicibus lapsi simus.

Conscientia est noster pædagogus.

14. Huc accedit, hominem, dum sedulò super seipsum excubat, & bonam profectus sui curam gerit, statim ac defectum admittit, quemdam remorsum conscientiæ persentiscere, quo sanè meliorem excitatorem mentis, & vellicatorem memoriæ, ad eius recordandum habere non potest.

Quadrātale examen aliis nimis lōgū, aliis nimis breve.

15. Per hoc documentum simul duobus hominum generibus respondemus. Sunt enim, quibus etiam totus examinis quadrans nimis quàm brevis videtur ad defectus, in quos corruerunt, memoria repetendos. Et his jam antè modum præscripsimus, scilicet ut primum punctum antè quasi absoluerint, quàm ad examen veniant, ut sic satis temporis illis sit ad duo posteriora exactiùs peragenda. Alii contrà sunt, quibus examinis quadrans nimis longus videtur, nec in quo se occupent illo durante, inveniunt. His longè faciliùs est respondere: quia jam suprà diximus, tam in meridie, quàm vesperi, examen generale unà cum particulari peragendum esse, & tam illius quàm huius defectibus accuratè notatis atque excussis, eorum nos confusioni & displicentiæ concipiendæ, veniæ eorundem petendæ, firmo emendationis proposito faciendo, gratiæ à Domino ad hoc poscenda insistere debere: quibus quo diutiùs inhæserimus, eo id futurum melius.

15. Perutile quoddam monitum hic adfert S. Dorotheus, scilicet, in examine non tam defectus quos admittimus, quàm ipsas defectuum radices, causas & occasiones, quæ fuere ad cadendum incitamento, examinandas, earumque rationem habendam esse, ut præmuniti, ab iis imposterum caveamus. Verbi gratia, si, eò quòd cubiculo egrediar, silentium fregi, vel murmuravi; proponere mihi debeo citra necessitatem eodem posthac non egredi, itaque me in futurum præmunire. Idem de aliis id genus rebus esto judicium. Id enim ni fiat, accidet nobis, quod ei qui hodie ad lapidem offendit; qui quia ad impingendi occasionem non advertit, etiam cras, eadem transciens ad eundem offendet: vel sicut ei, qui arbori putridæ, & emortuæ mederi cupiens, nonnisi aliquot ex ea ramos, & fructum verminosum putridumque avelleret. Hac ergo ratione si examina peregerimus, quod eis assignatum est tempus, nobis non longum & tædiosum, sed contractum potiùs ac quàm brevissimum videbitur.

Serm. 11. Non tam peccata, quàm eorum radices inquirenda.

❧(o)❧

CAPUT

CAPUT XI.

Examen conscientiæ, efficax esse medium reliqua omnia media & documenta spiritualia opere exequendi; causamq́ perexigui profectus spiritualis esse quòd non prout oportet, illud obeamus.

Hom 5. de instit Monach.

Cur diurnum examen SS. PP. suaserint.

S. Basilius post multa ac varia documenta, ad proficiendum in spiritu, Monachis præscripta, in hoc, velut omnium præcipuo, concludit, nimirum, ut singulis noctibus antequam cubitum concedant, conscientiæ examen instituant: quod censeret, unum hoc ad reliqua omnia quæ antè iis præscripserat, observanda, inque iis perseverandum, sufficere. Vellem equidem & ego præsentem tractatum in hoc concludere, etiam atque etiam, & quàm enixissimè examen hoc omnibus commendans: istud enim unum, juvante Dei gratia, satis erit & conferet ad reliqua spiritualia documenta executioni mandanda, omnibusque defectibus nostris efficaciter medẽdum. Si enim in oratione fias languidior, in obediendo remissior, in loquendo solutior, si, nescio quam, præter solitum libertatem tibi assumere incipias; per examen statim hæc omnia curabuntur & corrigentur.

Examen est conscientiæ pædagogus.

2. Qui quotidie hoc exercitium ita ut oportet peraget, credere potest habere se quendam ad manus pædagogum, aut magistrum Novitiorum, & Superiorem, qui singulis diebus & horis ab ipso gestorum rationem exposcat, faciendorum commoneat, erratorum denique aliqua in re coarguat, & censorem agat. De quo M. Avila sic pronunciat: *Nõ diu defectus tui durare poterunt, si hoc in te duret examen, si omni die, imò hora rationem à te factorum reposcas, teq; peccantem reprehendas. Si nihilominus defectus tui durent, & post multos dies, & annos fortasse, paßiones tuæ tam indomitæ, vivæ & contumaces sint, quam erant initio; non alia, mihi crede, eius rei est causa, quam quòd media, quæ ad profectum nostrum in spiritu & animæ culturam, sunt instituta, debitè legitimeq; non usurpes. Etenim si seriò & ex animo proponeres vel defectum aliquem expugnare, vel virtutem consequi, & magna ad hoc ipsum diligentia ac sollicitudine animi conniteveris, id est, ter ad minimum de die, manè videlicet, meridie ac vesperi, emendationem proponeres; dein quotidie lapsus vespertinos cum matutinis, hodiernos cum hesternis, & huius septimanæ cum hebdomadæ superioris conferres; doleres quoq; & erubesceres de tam crebris lapsibus, gratiam quoque seriò vitæ emendandæ à Deo & Sanctis postulares; fieri ne posset, ut post tantum contentionis tempus nihil omnino profecisses, nec promovisses?* In Audi filia. cap. 62.

Nisi serio examen feceris nihil proficies.

3. At si quis ex sola consuetudine, & pro forma (ut vulgo dicitur) tantũ examen suum obeat, non concipiendo, inquam, verum de culpis suis dolorem, & nullum emendationis propositum; nõ id examen erit, sed nuda tantum cærimonia larvata & mos humanus. Unde fit, ut quos quis defectus, habitus malos, & inclinationes pravas inordinatasq; è sæculo in Religionem secum tulit, easdem etiã post

annos plurimos in ea transactos retineat: ut si antea erat superbus, etiam modò sit; si impatiens & iracundus, talis etiam nunc sit; si asper & mordax in verbis erga proximum, jam non minùs austerus sit, ac tam in moribus ac conversatione levis, quam erat primo Religiosi ingressus die, tam voluntatis suæ tenax, tam illicitorum appetens, tam commoditatum suarum sectator; & eodem in luto hæreat.

Imo in Religione negligētia tua peior fies.

4. Atque utinam, profectûs & incrementi in virtutibus loco, non etiam pravata in nonnullis conditio & indoles increverit, & tantum, quantum anni, noxia non adaucta sit libertas, cumque esse deberent humiliores, jam non facti sint arrogantiores ac præsumptiosiores, & non in illam perversionem incidant, de qua Bernardus: *Quodq; perversum est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua nonnisi contemptibiles esse potuerunt.* Multi enim sunt, qui cùm in mundo obscuri essent, & ignoti, in Religione famam & nomen captant, quibus cùm in mundo vix suppeterent necessaria, suas hîc quærunt delicias.

Hom. 4. super Missus est.

Naturæ corruptæ non cedendum, sed resisti posse.

5. Ex iis quæ dicta sunt, colligitur etiam, quàm frivola & iniqua sit illa quorundam excusatio, qua defectus & vitia sua palliare contendunt, ex eo, quòd hæc sua sit natura, complexio & indoles. Imò hoc ipsum maiore dignũ est reprehensione, quòd, cùm quis se hanc, vel aliam, malignam vitiatamque naturam & indolem habere norit, & toto suo conatu ac studio in hac parte debili communienda conniti deberet, ne hac hostis in animam perrumpat; post tot tamen annos elapsos tam immortificatus, debilis & rudis sit, quàm erat primo conversionis suæ die.

Examen optimũ instrumentum Reformationis ob tria commoda.

6. Cuicunque ergo Deo seriò servire propositum est (quia omnes in genere hîc alloquimur) ad se ipse revertatur, & de novo quodammodo auspicetur, suum posthac examen conscientiæ pro eo ac debet instituere procurando, ita ut eum proficere nemo non ad oculum videat. Homines fragiles, fateor, sumus, ac varios habemus defectus, & tam diu eos habebimus, quamdiu vivemus; attamen tria nobis per examen procurari possunt bona. *Primùm*, ut, si defectus hi initio erant plures, pòst fiant pauciores; *Secundum*, ut, si graviores, minuantur; *Tertium*, ut non semper sint idem. Nam in unum eundemque sæpiùs relabi, eandemque culpam sæpius reiterare, magnam & supinam arguit negligentiam vecordiamque.

Refertur in hist. Eccl. p. 2. lib. 6. c. 1. Exemplũ de Monacho quodem nunquam relapso.

7. Refert Evagrius in libro, quem de Monachorum conversatione & corporalibus exercitiis conscripsit, Monachum quendam sanctum dixisse, Non memini me unquam ... unum idemque delictum, diabolo instigante, esse prolapsum. Hic scilicet rectè & prout oportebat, conscientiæ suæ examen instituebat, illum seriò & ex animo commissorum pœnitebat, ille denique solida emendationis proposita concipiebat. Hoc nostrum est imitari.

Aliud exemplum, quotidiani profectûs.

8. Hac via B. P. N. Ignatium Deus conduxit, & ad tantum perfe-

ctionis

ctionis culmen provexit. Rem notabilem & singularem quoad hoc in illius Vita legimus, nempe, eum, cùm diem hesternum cum hodierno, & præsentem profectum cum superiore compararet; comperire solitum quotidie, semper se magis ac magis in spiritu proficere, & terræ, quam votis spectabat (vel, ut meliùs loquar, cœlo) viciniorem fieri: ita quidem, ut jam annis gravis diceret, statum illum, & vitæ genus, in quo olim Manresæ vixerat (quem ipse tempore studiorum primitivam suam Ecclesiam vocitare solebat) suum quodammodo novitiatum fuisse: unde etiam divina bonitas illam perfectionis imaginem, cuius Manresæ nonnisi prima lineamenta umbrasq; duxerat, quotidie in anima illius nativis illustrioribusque coloribus condecorabat ac perficiebat.

Lib.5. c.1. Vita.

9. Hoc itaque medium, quod Dominus tam singulari favore nobis dedit, & nos, uti par est, usurpemus; & speremus firmiter, eius nos adminiculo ac subsidio, ad perfectionem, ad quam aspiramus, omnino conducendos.

Examen seriò nobis commendatur.

PART. I. TRACTATVS OCTAVVS

DE CONFORMITATE VOLVNTIS NOSTRÆ CVM DIVINA.

CAPVT PRIMVM.

Duo primaria huius rei fundamenta ponuntur.

Matt.26. 39.

Christus incarnatus ut nos redimeret & doceret.

1. NOn *sicut ego volo*, Domine, *sed sicut tu*. Duas ob causas, tradunt Sancti, unigenitum Dei filium de cœlo descendisse, nostræque mortalitatis carne se, humanam naturam verè assumendo, vestiisse. Primò, ut nos pretio sanguinis sui redimeret; deinde, ut sua nos doctrina iter cœleste edoceret, suoq; exemplo instrueret. *Sicut enim parum nobis prodesset viam in cælum nosse, si in carcere vincti detineremur; ita vice versa* inquit Bernard. *è carcere eripi, nihil nobis prodesset, si viam ignoraremus.* Quoniam verò Deus invisibilis erat, hinc, quò ipsum videremus, & sequi possemus atque imitari, necesse erat, ipse se visibilem faceret, nostramque sibi humanitatem circumdaret; perinde ac pastor ideò ovinas exuvias (quæ ovium est

Serm.2. de circumcisio. Domin.

 vestis

vestis) assumit, ut oves ipsum, suam in eo notantes similitudinem, sequantur.) Unde S. Leo Pontifex ait; *Nisi enim esset homo verus, non præberet exemplum.*

Serm. 1. de nativ. Dom.

Christus qua Deus remediũ, qua homo attulit exemplum.

2. Utrumque porro, tam hoc scilicet quàm illud, ipse quàm perfectissimè fecit, idque ex nimio & excessivo suo erga homines amore. Sicut enim redemptio copiosa admodum fuit, (*& copiosa apud eum redemptio:*) ita & copiosa eius fuit instructio: quia non verbis modò, sed copiosiùs ipso operum exemplo homines docuit. Dicit quippe Evangelista Lucas, *Cœpit Iesus facere & docere.* Primò cœpit operari, idque toto vitæ suæ tempore; & deinde prædicare verbo ac docere, sed nonnisi tribus ultimis vitæ annis, circiter.

Ps.129.7.

Plus fecit quam docuit.

Act.1.1.

Christus resignationem plenam plus exemplo, quã verbo docuit.

3. Cæterùm inter alia, quæ nos Redemptor Jesus docuit, id facilè primum & præcipuum fuit, ut plenam, totalem & perfectam omnibus in rebus cum divina voluntate conformitatem haberemus. Id autem nos non verbis tantùm (quando, nimirum, suos orare docens, dixit, Inter alia hoc à Patre cœlesti petetis, *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra*) docuit; sed suo etiam exemplo hanc ipsam doctrinam mirificè confirmavit. Hanc etenim se ob causam potissimùm de cœlo ait in terram descendisse: *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Quin feria illa quinta, quâ cœnam ultimam com̃edit, eo, inquam tempore, quo redemptionis nostrę negotium jamjam peracturus erat, in oratione illa quam in horto Gethsemani fudit, etsi corpus & appetitus sensitivus naturaliter mortem exhorrerent (unde etiam, ut se verum esse hominem ostenderet, dixit; *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste;*) voluntas tamen semper fuit promptissima, & calicem sibi à Patre admensum & propinatum bibendi cupidissima. hinc etiam illicò in eadem oratione subjunxit: *Veruntamen, non sicut ego volo, sed sicut tu.*

Mat.6.10.

Ioan.6 38.

Matt.26. 39.

Ibid.

Duo fundamenta resignationis.

4. Ut verò rem hanc à capite arcessamus, & in isthac conformitate benè fundemur, duo nobis fundamenta præsupponenda sunt, brevia quidem, sed imprimis substantialia; in quibus, ceu duobus cardinibus, universum hoc negotium versabitur. *Primum* est, universam nostri profectûs & perfectionis rationem in hanc cum Dei voluntate concordia & consensu consistere; &, quo hæc futura maior & perfectior, eo & illum majorem fore. *Alterum*, nihil sine Dei voluntate aliqua, aut ordinante aut permittente evenire.

Perfectionis Humanæ mensura.

5. Quantum ad primum horum fundamentorum attinet, hoc intelligere haud difficile est: certum enim est, perfectionem essentialiter in caritate & amore Dei consistere; & eo quemque perfectiorem futurum, quo maiore in Deum amore feretur. Omnia Evangelia, universæ S. Pauli Epistolæ, atque adeò omnes Sanctorum libri hac doctrina pleni sunt; utpote in quibus legimus: *Hoc est maximum & primum mandatum: Caritas est vinculum perfectionis: Maior autem horum est caritas.* Eminentissimum perfectissimumque omnium est caritas

Matt.22. 38.

Coloss.3. 14.

1.Cor.13.13

ritas & amor Dei. Huius autem amoris Dei pars altissima, sublimissima, purissima, ac veluti cremor eius, est, in omnibus se cum Dei voluntate conformare, & cunctis in rebus idem prorsus velle & nolle, quod divina eius majestas. Nam, ut è veteri Philosopho tradit D. Hieronymus, *Eadem velle, & eadem nolle, ea demum firma amicitia est.* Quanto ergo quis erit cum divina voluntate conformior & unitior, tanto erit & melior ac perfectior. Constat adhæc nihil esse Dei voluntate aut melius, aut perfectius: unde sequitur, quo se homo cum Dei voluntate magis uniet & conformabit, hoc ipsum fore meliorem ac perfectiorem. Sic argumentabatur alius ille Philosophus: Si Deus est res omnium existentium perfectissima: ergo, quo res quælibet Deo magis assimilabitur, eo perfectior illa futura est.

Ep. ad Demetriad. Cic. de amicitia.

Nihil sine Dei voluntate evenit excepto peccato.

6. Secundum fundamentum est, nihil omnino posse in mundo contingere aut evenire citra specialem Dei voluntatem, nutum ac decretum, unâ exceptâ culpâ & peccato: quia eius causa & auctor Deus nec est, nec esse potest, quandoquidem peccatum secundum Augustinum est dictum, factum vel cogitatum contra vel præter Legem Dei. Sicut enim naturæ ignis repugnat, frigefacere; & glaciei, calefacere; & soli, inobscurare: ita infinities magis Dei bonitati repugnat, peccatum & iniquitatem amare. Unde de eo loquitur Propheta, *Mundi sunt oculi tui, Domine, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.* Sicut vulgò, dum quem alteri exosum & abominabilem esse significare volumus, dicimus, Non potest eum videre; sic Propheta hic, Deum ait iniquitatem & peccatum, ob infinitum odium & abominationem, quo ipsum persequitur, videre non posse. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*, ait Psalmographus: & alio loco: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem.* Quantopere autem peccatum Deus detestetur & execretur, plurimis in locis Scriptura ostendit, quamobrem eius causa & auctor esse nequit. Verùm uno hoc excepto, reliqua adversa, calamitates, & mala pœnæ omnia, Deo volente & permittente contingunt. Hoc fundamentum itaque certissimum & irrefragabile est.

Psal. 5. 5.
Psa. 44. 8.

Fortuna nihil, Deus omnia donat.

7. Unde bene infertur: Nulla in mundo (ut cæca Gentilium finxit superstitio) est *fortuna*; & ea quæ homines Fortunæ bona appellãt, nõ à Fortuna, utpote quæ nulla est, sed à solo Deo dãtur. Docet id Spiritus sanctus, per os Sapientis dicens, *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas, à Deo sunt.* Ac tametsi per alias causas secundas hæc eveniant; certum nihilominus est, in magna hac mundi republica, nihil nisi ex summi illius Imperatoris, qui ei præest, voluntate ac dispositione fieri. Respectu Dei nihil casu & fortuitò accidit; sed quæcunque fiunt, per manus eius decernuntur ac veniunt. Ipse omnia corporis tui ossa, quin & omnes capitis tui capillos in numerato habet, ut ne unus quidem sine eius nutu voluntateque defluere ac deperire possit.

Eccli. 11. 14.

8. Sed

Non sorte, sed Divina providentia etiā minima reguntur.

8. Sed quid dico de hominibus? ne avis quidem in laqueum & casses incidit, ait in Evangelio Redemptor Jesus, sine peculiari dispensatione ac permissu Dei. *Nonne duo passeres*, inquit, *asse veneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro.* Ne folium quidem in arbore sine eius arbitratu movetur. Quin & de sortibus dicit Sapiens, *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur*, id est, non casu aut fortuitò illæ cadunt, sed supremi sortilegi providentia, ita rem disponente & volente, exeunt. Sic *cecidit sors super Matthiam*, non casu aut fortuna, sed per particularem Dei nutum & providentiam, eum hac via in Apostolorum suorum collegium cooptare & eligere cupientis.

Prov. 16. 33.

Act. 1. 26.

Quod respectu Hominū casus est, apud Deū consiliū fuit.

9. Veritatem hanc eminentissimi quique Philosophi, vel solo lumine naturali perspexerunt, dixeruntque, tametsi respectu causarum secundarum multa fortuitò eveniant; primæ tamen causæ respectu, fortuita ea non esse, sed valdè deliberatè, ex proposito ac destinatò fieri. Quam rem hac similitudine declarant. Pone & finge, servum negotii cuiusdam conficiendi causa, quopiam à Domino mitti; mox alium ad alia conficienda, eodem, sed aliâ viâ, destinari, ita tamen, ut alter de alterius adventu nihil planè norit; dominus tamen utrumque eodem in loco simul esse velit. Quòd hi ambo in uno eodemque loco invicem inveniant, illorum quidem intuitu, fortuitum est; heri tamen, id studio intendentis, respectu minimè fortuitum est, sed præcogitatum destinatoque factum. Ita in hac nostra materia, esto respectu hominum quædam casu accidant, quod hæc ipsi nequaquam intenderint, imò ne cogitarint quidem; respectu tamen Dei, non fuit fortuitum, sed illo volente & intendente factum, utpote qui ob occultos & secretos fines, quos ipse novit, ita fieri decrevit.

Simile.

10. E duobus illis fundamentis & præmissis, colligenda est conclusio & thema quod antè posuimus, scilicet; *cùm universa nobis evenientia à manu Dei proficiscantur, atque ideo omnis nostra perfectio in nostri cum divina eius voluntate conformatione sita sit; illa nobis esse, ceu à manu eius descendentia, accipienda, inq; illis nos cum sanctissima ac divina eius voluntate conformari debere.* Nihil tibi est, velut casu, aut humana industria solertiaque factum, accipiendum: hoc enim mirè hominem affligere & angere solet: neque cogitandum, hoc vel illud ideò tibi accidere, quòd quispiam id ita conduxit ac direxit; & nisi hoc vel illud in causa fuisset, aliter rem eventuram fuisse. Non est cur ideo magnopere angaris; sed omnia tibi sunt, veluti à divina manu consilioque dimanantia, accipienda, quacunque demum via vel anfractu, rectè vel obliquè veniant. Ipse namque solus ea per hæc media immittit.

Conclusio ex fundamentis, antepositis.

11. Quidam de priscis illis Anachoretis dicere solebat, hominem vera in hac vita quiete gaudioque potiri non posse, nisi cogitaret, *præter Deum & se unum, nullos alios in mundo homines superesse.* Et tradit B. Dorotheus, veteres

Exempla.

Doctri. 1.

veteres illos eremi Patres in id potissimùm toto studio & animi conatu incubuisse, ut omnia, velut à manu Dei profecta (quantumlibet essent tenuia, & quomodocunque venirent) acciperent, atque hoc ipsos pacto in summa animi pace & quiete, vitamque propè cœlestem & angelicam in terra vixisse.

Caput II.

In quo secundum fundamentum ampliùs ac deductiùs declaratur.

Sophisma Dæmonis est quod mala ex culpa aliena nata, non accidant Deo ordinante.

1. TAm explorata, & in sacris Litteris fundata, veritas est, omnia huius vitæ gravamina, ærumnas, & mala pœnæ, à Dei manu proficisci; ut ei adstruendæ probandæque necesse non fores diutiùs immorari, nisi suo eam cacodæmon astu obscurare & infringere satageret. Hic enim ex alia illa veritate, æquè certa, quam antè diximus (scilicet, Deum peccati causam & auctorem non esse) falsam quandam mendacemque conclusionem infert, nonnullis persuadendo, quòd, quamvis mala, quæ mediantibus *causis naturalibus & creaturis Rationis expertibus* nobis accidunt (eiusmodi sunt infirmitas, fames & sterilitas) à Deo proficiscantur; quia nullum in creaturis illis est peccatum, nec esse potest, (quòd hæ illius non sint capaces;) malum tamen & gravamen & molestiam, quæ *hominis*, qui me vel læsit, vel res meas furto abstulit, vel infamiam intulit, *culpa accidunt*, non à Dei manu, nec eo decernente, annuente, providenteque, sed duntaxat ex malitia & scelerata ipsius inferentis voluntate mihi inferantur. Qui sanè gravis & intolerabilis est error. Unde benè B. Dorotheus tam hunc, quàm eos qui omnia contingentia, non velut à Dei manu provenientia, accipiunt, coarguens, ait: *Nos verò cùm verbum ullum in nos dictum audimus, canes imitamur: hi enim si quis in eos lapidem jecerit, jaciente dimisso lapidem remordent: ita nos, Deo relicto, qui nobis tribulationes huiuscemodi ac peccatorum nostrorum purgationem procurat, ad lapidem, hoc est ad proximum, currimus.*

Doctrin. 7.

Simile.

2. Ut autem hic error eliminetur, & ipsi in Catholica veritate solidè fundemur, docent & notant Theologi, in peccato quolibet, quod committimus, duo concurrere: scilicet, primò motum & actum exteriorem; deinde ipsam interiorem voluntatis inordinationem, qua se ab eo quod præcipit Deus, disjungit. Primi causa & auctor est Deus; alterius, homo. Ponamus, v. g. quempiam cum alio rixari, eumque in rixa interficere. Ut eum interficeret, opus habuit manum ensi admovere, brachium elevare ac dirigere, ictum inferre, & alios motus naturales facere; qui nudè in se, ac sine ulla inordinatione voluntatis hominis, qui eos ad alium interficiendum fecit, considerari possunt. Horum omnium motuum, purè in se consideratorum, causa Deus est, & eos ipse facit, non secùs atque omnes creaturarum irrationalium effectus facit. Nam sicut illæ

In peccato duo sunt: Actus, & inordinatio.

sine Deo concursu, nec dirigi, nec moveri, nec operari possunt; ita nec sine illo suum posset homo ille brachium flectere, aut manum gladio applicare.

Externus actus ex se malus non est. Culpam permittit, nō facit Deus.

3. Adhæc, actus hi naturales ex se mali non sunt; si enim eos homo, vel ad necessariam sui tutelam & defensionem, vel in bello justo, vel in quantum publicus minister est justitiæ, usurparet, itaque alium interficeret, minimè peccaret. Verùm cùlpæ (quæ est quidam voluntatis defectus & inordinatio, qua malus quispiam alteri injuriam infert) nec non deviationis illius & distortionis rationis, Deus nequaquam causa est, esto eam permittat; nam eam impedire, prorsus potest, licèt ob justa judicia sua, minimè impediat. Scita rem hanc declarant similitudine.

Simile.

Si quis, inquiunt, plagam in pede accepit, ob eam claudicando incedit: causa autem, quòd pede incedat, est motiva animæ virtus & vis; at claudicationis illius causa, est plaga, non ipsa animæ virtus. Pari modo se res habet in opere, quod quis peccando facit; operis quidem causa Deus est, sed quòd operando delinquat & peccet, à libero hominis arbitrio procedit.

Omnia mala pœnæ, à Deo, nullum culpæ.

4. Adeò ut, tametsi Deus non sit, nec esse queat, peccati auctor; indubitatè tamen credendum sit, omnia mala pœnæ, tam mediantibus causis naturalibus, & creaturis irrationabilibus, quam creaturis ratione præditis, quacunque etiam via & modo evenientia, à Dei unius manu, omnisciaque eius dispensatione & providentia provenire. Ipse enim manum direxit eius qui te læsit, linguam etiam illius qui contumeliis te oneravit. Amos Propheta ait, *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit.* Et passim hanc Scriptura veritatem inculcat, attribuens Deo malum, quod unus intulit alteri, Deumque id fecisse asserens.

Amos.3.6.

5. Sic libro secundo Regum, punitionem illam, quâ David per Absalomi filii rebellionem, ob commissum adulterium & homicidium est castigatus, à sua Deus manu proficiscendam prænuntiavit: *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo: tu enim fecisti absconditè, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis.* Inde etiam est, quòd Reges impios, qui, propria etiam superbia & crudelitate impellente, variis populum Israel flagellis, cladibus & castigationibus atterebant, Scriptura divinæ justitiæ instrumenta appellet. Sic legimus: *Væ Assur, virga furoris mei.* Ac de Cyro, Persarum Rege, per quem Chaldæos Dominus castigaturus erat, dicit, *Cuius apprehendi dexteram.* Unde præclarè ad hoc propositum scribit Augustinus: *Impietas eorum tanquam securis Dei facta est: facti sunt instrumentum irati, non regnum placati. Facit hoc enim Deus, quod plerumque facit & homo. Aliquando iratus homo apprehendit virgam jacentem in medio, fortasse qualecunque sarmentum; cadit inde filium suum, ac deinde projicit sarmentum in ignem, & filio servat hæreditatem. Sic aliquando Deus* per

2.Reg.12. 11. Exemplum. Deus punit per homines, uti instrumenta.

Isa.10.5.

Isa.45.1.

Super Psal. 73.

Mali sunt virga bonorum.

per malos erudit bonos, & hos per illos velut per instrumentum ac virgam, castigare sustinet.

Hist. Eccl. p.1. lib.3. c.1. Aliud Exemplum.

6. Titus Vespasiani F. Imperator Romanorum, cùm urbem Jerusalem, à se obsessam, quodam tempore circumiret, & valles fossasque eiusdem calvariis cadaveribusque mortuorum (quorum fœtore ac putiscentia omnis circumquaque locus inficiebatur) oppletas conspicaretur; magna voce oculos ad cœlum sustollens, Deum cœli palàm testatus est, tantæ se stragis cladis & internecionis causam non esse. Alarico Regi Gothorum Romam ad eam vastandam & evertendam properanti, Monachus quidam venerabilis obviam prodiit, eumque supplex rogavit, ne tot malorum, illo in excidio patrandorum, causa esse sustineret. Cui barbarus, Equidem, inquit, non mea voluntate impulsuque Romam propero, sed alterius. Quotidie namque, nescio quis, me importunè impellens & divexans, mihi identidem suggerit, Abi Romam, & civitatem illam destrue. Adeò, ut illa omnia à manu Dei, eoq; specialiter ordinante & volente, proveniant. Unde etiam Regius Propheta David, cùm à Semei malediceretur, ac lapidibus impeteretur, isthanc iniuriam ferro vindicare volentibus, ait: *Dominus præcepit ei ut malediceret David; & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?* id est, Dominns hunc ut instrumentum delegit, ad me affligendum & castigandum.

2.p.l.9.c.2.hist Eccles.

2 Reg.16.10.

Etiã Dæmones sunt instrumenta iustitiæ divinæ.

7. Neque verò mirum est, homines justitiæ & providentiæ divinæ esse instrumenta, cùm & ipsi dæmones, in sua malitia obstinati & obdurati, nostræque perditionis percupidi, hoc munus obeant. Egregiè ac præclare advertit id S. Gregorius, in illud 1. Regum scribens, *Spiritus Domini malus abripiebat Saul.* Spiritus hic vocatur tum *spiritus Domini*, tum *spiritus malus*: *malus* quidem, quòd mala eius esset intentio; *Domini* verò, ut demonstrandum, eum à Deo missum esse ad Saulem sic torquendum, & Deum ad isthoc tormentum infligendum, illo instrumento uti. Hoc ipsamet Scriptura eodem loco declarat, dicens: *Exagitabat eum spiritus nequam à Domino.* Eamdem ob causam ait idem Pontifex, dæmones à quibus justi tribulantur & divexantur, in Scriptura *latrones Dei* appellari: *latrones* quidem, ob malam quam habent, nobis nocendi voluntatem; *Dei* verò, ut noverimus, omnem, quam habent ad nocendum, potestatem eos à Deo accipere.

Lib. 18. Moral. c.3. 1. Reg. 16. 23.

1. Reg. 16. 14.

Lib. 14. Moral. c. 18. in Iob. 19. 11.

Iob. 1. 21. In Psal. 31. Exempla Dæmonem nil posse nisi Deo permittente.

8. Unde Job, ut benè ponderat S. Augustinus, non dixit, *Dominus dedit, diabolus abstulit*: sed quamprimùm omnia in Deum retulit, dicens, *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Sciebat enim dæmonem non plus irrogare mali posse, quàm illi sit à Domino permissum. Et hoc ipsum prosequens idem Augustinus, *Prorsus*, ait, *ad Deum tuum refer flagellum tuum, quia nec diabolus tibi aliquid facit, nisi ille permittat qui desuper habet potestatem.* Ne in Gerasenorum porcos quidem ingredi potuere dæmones, nisi potestate & licentiâ ingrediendi à Domino Jesu

Ibid.

Matt. 8. 31.

 (ut

(ut Evangelista refert) antè petitâ: quomodo ergo te violare & tentare poterunt, si potestatem ipsis non fecerit Deus? qui porcos attingere non valuit, quomodo attinget filios?

Caput III.

De magnis bonis & commodis, quæ huic cum divina voluntate conformitati includuntur.

Conformatio cũ Dei voluntate est ipsa perfectio.

1. Ipsam sanctitatis & perfectionis vitæ Christianæ summam in eo S. Basilius asserit consistere, ut *omnia, tam magna quàm parva, Deo attribuamus, nosq; in illis sanctissimæ eius voluntati conformemus.* Ut verò meliùs rei huius perfectionem ac momentum intelligamus, itaque magis huc animemur, maiorique in eam studio & conatu incumbamus, eximia bona & fructus, quos hæc cum divina voluntate conformitas includit, singillatim jam prosequemur.

Resignationis præstantia. 1. ex eo quod quietem affert.

2. *Primò*, est hæc vera perfectaque illa resignatio, quam sancti Patres, atque adeò universi vitæ spiritualis Magistri, tantopere ubique celebrant, & quam velut radicem ac *principium omnis pacis quietisq; nostræ spiritualis esse asserunt.* Hæc enim hominem non aliter in Dei manus consignat ac tradit, quàm pauxillum luti est in manu figuli, ut is de illo vas faciat ac statuat quodcunque voluerit: ita ut ipse non jam suus esse, non sibi vivere, non sibi comedere, non sibi dormire, non denique sibi laborare velit, sed nonnisi in Deo & propter Deum omnia hæc faciat. Hoc porro facit hæc nostra conformitas: per illam quippe homo se totum voluntati divinæ resignat; ita quidem, ut aliud non desideret, aliudvé procuret, quàm ut divina voluntas quàm perfectissimè in se adimpleatur, tam in eo quod ipse facere tenetur, quàm in qualibet re quæ ipsi potest contingere, nevé minùs in prosperis & consolatoriis, quàm adversis & laboriosis. Quod quidem Deo tantopere placet, ut David Rex propterea dictus sit vir secundùm cor Dei: *Inveni*, inquit Deus, *virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Eò quod cor illius secundùm cor Domini ita moveretur ac flecteretur, tamque esset promptum ac dispositum ad quodlibet, quod in illo Dominus imprimere vellet, laboriosum æquè ac consolatorium & suave, accipiendum, quam cera mollis est & ductilis ad cuiusque formæ figurævé impressionem accipiendam. Atque ideo etiam duobus in locis palàm de se is confitetur, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.*

1. Reg. 13. 14. Act. 13. 22.

Simile.

Ps. 58. 8. Ps. 107. 1.

Item eo quod sit plena mortificatio sui.

3. *Secundò*, quisquis veram hanc perfectamque cum Dei voluntate concordiam & conformitatem habet, simul etiam veram, integram, perfectamque omnium passionum, & pravarum inclinationum mortificationem possidebit. Nemo porrò ignorat, quàm hæc mortificatio sit necessaria, ac quantopere à sanctis viris sacraque Scriptura laudata & commendata. Hæc autem mortificatio medium quoddam est, ad hanc cum voluntate Dei conformitatem

Ex eo quod Deo offert hominem totum.

tatem consequendam, necessariò præsupponendum: ita, ut hæc finis sit, mortificatio verò eius obtinendæ medium: finis porro principalis ipso medio semper esse solet sublimior & perfectior. Jam, mortificationem necessarium esse medium, ad unionem hanc & veram ac perfectam cum divina voluntate conformitatem acquirendam, sole meridiano clarius est. Nihil enim unionem hanc & conformitatem impedit, quàm voluntas propria & inordinatus appetitus: hinc, quo suam quis voluntatem & appetitum ampliùs negabit vel mortificabit, eo faciliùs sese cum voluntate divina uniet & conformabit. *Simile.* Ut rude impolitumque lignum cum alio benè dolato levigatoque coaptetur aut componatur, illud antè dolari polirique necesse est: aliter enim cum eo uniri ac conjungi non poterit. Idem prorsus facit mortificatio; ipsa quippe nos dolat, expolit & levigat, ut hac ratione Deo uniamur & adaptemur, in omni re divinæ eius voluntati nos conformando. Proinde quo se quis magis mortificabit, eo ampliùs se cum divina voluntate uniet & coaptabit: & ubi jam perfectè & plenè mortificatus erit, tunc ad perfectam hanc unionem & conformitatem perveniet.

Ex eo quod Deo offert hominem totum. 4. Hinc consequitur & aliud bonum, quod esse potest tertium; nimirum, hac resignatione & totali cum divino beneplacito ac voluntate cõsensu, nullum sui ab homine Deo offerri posse sacrificium maius, acceptius, vel gratius. In aliis quippe sacrificiis offert ei quæ sua sunt, at in hoc seipsum. In aliis quoque sacrificiis & mortificationibus nonnisi ex parte se mortificat; v.g. in temperantia, in modestia, in silentio, in patientia aliquam sui Deo partem offert: hoc verò quoddam est holocaustum, in quo se Deo totaliter & totum immolat, ut is de toto se quodcunque, quomodocunque, & quandocunque voluerit, statuat, ita ut nihil sui excipiat, eximat, vel reservet sibi. Proinde, quantum interest inter hominem ipsum, & ea quæ sunt hominis, quantum inter totum & partem; tantum inter hoc sacrificium & reliqua sacrificia mortificationesque discrimen est.

5. Tanti verò Deus isthoc facit, *Prov. 23. 26.* ut hoc unum à nobis exigat: *Fili,* inquit *præbe mihi cor tuum.* *Ex eo quod per eam cor præbeatur Deo.* Quemadmodum accipiter regius nonnisi cordibus pascitur: ita nihil est Deo corde gratius ac sapidius: & hoc nisi illi dederis, nulla ei re facies satis. Hoc autem dum à nobis petit, parum petit. Si enim nos, qui nonnisi pauxillum pulveris & cineris sumus, rerum à Deo creatarum nulla satiari nec contentari possumus, nec exiguum hoc corculum nostrum ulla prorsus re, quæ Deo minor sit, saturari; quomodo te Deo satis putas facturum, si illi non totum cor, sed nonnisi partem illius tribuas, aliam verò tibi reserues? Falleris: neque enim cor nostrum tale est, ut hoc modo dividi dissecarique in partes queat. *Coangustatum est enim,* inquit *Isa. 28. 20.* Isaias, *stratum, ita ut alter decidat, & pallium breve utrumq; operire non potest.*

Pari modo cor nostrum, angustum quoddam est stratum; hinc neminem alium capit, quàm solum Deum. Gilber. Abb. ser. 2. in Cant. apud S. Bernard. Cant. 3. 1. Hac de causa etiam sponsa id nomine lectuli vocavit: *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea.* Ita enim suum illa cor coangustarat, ut alium id amatorem non caperet, quàm unicum sponsum suum. Qui ergo cor suum extendere & dilatare cupiet, quò aliquem rei extraneæ in eo locum assignet, Deum ex eo expellet. Atque de hoc ipse apud Prophetam suam conqueritur, dicens, Isa. 52. 8. *Quia juxta me discooperuisti, & suscepisti adulterum, dilatasti cubile tuum, & pepigisti cum eis fœdus.* Dum diversum à sponso in cubile cordis tui admisisti, adulterata es; utque adulterum tegeres & cooperires, Deum discooperuisti, & eiecisti. Si vel mille corda haberemus, soli Deo illa offerenda essent; quin & omnia nobis videri debent perexigua, respectu eius quod tam potenti Domino debetur.

Ex eo quòd sit Charitas ipsa viva.

6. Quartò (uti initio dicebamus) qui hanc voluntatis conformitatem habebit, perfectam quoque charitatem & amorem Dei possidebit: &, quo in illa magis proficiet, eo & in amore Dei magis crescet, ac consequenter in perfectione, quæ in hac caritate & amore consistit. Quod, præter ea ea quæ diximus, satis quoq; colligitur ex eo quod jam jam dicebamus. Amor enim Dei, non in verbis, sed in operibus consistit. Hom. in Evang. Nam, teste Sancto Gregorio, *probatio veræ dilectionis exhibitio est operis.* Et quo sunt opera difficiliora, & pluris constant, eo magis illa amorem Dei produnt. Hinc S. Joannes Apostolus ingentem declarare volens amorem, tam quo mundum hunc Deus dilexit, quàm quo Patrem suum Christus Jesus prosequebatur, de primo quidem ait: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret,* Ioan. 3. 16. qui pro nobis pateretur, ac mortem oppeteret. de altero verò ipsemet Servatur apud eundem ait, *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite, eamus, hinc.* Ioan. 14. Ibat porro ad mortem in cruce oppetendam. In hoc palàm ostendit, ac mundo probavit, insigni se erga Patrem suum amore ferri, quòd mandatum eius adeò rigidum adimpleret. Adeò ut amor nonnisi per opera declaretur, eoque magis, quo opera maiora sunt ac laboriosiora.

Conformitas voluntatis divinæ est summum sacrificiū.

7. Hæc verò totalis cum voluntate Dei conformitas (uti dictum est) maximum est sacrificium, quod nostri Deo offerre possumus, propterea quòd perfectissimam quādam mortificationem & resignationem, qua quis se totum Deo offert, atque in eius manus se tradit, ut de se statuat quodcunque voluerit, præsupponit. Quamobrem nihil est, in quo magis suum quis in Deum amorem patefaciat, quàm in hoc, quòd, quidquid habet, & habere etiam aut desiderare potest, illi det & offerat; ac, plura si haberet, & plura posset, etiam hæc omnia illi daret.

Cap.

Caput IV.

Hæc perfecta cum Dei voluntate conformitas, quadam est in terris beatitudo.

Conformitas cũ voluntate Dei summa pax est.

1. QVicumque ad totalem hanc cum Dei voluntate conformitatem & concordiam perveniet, omnia, quæ ei accident, velut à manu eius profecta, accipiendo, inque his cum sanctissima ac divina eius voluntate se conformando, quandam hic in terra felicitatem ac beatitudinem adeptus erit. Etenim incredibili quadam pace & tranquillitate gaudebit, animaque illius perpetuo quodam gaudio & jucunditate perfundetur: quæ sanè felicitas ac beatitudo est, qua magni & illustres Dei servi in hoc mundo fruuntur. Nam, ut ait Apostolus: *Non est regnum Dei*, ac vitæ huius beatitudo, *esca & potus; sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto*: hoc, scilicet, est regnũ cœlorum, & paradisus voluptatis, quod etiamnum viventes in terra, habere possumus.

Rom. 14. 17.

Imo beatitudo secura & immota.

2. Meritò autem hæc pax vocatur beatitudo, propterea quòd nos Beatis quodammodo similes constituat. Nam, sicut in cœlo nullæ sunt mutationes, nullæ vicissitudines; sed semper in uno eodemque Esse ac statu Beati manent, Deo suo fruentes: ita qui hic in mundo, ad absolutam & perfectam illam conformitatem pervenerunt, ut omne eorum gaudium ac velle, sit beneplacitum ac voluntas divina; fortuitis vitæ huius mutationibus, ac variis qui contingunt, fortunæ successibus neutiquam percelluntur aut turbantur: quòd eorũ voluntas atque animus ita divinæ voluntati unita & conformia sunt, ut, cùm hæc omnia ab illius manu proficisci, & ipsius hoc pacto voluntatem & beneplacitum adimpleri vident, labores illis in gaudium, amaritudines in jucunditatem & dulcedinem transeant. Magis quippe dilecti sui voluntatem volunt & amant, quàm suam. Unde nihil omnino est, quod illos ullo modo consternet vel turbet. Si enim, quod fortè illos perturbare & affligere posset (putà, labores, ærumnæ, adversitates & infamiæ) id ipsi, ceu singulares quasdam delicias & consolationes accipiant, quòd hæc à manu Dei emittantur, hocque eius beneplacitum sit ac voluntas; sequitur, nullam in mundo rem esse, quæ ipsos valeat inquietare, aut altissimam animæ ipsorum pacem tranquillitatemque eripere.

3. Hinc ortum habet perpetua illa pax & mentis jucunditas, in qua priscos illos Sanctos continuo fuisse legimus: S. Antonium inprimis, Dominicum, Franciscum, aliosque similes. Idem de S. P. N. Ignatio traditum est; & illustribus Dei servis ut plurimùm id familiare & ordinarium esse videmus. Deerant fortè Sanctis illis labores ac molestiæ? An non tam ipsi tentationibus & infirmitatibus pulsabantur, quàm nos? Non variis & diversis successibus vita illorum exposita fuit? Fuit sanè, & quidem asperioribus difficilioribusque Exempla.

quàm

quàm nostra. Etenim illustrissimos quosque Sanctos Deus id genus rebus potissimùm probrare & exercere consuevit. Unde ergo fiebat, ut semper in uno eodemque statu & æquabili tranquillitate mens illorum ageret? ut eundem vultus tenorem, eandem serenitatem hilaritatemque, tum interiorem, tum exteriorem præferrent, ita ut continuo festum diem agere & sabbatizare viderentur? Rei huius non alia causa erat, quàm hæc ipsa, quam dicimus, quòd videlicet totalem perfectamque cum Dei voluntate conformitatem adepti essent, omneque suum gaudium in ejusdem adimpletione constituissent: hinc etiam omnia ipsis in gaudium & lætitiam convertebantur. Nam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Et, *Non contristabit justum quidquid ei acciderit.* Labor quippe, tentatio, mortificatio, omnia denique mala, ipsi in gaudium transibant: intelligebant enim hanc Dei voluntatem esse, quam adimplere unica ipsis erat voluptas ac deliciæ. Denique jam tum felicitatem & beatitudinem illam adepti erant, quæ quidem in hac haberi vita ab homine mortali potest, itaque velut in gloria quadam versabantur. Unde egregiè, & aptè huic proposito, S. Catharina Senensis, justos ait Christo Redemptori quodammodo similes esse: nam ut ille nunquã animæ beatitudine quoad vixit, caruit, etsi alioquin doloribus & afflictionibus variis exagitaretur: ita nec justi beatitudinem illam, quæ in hac cum divina voluntate conformatione consistit, quantumlibet multis adversitatibus premantur, umquam amittunt. Semper enim gaudium illud ac voluptas in ipsis habitat, ac perseverat, quod è voluntatis ac beneplaciti divini in hac re adimpletione resultat.

Rom. 8. 28

Prov. 12. 21.

In Dialog.

4. Est hæc tam sublimis & eminens perfectio, ut eam omnem sensum transcendere asserat Apostolus: *Pax Dei*, inquit, *quæ ex superat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras in Christo Iesu.* Omni sensui pacem hanc supereminere ait: Est enim illa tam sublime & supernaturale Dei donum, ut se solo intellectus humanus nequeat percipere, quî fieri queat, ut cor carneum medios inter tentationum ac laborum vitæ huius mortalis turbines ac tempestates, quietum ac pacificum esse, & consolatione perfundi possit. Unde id miraculũ non absimile videtur illi, quo Moses vidit rubum ardentem, & tamen incombustum: nec nõ miraculo trium illorum puerorum, qui in fornacem Babyloniam conjecti, medias inter flammas sani & sospites permansere, Deum collaudantes. Hoc est quod S. Job cum Deo disceptans, ajebat, *Mirabiliter me crucias* Domine: hinc quidem ingentem laborem, ærumnas & dolores quos patiebatur, innuens; illinc verò magnam lætitiam & voluptatem, quam in illis æquanimiter ferendis, propterea quòd id Dei voluntas esset ac beneplacitum, persentiebat.

Pax illa superat omnem sensum.

Exod. 3.

Dan. 3.

Iob. 10.

5. Senex quidam, sanctitate singulari, referente Cassiano, à multis infidelibus Alexandræ variis convitiis impetebatur; sed ille in his agni-

Cassian. collat. 12. c. 13.

Exempl. miracu.

nam

lum magnū gaudium in ærumnis.

nam quandam mansuetudinem & patientiam præferebat, omnes has injurias æquanimiter ferendo, & mira cordis quiete tacendo. Nam ei identidem illudebant, pugnis cædebant, quin & violenter hinc inde raptabant, aliisque id genus gravibus injuriis afficiebant: ac demum inter alia, cum exsibilatione & improperio illi oggerebant, Ecquænam tandem miracula Jesus Christus patravit? Quibus ille, Miracula, inquit, quæ fecit, sunt hæc, quòd ego has, quas mihi irrogatis, injurias patienter ferens, quin & alias maiores ferre paratus, neutiquam vobis indigner, vel irascar, nevé passione aliqua inordinata commovear. Hoc sanè notabile miraculum, & summa quædam eminentissimaque est perfectio.

Simile petitum ex altitudine olympi Montis.

Lib. de Gen. ad liter. opē. imperf. c. 13. & li. 3. c. 2. & li. 1. de Gen. contra Manic. c. 15. Lucan. lib. 2.

6. Olympus Macedoniæ mons (ut veteres produnt chorographi, necnon multis in locis S. Augustinus) tantæ est altitudinis, ut nulli in eius vertice venti, imbres, nubes, aliæque cælestes impressiones sentiantur: unde eo ait Poeta, *Nubes excedit olympus.* imò ne aves quidem ad summum eius culmen volatu queunt pertingere, utpote tam excelsum & evectum, ut primam hanc aeris regionem longè transcendat, & ad secundum usque pertingat; in qua tam defæcatus, purus ac subtilis hauritur aer, ut nullę in ea nubes vel generari, vel permanere queant, utpote quæ aerem spissiorem requirunt: eandem ob causam nec aves ibidem subsistere, nec homines valent vivere: nā quòd aer ibi tam sit subtilis ac delicatus, hinc ad respirationem non est idoneus. Vera hæc esse & comperta, declararunt illi, qui montis eius fastigium quotannis, stata quædam sacrificia ibi oblaturi diis, conscendebant: qui propterea humectatas quasdam spongias secum sumebant, ut, iis ibi ad nares applicitis, aerem constipare, & sic respirare possent. Hi quoque cùm literas quasdā pulveri illic sparso inscriberent, anno sequenti eas integras & tali forma situque reperiebant, quali erant dum primo inde descenderent. quod sanè minimè fieri potuisset, si venti & pluviæ eò penetrassent.

Olympi serenitas cum corde justi comparatur.

7. Talis ergo est status perfectionis, ad quam jam pervenerunt & ascenderunt illi, qui totalem hanc cum Dei voluntate conformitatem habent. *Nubes excedit Olympus*; &, *Pacem summa tenent.* Tam altè enim hi ascenderunt & evecti sunt, tamque eximiam pacem sunt consecuti, ut nullæ ad eos nubes, nullæ pluviæ, nulli venti pertingant, nullæ etiam aves rapaces cordis illorum pacem & gaudium diripiant & deprædentur.

Lib. 1. de ser. Domini in mõte c. 8. Matt. 5. 9.

Pacifici sunt conformes voluntati divinæ.

8. S. Augustinus super illa Domini verba, *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*, scribens; ideò ait à Christo pacificos beatos & Dei filios vocari, quòd nihil in iis sit, quod divinæ voluntati resistat aut adversetur, sed illi se in omnibus cum ea conforment; perinde ac boni beneque morati filii, qui per omnia patri suo student esse similes, non aliud volentes & nolentes, quam quod pater vult aut non vult. Hoc unum est è spiritualissimis ac primariis vitæ spiritualis punctis.

Conformitas cũ Deo paradisus est. 9. Unde qui eò jam pervenit, ut universa quæ sibi adveniunt, tam magna quàm parva, velut à manu Dei profecta accipiat, inque illis se cum divina eius voluntate conformet, ita ut omnis eius voluptas & gaudium sit ipsum Dei beneplacitum, & sanctissimæ voluntatis illius adimpletio; is, inquam, quendam velut hic in terra paradisum invenit,
Psal. 75. 3. *& factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion*; plenaq;, ut ait S. Bernardus, cum securitate & fiducia cantare poterit illud Sapientis canticum, S. Bernard. in sentent.
Eccli. 24. *In his omnibus requiem quæsivi, & in hereditate Domini morabor*; quia veram requiem, & plenum consummatumque gaudium, quod nemo illi poterit adimere, invenit. *Vt gaudium vestrum sit plenum; & gaudium vestrum nemo tollet à vobis*. Ioan. 16. 22. & 24. Utinam verò omne gaudium nostrum ac delectationem in divinæ voluntatis adimpletione poneremus! utinam voluntas nostra, semper sit illius voluntas; nostrum beneplacitum, illius beneplacitum; ut aliud, Domine, velle, aliud nolle non habeam, quàm quod tu aut vis, aut non vis, & hæc mea sit omnibus in rebus consolatio! Ps. 72. 28. *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Quàm porro animæ meæ bonum & utile foret, hoc modo me Deo coniungi & agglutinari! Quàm etiam essemus beati, si semper ita ei essemus uniti, ut in omnibus quæ vel facimus vel patimur, ad aliud non respiceremus, quàm ut voluntatem Dei adimpleremus, & hoc omne nostrum foret gaudium, omnis voluptas! Hoc est, quod ait Sanctus ille vir: *Cui, inquit, omnia unum sunt, & omnia ad unum trahit, & omnia in uno videt; potest stabilis corde esse, & in Deo pacificus permanere.* A Kempis l. 1. de imit. Christi c. 3.

Caput V.

Amplius declaratur, quod in solo Deo plenum gaudium & consolatio invenitur; & quod in aliqualibet re extra Deum verum habere gaudium non poterit haberi.

Deus stabilis: omne creatum instabile. 1. Qui suum in Deo, & divina eius voluntate gaudium constituunt, in perpetua quadam pace & voluptate vivunt: nam quoniam immobili & solidæ illi voluntatis Dei columnæ innixi sunt; hinc de illa divinæ voluntatis immutabilitate participant, ideoque semper immobiles, firmi, & uno in statu æquabiliter manent. At qui rebus mundanis adhærent, inque iis cor suum & gaudium desideriumque collocaverunt, veram ac durabilem habere pacem nequeunt: quia prout res feruntur, ita feruntur & ipsi, totique ab illis dependent, itaq; illarum mutationibus subjecti sunt. Egregiè id declarat S. Augustin. super illa Davidis verba, *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem*, commentans. In Psal. 7. 15. *Non enim, ait, poterit labor finiri, nisi hoc quisque diligat, quod invito non possit auferri.* Certus esto, te, quamdiu amorem & gaudium non ponis in eo, quod nemo tibi invito auferre potest, semper anxiè laboraturum & obturbandum.

2. De

Lib. 1. c. 7. vita

Exemplum. nil amandum fixe quod auferri à creatis causis potest.

2. De B. P. N. Francisco de Borgia legimus, quòd, cùm corpus Imperatricis defunctæ Granatam conduceret, & plumbeus sarcophagus, cui id inclusum erat, aperiretur, ut vultum demortuæ adeò sui dissimilem, deformem & luridum vidit, ut spectantibus omnibus horrorem incuteret; ita subitò sit immutatus, ut, Deo cor eius per insigne hoc mundi ludibrium illuminante, firmiter apud se sic proposuerit. *Spondeo tibi, Deus meus, me posthac ulli domino non serviturum qui morte queat auferri.* Nos ergo huius viri exemplo, simile nobisque salutare propositum concipiamus, dicentes: Propono, Domine, non affixurum me posthac cor meum ulli rei, quæ mihi per mortem eripi, quæ finem habere, quam mihi quis invito tollere possit. aliter namque verum habere gauoium non poterimus.

Tract. 14. in Ioann.

Quia quod amas, cum perdes, dolebis.

3. *Nam cùm*, inquit Augustinus, *ea diliguntur, quæ possumus contra voluntatem amittere, necesse est ut pro iis miserrimè laboremus.* Est id naturale: neque enim sine dolore relinquitur, quod cum more possidetur: &, quo maior futurus amor est, eo & maior futurus est dolor. Et hoc ipsum alio loco confirmans ait, *Qui vult gaudere de se, tristis erit.* q. d. Si gaudium ac quietem tuam in tali officio, tali munere, tali habitatione, vel alia re simili colloces; hoc tibi Superior gaudium facili negotio tollere potest; itaque nunquam in gaudio, nec contentus vives.

Vel res mutantur, vel tu mutaris.

4. Si verò in rebus tibi placentibus, & in voluntatis propriæ adimpletione gaudium constituas, verum id non erit; quia illæ facilè mutantur: &, ut hæ non mutarentur, tu tamen ipse cum tempore mutaris: quod enim hodie tibi placet & arridet, cras displicet & desipit. Videre hoc est in populo Israelitico; qui cum manna panem illum cælicum haberent, ilicò super eo nauseantes, alium cibum appetiverunt: cumque jam in optatam libertatem asserti essent, statim servitutem libertati præferre, & ad Ægyptum, è qua venerant, & ad allia ac cepas, quas ibi aliàs comederant, aspirare cœperunt, quin imò sæpiùs eodem reverti desiderarunt. *Exod. 16.*

Mutatis cæteris Deus nō mutatur.

4. Nunquam ergo verè gaudebis, si in id genus rebus gaudium colloces. *Qui autem de Deo vult gaudere, semper gaudebit, quia Deus sempiternus est.* Qui, inquam, omne suum gaudium in Deo, inque divinæ voluntatis eius adimpletione ponit, is in perpetuo quodam vivet gaudio: quia Deus æternus est, nunquam mutatur, at semper stabilis uno in statu permanet. *Si ergo vis habere gaudium sempiternum,* inquit rem concludens idem sanctus Præsul, & perpetuum; *adhære illi*, Deo inquam, *qui sempiternus est.*

Stultus ut luna, justus ut sol. *Eccl. 27. 12.*

5. Hoc inter hominem stultum, & sapientem ac sanctum, Spiritus sanctus discrimen statuit. *Stultus*, inquit, *sicut luna*, hodie crescens & corniculans, & cras decrescens, *mutatur*; hodie quippe illum videbis lætum, cras tristem; modo ita dispositum & affectum, modò aliter: eò quòd amorem & gaudium suum in mutabilibus & perituris mundi rebus constituit.

stituit. hinc, prout illæ, sic & ipse variat, & secundùm illarum successum mutatur: denique sicut mare, ita ipse ad lunam crescit & decrescit; itáque lunaticus est vices alternans. at *homo sanctus* & justus *in sapientia manet sicut* sol; nimirum semper unus idemque, & in uno statu, ut nullum in eo incrementum notes, vel decrementum. Verus Dei servus semper hilari lætoque est vultu, quia in Deo, inque sanctissimæ voluntatis eius adimpletione gaudium suum collocavit: quod deficere nequit, quodque ab eo nemo auferre potest.

Exemplũ semper læti, quoniã Christum nemo tollit ab invito.

6. Sanctus ille Abbas Deicola semper ridenti ore fuisse scribitur. causam risus rogatus, respondebat, *Christum à me tollere nemo potest, quicunque in me casus venerit, & qualibet in caput meum adversitas.* Verum, scilicet, ille gaudium invenerat; quia in eo qui deficere non poterat, & quem ei nemo auferre valebat, id posuerat. Hoc imitemur & nos. S. Basilius in hæc Psaltæ verba; *Exultate justi in Domino,* scribens, *Non ait*, inquit, *Propheta, Exultate in abundantia rerum temporalium, non, quòd habili sitis ingenio, singulari scientia, aliisq; naturæ dotibus instructi; non, quòd optima sitis corporis valetudine; non, quòd Herculeis polleatis viribus; non, quòd ab hominibus magnifiatis, aut illustre apud eos nomen obtineatis, sed Exultate in Domino; id est, omne vestrum gaudium in Deo, & sanctissimæ voluntatis eius adimpletione constituite. hæc enim sola satiat; reliqua omnia nec satiare, nec mentem explere valent, nec verum gaudium adferre.* S. Bernardus in homilia quadam super illa Apostoli Petri verba, *Ecce nos reliquimus omnia,* &c. egregiè idipsum declarat, & probat. Inter alia ait, *Anima rationalis cæteris omnibus occupari potest, repleri omnino non potest.* Reliqua enim omnia, uno Deo excepto, famem quidem hominis provocare & excitare valent, cor tamẽ neutiquam satiare. Nam uti *avarus*, teste Sapiente, *nõ impletur pecunia*; sed quo plus auri adeptus fuerit, eo minùs satiabitur; ita nec reliqua omnia, quæ in mundo sunt, animam & cor nostrum valent saturare.

S. Basil. Psal. 12. 1.

S. Bernar.

Matt. 19. 27.

Eccles. 5. 9.

Quare creaturæ mentem non satiant.

7. Cuius rei rationem Bernardus dans, Nosti, inquit, cur divitiæ & quælibet mundi res te satiare nequeant? *Quia non sunt naturales* & proportionati *animæ cibi*: Sicut aer, & ventus, non sunt naturalis & proportionatus corporis nostri cibus: & ipse rideres, ac velut stolidum duceres, si quem fame propè emortuum, ore patulo videres aerem, chamæleontis instar, captare, ratum hoc se pacto satiari ac pasci posse: ita non minor, inquit Bernardus, stultitia est, cogitare rationalem hominis animam (quæ spiritus quidam est) rebus temporalibus & sensualibus posse satiari: utpote quæ *inflari aere*, uti stultus ille, *potest, satiari non potest*: neque enim ille eius est cibus.

Tract. de dilig. Deo c. 3. in fin.

Panis mentis est justitia.

8. Suum cuique tribue cibum & alimentum proportionatum, corpori quidem corporale, spiritui spirituale *Panis namque animæ*, naturalisque & proportionatus eius cibus, *justitia est* & virtus; hinc *soli beati futuri sunt, qui esuriunt* & sitiunt *illam, quoniam ipsi saturabuntur.* Rationem hanc in

Bern. in per illa verba: Ecce nos reliquimus omnia.

Soli-

Soliloquiis suis uberiùs declarans S. Augustinus, de anima rationali sic loquitur: *Facta est* (anima rationalis) *capax, Domine Maiestatis tuæ, ut à te solo, & à nullo alio posit impleri.*

c.30. Soliloq.

Simile. Circulus triangulum non implet, nec mundus cor.

9. Cùm annuli concavitas & pala, ad gemmæ alicuius pretiosæ illi includendæ proportionem efformata est, si quam aliam illi rem inseris, nulla scitè illi quadrat, nec vacuum hoc cum decore adimplet; sed tantùm gemma illa, ad cuius dimensionem proportionemque id effictum est: si verò concavum illud triangulare sit, nihil quod rotundum est, illud replere potest. Cùm porro anima nostra ad Sanctissimæ Trinitatis imaginem ac similitudinem creata sit, quoddamque illa vacuum ac concavum in corde nostro habeat, quod & Dei capax, & ad ipsum Deum in se includendum proportionatum sit; hinc nulla res creata vacuum hoc replere potest, sed solus Deus; nec etiam totus mundus, qui circulari forma est, illud adimplere valebit. *Fecisti*, inquit idem Augustinus, *nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum*, & recreari reficique nequit, *donec requiescat in te.*

Confess. lib.1.c.1.

Simile.

10. Communis illa comparatio, quæ à cuspide & acu magnetica in horologio portatili, sumi solet, egregiè hoc quod intendimus, explicat. Acûs huius natura est, postquam ad magnetem affricta est, semper ad Septentrionem vergere uno extremo, altero ad Austrum, cardines Mundi immobiles. hanc quippe naturalem inclinationem magneti Deus indidit. Hanc ergo acum si contempleris, tam diu inquietam videbis motitari, & identidem verti ac converti, donec ad Septentrionem acies vergat: tum demùm quiescere & subsistere, illi mos est. Sic & hominem Deus condidit, hanc, inquam, naturalem inclinationem illi indidit, ut ad ipsum, velut ad suam cardinem & finem ultimum, semper respiciat; quocirca, quamdiu cor nostrum in Deo non posuerimus, tam diu, instar acus nauticæ, inquieti & mobiles erimus. Ad quamcunq; mobilium cœli partium nautica acus sese obvertat, non conquiescit, ubi verò illud cœli punctum quod minimè movetur, respectat, fixa manet & immobilis: ita quamdiu oculos & cor in rebus huius mundi, interitui & mutationi obnoxiis collocabis, tam diu quietem & gaudium non invenies: at in Deo pone, & quietem nancisceris.

Magnes quærit cœli partem immobilem, nos Deum.

11. Hæc nos ad quærendum Deum plurimum permovere deberent: & si non ob aliud, certè ob propriam utilitatem nostram & commodum: nemo quippe est, qui non in gaudio & quiete vivere velit. Unde S. Augustinus: *Scimus, fratres, quòd omnis homo gaudere desiderat*, ac recreationẽ naturaliter quærit, & ipsam quantum potest procurat, quòd sine ea vivere nequeat; *sed non omnes ibi quærunt gaudium, ubi oportet inquiri.* Avarus, carnalis, superbus, ambitiosus & gulosus, gaudium & voluptatem quidẽ pro se quisque desiderant; sed id unus in multis opibus congerendis, alius in honoribus ac dignitatibus acquirendis, alius in cibo potuque, alius denique in obscœnis fœdisque volupta-

Omnes gaudium quęrunt, sed ubi non est.

Serm 30. de sanctis, qui est in appendi. 80.

tibus suis constituit, quod quia non constituerunt in eo, in quo constitui oportebat, ideo id nullo modo invenerunt. Omnia siquidem hæc, & quidquid demum mundus habet, impar & insufficiens est animæ exsatiandæ, aut solido gaudio illi afferendo.

12. Unde idem Doctor concludit; *Quid ergo per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ, & corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit*; Deum inquam; *desidera simplex bonum, quod est omne bonum, & satis est*; eundem inquam Deum: ipse enim est qui desiderium cordis tui adimplere & satiare potest. *Benedic anima mea Domino, qui replet in bonis desiderium tuum*: cui propterea sit benedictio, laus, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

De spiri. & anima. c. 54.

Ps. 102. 5.

Caput VI.

Alia quadam ratione ostenditur, ipsam cum Dei voluntate concordiam, medium esse ad verum gaudium habendum.

1. Gloriosus Doctor Augustinus super illa Salvatoris verba, *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam*; scribens, ostendit, hominem non debere pacem & quietem quærere, voluntatem suam faciendo, suæque stolidæ cupiditati obsequendo (hoc enim ei nec bonum est, neque conveniens; imò fortasse, malum futurum) sed simpliciter ei bono vel meliori se accommodando, quod illi Deus offert: atque hoc illi à Deo petendum esse. *Quando enim nos delectant mala, & non delectant bona; rogare debemus potiùs Deum, ut delectent bona, quàm ut concedantur mala.* Si enim volupe tibi non sit, adimpleri Dei voluntatem (quod tamen bonum est) sed velis ut tua potius voluntas adimpleatur; seriò orare Deum debes, non ut tibi concedat quæ ipse desideras, sed potiùs ut ex animo gaudeas, quòd sanctissima voluntas eius fiat: quod bonum est, & tibi conveniens.

Tract. 75. sup. Ioan. Ioan. 14. 15.

Voluntatis suæ sequela nó invenitur pax.

2. Huius occasione, adfert in exemplum id quod in Numeris legimus: cùm Israelitæ super manna cœlesti, quod Deus ipsis pluebat, nauseantes, carnes desiderarent & peterent; ipsorum desiderium adimplevit quidem Deus, sed insigni illorum cum dispendio. *Quia adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorũ, & electos Israel impedivit*, plurimis eorum interfectis.

Num. 11. 4. Exemplum. Sæpè malum nos à Deo exaudiri.

Ps. 77. 30.

3. Certum est, cibum illum cœlestem sapidiorem longè fuisse carne, quam concupiscebant, & aliis ac cepa Ægypti, ad quæ avidè anhelabant: unde hæc eos petere, inquit Augustinus, à Deo non oportebat, sed, ut palatum ipsis sanaret, quò cœlestis hæc esca meliùs ipsis saperet, ex eoq; gustum perciperent; itaque necesse non haberent aliam escam postulare, quòd in manna omne delectamentũ, & quoscunque sapores invenirent. Simili modo, cùm à tentatione vel passione aliqua oppugnaris, & proinde gustum vitiatum habes, ita ut virtus ac bonum omne tibi desipiat, sed, ægri-

Palati, non cibi mutatio orari debuisset.

Sap. 16. 20.

ægrientis instar, mala & noxia tibi appetas; tunc tuum sequi non debes appetitum, nec velle ut id quod desideras, adimpleatur: quia hoc non gaudium tibi, sed maiorem postea animi dolorem, inquietudinem, & perturbationem adferet. Deum ergo roga, ut palatum tuum persanet, faciatque ut sanctissimæ voluntatis suæ adimpletio tibi sapiat: hoc quippe bonum tibi, & maximè consentaneum est. Atque hac demum via veram animi pacem & gaudium consequeris.

Doctri. 9. Voluntas eius qui Deo consentit, semper impletur.

4. S. Dorotheus ad hoc alia nos via conducit, vel, ut meliùs dicam, illud ipsum alio modo declarat. Ait itaq;, eum qui suam in omnibus cum Dei voluntate voluntatem conformat, adeò ut aliud velle & nolle habeat, quàm quod Deus vult, & non vult; hoc modo suam ipsius voluntatem semper facturum, ac semper magnam pacem & quietem habiturum. Ponamus exemplum in obedientia, itaque probatum & declaratum manebit quod intendimus, & una fidelia duos dealbabimus parietes. Communiter, Religionem & obedientiæ viam ingredi volentibus dicere, præmonendo solemus: *Noris, carissime, non esse tibi hîc in Religione ulla in re voluntatem propriam faciendam.* S. Doroth. contrà dicit: *Imò verò, benè potes propriam voluntatem facere; simul tibi quoddam medium suggeram, cuius ope toto die non licitè solùm, sed & sanctè, & magna cum perfectione volutatem tuam facias. Scis quo pacto? Religiosus qui exactè obedit, & propriam non habet voluntatem, suam ipsius semper agit voluntatem, quia voluntatem alienam facit suam, & sic nolentes propriam explere voluntatem, inveniemur illam semper explevisse.* Da ergo operam, ut tua voluntas non sit alia, quam voluntas Superioris: atq; ita tota die tuam ipsius voluntatem facies, & quidem magna cum perfectione & merito.

Exempla practica.

5. Sic enim dormio quantum volo; quia diutiùs nolo dormire, quàm est ab obedientia & statuto Superiorum injunctum. Comedo item quod volo, quia alia comedere nolo, quàm mihi præbentur. Tantum quoque oro & lego, quantum volo; ea negotia obeo, eas pœnitentias subeo, quas volo; quia in his omnibus aliud non cupio, quàm quod per Superiores mihi præscriptum & decretum est. Atque ita de reliquis omnibus. Bonus ergo Religiosus; suam nolens agere voluntatem, eam semper facit; & idcirco, boni Religiosi, semper tam læti sunt & hilares: nam quòd suam voluntatem faciant illam quæ Superioris est, hoc mirè ipsos recreat & delectat.

Omne Religiosi gaudium in voluntatis abdicatione consistit.

6. In hoc puncto tota Religionis facilitas vel difficultas sita est, ab hoc item omnis Religiosorum lætitia & gaudium dependet. Si enim voluntatem propriam abdicare proponas, & Superioris voluntatem in tuam accipias; Religio tibi cùm facillima, tum suavissima fiet, magnaque in pace & quiete deges. At, si tua à Superioris voluntate discreper, in Religione non permanebis: nam duæ voluntates differentes, in uno se invicem non compatiuntur.

7. Ve-

Appetitus volūtati resistens pacē tollit, quid fiet si voluntas voluntati resistat?

7. Verum quidem est, quod non nisi unam voluntatem habeamus, quia tamen simul sensitivum appetitum possidemus, qui voluntati ac rationi repugnat; hinc nobis cum illo perpetuò certandum, etsi alioquin ille nostra voluntate inferior sit, eique subordinatus: quid erit ergo, cùm duæ voluntates repugnantes, & dominatum ambæ ambientes, in uno subjecto concurrent? *Nemo* quippe *potest duobus dominis servire.*

Mat.6.24

Religionem non statuta, sed volūtatis repugnantia, difficilē reddit.

8. Jam verò Religionis difficultas, non tam in rebus ac laboribus in ea occurrentibus, quàm in voluntatis repugnantia, & imaginationis nostræ perversione sita est: hæc quippe eius statuta nobis reddit gravia & difficilia. Oppido est id maximeque notandum, primò ob notabilem illam differentiam, quam in nobis experimur, deinde ob tempus, quo aut tentationibus pulsamur, aut iis caremus: quia, dum iis caremus, omnia nobis facilia sunt ac levia; at, ubi tentatio adveniens, tristitiâ nos & melancholiâ obruit, quod aliâs nobis leve & facile esse apparebat, fit grave, difficile, & onerosum, ut ei ferendo non videamur, tanquam si cœlum terræ junctum cervicibus nostris incumberet. Difficultas ergo nō est in ipsa re, cùm sit eadem planè quæ erat antè, sed in mala tua dispositione: sicut, dum æger cibum omnem respuit, vitium non tam in cibo, qui bonus & sapidus est, & benè condîtus, quàm in vitiato ægri humore consistit, utpote quo fit, ut cibus omnis ei insipidus & insulsus videatur; pari planè modo se res habet hîc.

Itē Tentatio.

Beneficium vocationis alleviat onus religionis.

9. Hæc est prærogativa & gratia, quam Deus facit iis quos ad Religionem vocat, ut, nimirum, suave & sapidum illis videatur, alienæ voluntati se subjicere. Hæc est gratia vocationis, qua nos Dominus, præ aliis fratribus nostris in mundo manentibus, prævenit. Quis tibi hanc in voluntate propria repudianda, alienaq; sequenda facilitatem dedit? Quis cor novum, ad ea quæ mundi sunt deserenda, & solitariæ recollectionis, orationis, mortificationisq; amorem concipiendum, indidit? Non id tibi innatum est; quin imò aliter à natura factus es: *sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Sed gratia & donum Spiritus sancti est.

Gen.8.21.

Deus reddit dulcē obedientiam, & mundum amarum.

10. Ipse siquidem, ceu pia quædam mater, aloe & absinthio affuso ubera mundi huius tibi amaricavit, ut quod antè dulce videbatur, jam felle amarius appareat; quæ verò ad virtutem & Religionem spectant, melle suavissimo oblevit, ut illa tibi sapida & dulcia fierent, quæ antè amara & insipida videbantur. Unde sic olim sancta Agatha virgo orabat, *Domine, qui me custodisti ab infantia, qui abstulisti à me amorem sæculi, infinitas tibi gratias ago.* Neque enim magnum quid facimus in eo quod Religiosi sumus; sed singularis & magna nimis illa Domini in nos est gratia, quòd cæteris nonnisi allia & cepas Ægyptias comedentibus, iisque se oblectantibus, nos ad Religionem vocarit, effeceritque ut ibi manna cœlesti pascamur.

Ambros. Ps.118. serm 4. super illud: Averte oculos meos ne videant.

11. Equi-

Mundani se ob vilem spē alienæ voluntati subjiciunt.

11. Equidem nonnunquam apud memetipsum considero, quomodo mundani, solo quæstu & proprio cōmodo illecti, suam voluntatem prorsus abdicent, & ad alienam se accommodent; idque jam inde à Magnate lateri Regis adstante, usque ad vilissimum pedissequum & mulionem. *Comedunt* (ut vulgò dicitur) *juxta famem alienam; dormiunt juxta somnum alienum*: quin ita ad hoc edocti & formati sunt, itaque suam alienæ voluntati adaptarunt, ut hoc vitæ genus etiam illis arrideat, ipsumque jucundũ & suave existiment: *& illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.*

1.Cor.9.25.

Quanto justius Religiosi voluntati Dei.

12. Non est ergo mirum, tam ordinatum vitæ genus, qualis est vita Religiosa, nobis sapere, & nos Superioris voluntatem habere ceu propriam, quæ nostrâ est melior. Si illi ob modicum honorem, ac aliquod temporale compendium, voluntatem alienam ita ducant suam, ut in omnibus ei exactè auscultare, & de noctibus dies, de diebus noctes facere, ipsis dulce videatur; quid mirum nos id ex puro amore Dei, & spe vitæ æternæ facere? Voluntatem ergo Superioris ut propriam ducamus, atque ita fiet, ut semper nostrâ facturi simus, summaque quiete, gaudio, pace, in Religione perfruituri, & hoc nostrum gaudium mirè futurum sit spirituale.

Conformis voluntati divinæ, est omnipotens, seu semper efficit quæ lubent.

13. Jam, ad præstitutum nobis scopum redeamus, & proposito hæc nostro adaptemus. Faciamus, inquã, voluntatem nostram eam quæ Dei est, ut omnibus in rebus ei nos conformemus, nec aliud velle & nolle habeamus, quàm quod Deus & vult, & non vult. Ita fiet, ut semper nostrã simus voluntatem expleturi, & magno in gaudio & jucunditate suavissimè victuri. Certum quippe est, si aliud non velis, quàm quod Deus vult, voluntatem tuam impletum iri; quia sic adimplebitur divina; atque hoc est, quod tu cupis & desideras. Etiam Gentilis Seneca hoc vidit, unde scripsit *Præcipuum hominis est, posse læto animo adversa* & gravia *tolerare; quidquid acciderit, sic ferre, quasi sibi voluerit accidere: debet enim velle, sciens omnia ex decreto Dei fieri.* Hem, quàm contenti lætique viveremus, si Dei voluntatem, faceremus nostram, & aliud non vellemus, quàm quod ille vult! non tantùm, quia sic semper voluntas nostra compleretur; sed magis, quia hoc pacto Dei, quem tantopere amamus, voluntatem compleri & fieri videremus.

In præfat. lib.3. nat. quæst.

Gaudendum in sola adimpletione voluntatis Dei.

14. Etsi enim omnia quæ hactenus dicta sunt, observare debeamus, in hoc tamen potissimùm nobis sistendum est, & omne gaudium collocandum; nimirum in Dei beneplacito, & sanctissimæ ac divinæ eius voluntatis adimpletione. *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis*; quin & faciet quæcunque volet; & quidquid voluerit, facere potest. Nã, sicut ait Sapiens, *Subest illi, cùm voluerit, posse*; & nemo eum, quo minùs queat, potest impedire vel resistere: *In ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati. Voluntati eius quis resistet?*

Psa.34.6. *Sap.12.8.* *Esther 13.9.* *Rom.9.19*

Caput VII.

De aliis bonis & commodis, in hac cum voluntate Dei concordia sitis.

Resignatio est optima dispositio ad gratiã obtinendam.

1. Est & aliud non exiguum, in hoc exercitio bonum & commodum, nimirum, hanc consonantiam & conformitatem, ac totalem in Deo voluntatem resignationem, unam esse de melioribus & principalioribus, quas à parte quidem nostra adferre possimus, dispositionibus, ut suas dominus gratias nobis infundat, omnigenisque nos bonis repleat.

Exempla

2. Hinc, cùm Paulum de persecutore prædicatorem & Apostolum suum facere voluit, per hanc potissimùm dispositionem illum prævenit ac disposuit: Magnam enim de cœlo lucem submisit, quæ eum ex equo dejecit, animæ oculos aperuit, ac dicere coëgit, *Domine quid me vis facere?* (*Act. 9. 6.*) q. d. Ecce me, Domine, velut pauxillum luti in manibus tuis, ut ex eo quod luberit, facias. Atque ita eum Deus fecit *vas electionis, ut portaret nomen suum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Israel.* (*Act. 9. 15.*) S. Virgini Gertrudi legitur Deus dixisse aliquando: *Quicumque me liberè apud se divertere, & in corde suo habitationem figere vult; ita mihi propriæ voluntatis clavem tradere debet, ut eam dèin ampliùs à me non repetat.* (*Blosius c. 11. Monil. spir.*)

Docet id S. Ignatius. *In lib Exercitior.*

3. Idcirco hanc nobis S.P.N. resignationem & indifferentiam assignat, ceu primariam dispositionem ad magnas à Deo opt. max. gratias recipiendas; nam ait eum qui spiritus exercitia obire velit magno ac liberali in creatorem suum animo debere accedere, resignando sese in eius arbitrium. Et hoc fundamentum est, quod in eorum initio nobis suggerit; ut nimirum, planè indifferentes simus, & affectum ab omnibus rebus mundi huius divellamus, non magis in hanc, quàm illam inclinati; sed solùm desideremus, ut in omni re Dei in nobis voluntas fiat & adimpleatur. En in quinta Regula vel Annotatione, quas ad maiorem tum Exercitia præbentis, tum obeuntis, utilitatem præscribit, sic ait: *Mirum in modum juvatur qui suscepit exercitia, si magno animo atque liberali accedens, totum studium, atque arbitrium suum, offerat suo creatori, ut de se suisq; omnibus id statuat, in quo ipsi potissimùm servire posit.*

Quare indifferentia, ita commendetur.

4. Ratio autem, cur hoc tam magna dispositio, & efficax ad gratias à Domino recipiendas medium sit, est duplex: *Primò*, quòd per hanc indifferentiam omnia tollantur impedimenta & obstacula, quæ à pravis nostris affectibus & desideriis objici possent. *Deinde*, quia, quo magis Deo quis nititur, totum se in eius manus resignando, & aliud non volendo, quàm quod ipse vult, eo etiam magis Deum obstringit ad curam sui sumendam, & sibi de omni eo quod consentaneum est, providendum.

Indifferentia est magnum instrumentum virtutum.

5. Hæc cum Dei voluntate concordia, etiam alia ex parte & via, efficacissimum est medium, ad omnes virtutes acquirendas. Hæ enim per actuum suorum exercitiorum optinentur: hic quippe naturalis est modus.

dus ad earum habitus consequendos. Unde etiam Deus hoc modo virtutem nobis dare vult, quia opera gratiæ ad imitationem & similitudinem operum naturæ operari vult. In hac ergo resignatione & cum Dei voluntate consensu identidem te exerce, & hoc pacto pariter in omnibus virtutibus te exercebis, itaque earum compos fies. Modò namque occurrent occasiones humilitatis, aliàs obedientiæ, modò paupertatis, modò patientiæ; atque ita de reliquis virtutibus. Quo autem de magis in hac resignatione, & cum Dei voluntate consonantia exercebis, inque ea magis cresces ac proficies; eo etiam magis in reliquis virtutibus cresces ac

Eccli. 2. 3.

perfectior fies. Dicit Sapiens, *Coniungere Deo*, vel, ut alia versio præfert, *conglutinare Deo*, id est, in omni re cum illius voluntate consenti; *& sustine, ut crescat in novissimo vita tua.*

Tract. 5. c. 14. & 15.

Inter Potentiales virtutes est Resignatio. Ideoque valde ei studendum.

6. Hanc ob rem vitæ spiritualis magistri consulunt (& sanè saluberrimum id consilium est) ut in unam virtutem principem, quæ reliquas in se includat, oculos conjiciamus, & hanc potissimùm in oratione præ oculis habeamus, ad hanc denique examen & omnia pietatis exercitia dirigamus. Oculis namque in rem unam conjectis, longè faciliùs eam adipiscemur, & illâ adeptâ, etiam reliquas facili negotio consequemur. Inter reliquas autem virtutes, in quas ad hunc effectum oculos defigere possumus, est hæc nostri resignatio, & totalis cũ Dei voluntate conformitas. Quamobrem non malè huic orationem, & examen singillatim dedicabis; etsi alioquin multi anni, quin & vita ipsa tota, in illam unam esset insumenda: hanc namque si consequamur, virtutes omnes eâdem operâ consequemur.

Act. 9. 5.

Serm. 1. de convers. S. Pauli.

Praxis exercendæ resignationis.

7. S. Bernardus in illa Apostoli Pauli verba, *Domine quid me vis facere?* scribens, exclamat, *O verbum breve, sed plenum, sed vivum, sed efficax, sed dignum omni acceptione! Domine quid me vis facere?* Si ergo breve & compendiosum, ad perfectionem assequendã documentum cupis, semper cum Apostolo dicito, *Domine quid me vis facere?* Et cum Propheta, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Paratus, inquam, sum & dispositus, ad omnia quæ de me disponere dignatus eris. Hoc semper in ore & corde habe, & quantum in eo cresces, tantum & in perfectione proficies.

Psa. 56. 8. Ps. 107. 1.

Resignatio sui est potens Clypeus contra tentationes quasdam subtiles, perplexitatis.

8. Provenit & alia ex hoc exercitio utilitas & fructus, scilicet, præsentissimum inde nos elicere posse remedium, adversus certum quoddam tentationum genus non rarò solitarum occurrere. Diabolus enim subinde nos cogitationibus quibusdam conditionalibus, & incertis interrogatiunculis perturbare & inquietare solet; v. g. Si tibi quis hoc vel illud diceret, quid responderes? si hoc vel tibi contingeret, quid faceres? hoc in casu quomodo te gereres? Et, quoniam ipse subtilissimus ac vaferrimus est, hinc ita nobis rem illam repræsentat, ut, quacumque ex parte eam intueamur & capiamus, periculum appareat, & salui inde emergere non posse videamur; quòd utralibet ex parte laqueus occurrat. Parum enim

curat, verumne, an tantùm apparens, an etiam fictum sit, quo decipit: modò rem suam agat, modò inquam, hominem ad aliquem cōsensum malum pertrahat, parum laborat hacne nos machina sternat, an illa.

Consiliū cōtra perplexitates, primum est non respondere.

9. Docemur communiter, in id genus tentationibus non teneri nos respondere, *ita*, vel *non*; sed longè meliùs facturos, si planè non respondeamus: quod in scrupulosis potissimùm locum habet. Si enim hi cum diabolo disceptare, eum interrogare, ac respondere incipiant, se periculo exponunt; & ille aliud nihil spectat: nam non deerit ei, quod replicando objiciat, adeò ut, quamvis etiā quodammodo victores hoc è conflictu decesserint, cerebrum tamen suum læsuri sint.

Aliud cōsilium & melius, respondere se facturos quod volet Deus.

10. Equidem contra hasce tentationes bonum quemdam & utilem respondendi modum invenio: & hoc modo qui respondebit, meliùs facere censeo, quàm qui prorsus nihil respondet, & hoc est, quod hîc dicimus. Ad harum ergo quaslibet sic, oculis clausis, respondere quis potest: *Si hoc Dei voluntas est, est & mea: Si Deus id ita velit, & ego volo: Ego in hoc vellem, quod vellet Deus: In omnibus me resigno in voluntatem Dei: In hoc facerem, quod muneris mei foret: Quid sim olim facturus nescio; scio autem quod Dominus mihi gratiam dabit, ne in illo eum offenderem, sed ut facerem quod eius esset voluntas.* Et hæc, generalis quædam responsio, quæ ad interrogata singula optimè quadrat, & in genere sic accepta, nullam difficultatem habet, sed magnam potiùs facilitatem. Si enim id Dei voluntas sit, bonum est: si Dei voluntas sit, melius est: si Dei voluntas sit, animæ meæ conveniens est. Tutò ergo & confidenter in Dei voluntatem resignare nos possumus, & illa omnia dicere. Hoc porrò pacto dæmon valdè manebit confusus & delusus; nos verò per obtentam de eo victoriam mirè gaudebimus & animabimur.

Dæmonis acuta.

Tentationi contra fidem in genere respondendum.

11. Porro, sicut in tentationibus circa fidem consulitur, ut ad eas sigillatim diabolo non respondeatur, maximè ab iis qui scrupulosi sunt; sed in genere tantùm dicamus, *Ego credo & profiteor quidquid credit & profitetur sancta mater Ecclesia*: ita in id genus tentationibus singulare remedium est, in particulari ad eas nihil respondere, sed in voluntatem Dei, quæ summè bona & perfecta est, nos resignare.

Caput VIII.

Exemplis aliquot confirmatur, quantopere Deo hoc conformitatis voluntatis nostræ cum divina exercitium placeat, & quanta in eo sita sit perfectio.

Exempl. I. Lib. 10. Dial. c. 6.

I. Quodam in monasterio tantę sanctitatis monachum fuisse scribit Cæsarius, & cui tam eximiam miraculorum patrandorum gratiam Dominus contulerat, ut vel solo vestium, & cinguli quo cingebatur, contactu ægris sanitatem redderet. Quod cùm Abbas eius attentè consideraret, nihil tamen in eius vivendi modo singulare, vel quod illustris sanctitatis argumentum foret, adver-

adverteret; eum ad se evocatum tantorum per eum factorum miraculorum causam rogavit. Tum ille, quasi ignoraret eam, ait: *non amplius jejuno quàm reliqui, non plura flagella subeo, non graviores austeritates usurpo, non diutiùs orationi insisto, non diligentiùs laboro, non deniq; vigilo magis quàm cateri. Vnum hoc certò asseverare possum, me nec prosperis extolli, nec adversis deiici; & nulla re, quacumque eveniat, turbari vel inquietari. Adhac, anima mea in quolibet rerum successu, qualiscunque is demum sit, eamdem pacem & quietem prafert, sive ea propriè ad me, sive etiam ad alios spectent.* Petiit dein Abbas, Sed numquid aliquo modo turbabaris aut commovebaris tum, cùm nuper nobilis ille, noster adversarius, ignem in horreum nostrum injecit, à quo absumptum est? *Nullo modo,* inquit, *nullamq; in anima inde turbationem sensi; quia omnia in manus Dei consignavi; hinc tam prospera quàm adversa, tam modica quàm multa, velut à Dei manu venientia, aquali cum gratiarum actione recipio.* Ac tum Abbas agnovit, hanc æquabilitatem animi, unicam virtutis huius thaumaturgicæ causam & fontem fuisse, & dignum virum, cuius voluntatem faceret Deus, quando adeo faciebat ipse voluntatem Dei.

Exempl. 1. *Lib.10. Dial.c.6.*

2. Exemplum. *Blosius in appēd. ad instit. spirit. c.1. in fine.*

2. Theologus quidam cùm magnæ perfectionis mendicum interrogaret, quâ demum via ad hanc perfectionem pervenisset, hoc ex eo responsum accepit: *Studui semper divina inhærere voluntati, & ei meam ita conformare, ut quod Deus vult, id velim & ego. Quando enim me fames premit, aut frigus vexat, Deum laudo: si serena sit aura, si procellosa & turbinosa aquè Deum laudo: quidquid demum ipse mihi dat, quidquid evenire permittit, tam prosperum quàm adversum, dulce aquè & amarum, magna quadam mentis serenitate, à manu eius velut rem optimam, recipio, humiliter me in eius manus resignando. Nullam quoque quietem & consolationem umquam invenire potui in re, qua non sit Deus: & jam, cum Deum meum inveni, veram in eo quietem & pacem aternam possideo.*

Sanctus mendicus ob resignatione sempèr lætus.

3. Sancta quædam virgo, interrogata quomodo ad tantam perfectionem venisset? sic respondisse fertur: *Omnia adversa, arumnas, mala, qua mihi unquam acciderunt, semper magna animi aquitate suscepi, velut à manu Dei mihi submissa. Quin etiam, si quis mihi inferret injuriam, aut molestia afficeret hanc illi particulari quodam beneficio collato compensare procurabam. Nulli quoque sum mala & calamitates, quas patiebar, conquesta; sed ad Deum dumtaxat recurrebam, à quo etiam quamprimùm iis ferendis robur & consolationem aliquam accipiebam.*

3. Exemplum. *Blosius ubi sup. & cap. 10. Monili spirit.*

4. Aliam quoque virginem, eximiæ sanctitatis, rogatam quibus exercitiis tantam esset perfectionem adepta, magna humilitate respondisse idem author testatur: *Nunquam tam graves habui afflictiones aut arumnas, quin semper maiores & graviores pro amore Dei pati expetierim, quòd illas ceu singularia eius dona acciperem, neq; iis etiam indignam existimarem.*

4. Exemplum.

5. Ancillam quandam Dei, mirè in eius manus resignatam multi (ut commemorat Taulerus) rogabant,

5. Exemplum. *Serm.1. de circumcisione.*

ut sua negotia in Deo in oratione commendaret. Quibus illa id se libenter facturam pollicebatur, interdum tamen ex oblivione id non faciebat. Nihilominus quicquid à Domino petebat, plerumque ex voto commendantium eveniebat. Unde cùm passim illi propterea gratias agerent, quasi eius oratione & precibus petita impetrassent; ipsa erubescens, monebat ut Deo datori omniũ potiùs gratias agerent, se enim à parte sua huc nihil contulisse. Unde cùm multi eam ob causam ad ipsam confluerent, ipsa amoroso quodam modo cum Domino expostulavit; cur, nimirum, quæcunque sibi commendarentur negotia, ad tam optatum finem conduceret, ut sibi propterea gratiæ agerentur, cùm tamen nihil ipsa huc contulisset. Cui Dominus respondit, *Audi filia, ex quo die tuam mihi resignasti voluntatem, ego vicißim dedi tibi meam: &, esto nihil à me in particulari petas; cùm tamen id te velle intelligo, ita ipsum concedo, sicut ipsa postulare voluisses.*

6. Exemplum. In Vit. Patr. 6. Agricolæ cuiusdam agri & vineæ longè feraciores & uberiores erant, quàm aliorum vicinorum. Causam huius fertilitatis à vicinis rogatus, negavit mirum videri, meliores in suis quàm illorum agris fructus nasci, quòd semper eam aurã & cœli tempestatem haberet, quam optabat. Quo audito, cùm etiam magis mirarentur, percunctati sunt, quomodo hoc fieri posset? Replicat ille, *Nunquam aliam tempestatem volo, quàm vult Deus: & quia ego volo quod Deus vult, eos ipse mihi dat fructus, quos requiro.*

Indifferẽti Deus quicquid vult.

7. S. Martinum Episcopum Severus Sulpitius, (ut in vita eius refert) quàm diu cum eo vixit, nunquam vidit aut iratum, aut tristantem, sed mira semper animi pace & alacritate gaudentem. *Rei huius*, inquit, *causa erat, quòd quidquid illi accideret, velut à manu Dei datum submissumq; accipiebat, itaq; in omnibus magna mentis æquabilitate & jucunditate, cum voluntate eius se conformabat.* 7. Exemplum, Sev. Sul-pitius.

Caput IX.

De aliquibus rebus, quæ hoc conformitatis cùm Dei voluntate exercitium nobis & facile & suave reddent.

1. Ut autem exercitium hoc cõformationis cum voluntate Dei facile nobis ac suave fiat, opus est *primò*, ut, quod initio posuimus, fundamentum semper præ oculis habeamus; nimirum, *nullam nobis adversitatem, vel gravamen accidere & evenire posse, quin per Dei manus transeat,* eoque annuente, decernente, ac volente submittatur. 1. Documentum omnia à Deo evenire. Cap. 1 & 2.

2. Veritatem hanc Redemptor Jesus, non verbo solùm, sed & exemplo suo, nos docuit. Cùm enim in suprema passionis suæ nocte Petro Apostolo præciperet, ut gladium in vaginam conderet, addebat, *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Non dixit, Calicem, quem mihi pararunt Judas, Scribæ & Pharisæi. Sciebat enim, omnes illos nonnisi ministros ac velut pincernas esse, qui sibi propinatum jam dudum à Patre calicem tantùm traderent, &, quod Id docetur exemplo. Ioan. 18. Calicem Christo dedit Pater. Iudæi pincernæ.

quod illi è malitia & mera invidia faciebant, hoc Patrem æternum ex infinita sua bonitate & sapientia, ad generis humani redemptionem ordinasse. Sic & postea Pilato, dicenti potestatem se habere eius, aut cruci affigendi, aut liberi dimittendi, respondit, *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* quod ita sancti interpretes exponunt, *Nisi id ex divina dispositione & ordinatione factum esset.* Adeò ut hæc omnia nonnisi ex Dei decreto destinatoque cœlesti contigerint.

Ioan.19.11 Pilato potestatē dedit Deus. *Chrysost. homil.83. in Ioan. Cyrill. l. 12.c.22. in Ioan. Iren. li.4. cōtra hæreses.c.34. August. tract.16. in Ioan.*

3. Apertè id S. Petrus in Actis Apostolorum declaravit, illud Prophetæ regii oraculum exponens, *Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum eius.* Ait enim: *Convenerunt enim verè in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Iesum, quem unxisti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum Gentibus & populis Israel, facere quæ manus tua & consilium tuum decrevit fieri*, & executioni mandare quod in sanctissimo Trinitatis consistorio jam antè decretum & constitutum erat. Neque enim hi præter destinatum hoc amplius quid facere poterant.

Docetur Testimonio. *Act.4.26. Psal.1.1.*

4. Sic etiam videmus, Deo nolente, *Herodem Regem* cum omni potestate & violentia sua ei adhuc puero vitam eripere non potuisse, & quamvis omnes territorii Bethleemitici pueros à bimatu & infra, interfici juberet, puerum tamen, quem quærebat unum, non potuisse nancisci, quòd sc. is tunc temporis mori nollet. Ipsi quoque *Iudæi ac Pharisæi*, sæpiùs in Christum Dominum manus violentas jacere, eique necem inferre sunt conati. Modò namque eum in supercilium montis, cui civitas ipsorum inædificata erat, duxerunt, ut eum inde deturbarent; *ipse autem*, ut ait Evangelista, *transiens* quietè *per medium illorum ibat.* Quòd enim hoc genus mortis non elegisset, hinc illi eam inferre minimè potuerunt. Aliàs lapides in eum mittere voluerunt, imò jam eò usque res processerat, ut jamjam manibus sublatis eos jacturi viderentur; &, ecce, Dominus conversus, magna eos suavitate & mansuetudine alloqui cæpit & interrogare: *Multa*, ait, *bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* Itaque non permisit id, nec potestatem iis fecit vel manum movendi: *quia nondum venerat hora eius.* At, postquam venisset hora, in qua mortem oppetere decreverat, tum demum illi facere & exequi potuerunt, quidquid Dominus pati constituerat: quia nimirum tunc voluit ipse, & ad hoc illis facultatem dedit. Hinc, cùm ad ipsum in horto comprehendendum venirent, dicebat: *Cùm quotidie vobiscum fuerim in templo, nō extendistis manus in me*, quia nondum venerat hora mea; sed *hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*; quocirca, ecce me coram, *Ego sum.* Quid olim *Saul*, qui fuit horum typus, non fecit? quos non conatus & artes adhibuit, ut Davidem comprehenderet; Rex Israel ut hominem privatum, &, sicut ipsemet David dicit, *ut quærat pulicem unum?* Verum tamen

Item cōtrari Exemplis, Herodis, Iudæorū, Saulis.

Luc.4.30. *Ioan.10.32.* *Ioan.7.30.* *Luc.22.53.* *1.Reg.16.20. & c.24.15.* *1.Reg.25.14.*

tamen adeò eum comprehendere non potuit, ut omnia molimina eius frustra fuerint. Quod Scriptura sacra etiam expressè notat, & hanc rei huius rationem assignat, *Quòd non tradidisset eum Deus in manus eius.* Atque hæc unica frustranei conatus est causa.

Ser. de orat. Dominica. Matt. 6.13

Hinc non est trepidandum.

5. Unde etiam S. Cyprianus super illa verba, *Et ne nos inducas in tentationem*, scribit; omnem timorem, devotionem & attentionem, tentationum & laborum tempore, in Deo nobis esse collocandum: quia nec cacodæmon, nec alius quislibet ullatenus nocere nobis potest, nisi illi Deus ad hoc facultatem priùs concesserit.

2. Documentum.

6. *Secundò*, tametsi veritas hæc benè intellecta cùm maximi momenti, tum non mediocris efficaciæ sit, ad nos in omnibus rebus cum Dei voluntate conformandos; nō tamen hîc nobis sistendum est, ulteriùs ad aliud, quod inde sequitur, & quòd Sancti Patres omnes advertunt, progrediendum; scilicet credere nos debere, *universa quæ nobis Deo permittente eveniunt, simul etiam ad bonum & utilitatem nostram provenire.* Supplicia damnatis in inferno, Deo jubente, infliguntur quidem, non tamen in ipsorum bonum & redemptionem cedunt, sed ipsis quidem ad meram eorum castigationem sine emendatione cæteris tamen viventibus, ad terrorem; & beatis ad solatium diriguntur. At pœnas & mala, quæ hac in vita justis æquè ac scelestis Deus immittit, semper credere debemus, de infinita illa bonitate ac misericor-

Doroth. doctri. 31. Nilus c. 29. de orat. idem dixit Dominus S. Gertrudi, ut refert Blos. c. 11. Menil. spiritual.

dia benè confidentes, ad maius bonū nostrum, quòd istud ad salutem nostram & salvationem magis conveniat, immitti.

Ostenditur idem exemplo.

7. Hoc ipsum Bethuliensibus suis afflictis, & ad extrema, hoste urbem arctissima obsidione premente, redactis, persuadere conata est virago Judith, dicens, *Ad emendationem, & non ad perditionem nostram, flagella hæc Domini evenisse credamus.* Certissimi namque & securissimi esse possumus, voluntatem tam bonam & beneficā (qualis est Dei) quæque ita nos amat, nonnisi quod bonum est, quod melius est, quodque magis nobis congruit, volituram. Quod postea pluribus demonstrabitur.

Iudith, 8. 27.

Cap. 10. & 22.

3. Documentum utile in præsens.

8. *Tertiò*, ut in maiorem adhuc utilitatem isthæc nobis veritas cedat, atque medium hoc fiat ad perfectam quandam cum Dei voluntate consonantiam obtinendam efficacius; *satis nobis esse non debet, speculativè nosse omnia à manu Dei proficisci, atque id in genere & velut rudi modo credere; quòd nimirum fides nobis id dictet, aut quòd ita legerimus, vel audierimus: sed præterea necesse est, fidem hanc opere exequamur & vivam efficiamus, dando videlicet operam, ut etiam practicè id intelligamus & sentiamus: ita ut quidquid nobis accidit, accipiamus, tanquam si Christum Dominum visibiliter ac sensibiliter nobis dicentem audiremus: Accipe fili, hoc ego tibi submitto: voluntas mea est, ut jam hoc facias vel patiaris.* Sic enim perfacile & persuave nobis fiet, omni in re nos cum Dei voluntate unire & conformare. Nam si ipse Christus tibi personaliter apparens, diceret, *hoc est*, fili,

quod

quod à te requiro; hanc adversitatem morbumq́, volo modò propter me patiaris; hoc in officio aut ministerio volo mihi deservias: certum est, te id, quantumlibet grave & laboriosum foret, omnibus etiam vitæ diebus quàm libentissimè toleraturum, teque etiam beatissimum prædicaturum, quòd tua opera Deus hac in re uti vellet, &, ex eo quòd hoc ipse tibi immittat, te facilè perspecturum, id optimum, & saluti tui congruentissimum esse; imò nullo modo de eo dubitaturum, nec primum quidem ad secùs sentiendum tibi motum oriturum.

4. Documentum. In oratione maximè volũtas Deo conformanda.

9. *Quartò*, hoc in exercitio tum potissimum diligenter nos exerceamus oportet, dum orationi insistimus, altissimè in opulentissima illa Dei erga nos providentiæ, tam paternæ, & tam particularis, fodina fodiendo, & ad eius interiora penetrando: sic enim ad hunc tandem thesaurum pertingemus. Quod sequentibus capitibus uberiùs sumus demonstraturi.

Caput X.

De paterna & particulari Dei circa nos providentia, deque filiali fiducia, qua nos vicißim in eum confidere oportet.

Deus erga Fideles admirandà utitur providentia.

1. Inter divitias & thesauros, quos possidemus nos qui fidem rectam habemus, non sanè postremus est providentia Dei erga nos, eaque tam particularis & paterna, certi ut simus, nihil penitus accidere & venire nobis posse, quod per manus Dei ita volentis non transierit ac descenderit. Unde ad hoc propositum canit Psalmistes, *Domine ut scuto validissimo bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Psal.5.15. Ita quippe omni ex parte, bona, Dei clementissimi voluntate circumvallati sumus, nihil ut ad nos accedere, nisi per illam, possit. Quocirca non est quòd timeamus: Etenim nihil ille qua est bonitate, ad nos penetrare & devenire sinet, nisi quod ad maius bonum & utilitatem nostram futurum est. *Quoniam*, ajebat idem Propheta, *abscondit nos in tabernaculo suo, in die malorum protexit nos, in abscondito tabernaculi sui, & sub umbra alarum suarum.* Psa.20.5. Amplius etiam dicit alibi; *Abscondes eos*, inquit, *in abscondito faciei tuæ.* Ps.30.21. Abscondit ergo nos Dominus in abditissima & rectissima faciei suæ parte, in oculis, inquam, in quorum pupillis nos recondit: hinc etiam alia versio illo loco præfert, *In oculis faciei tuæ.* Facit itaque nos Deus oculorum suorum pupillas, ut verum esse ostendat id, quod alio loco dicit: *Custodi me ut pupillam oculi.* Ps.26.18. Perinde enim ac custodiuntur oculorum pupillæ, ita nos in protectione & præsidio Dei versamur. Hinc *qui tetigerit vos*, inquit per Prophetam alium, *tangit pupillam oculi mei.* Zach.2.8. Qua re nihil dari cogitative potest opulentius aut pretiosius, nihil æstimatione dignius, nihil denique desiderabilius.

Dei omnipotentis & optimi providentia quantam

2. Utinam verò id ipsi intimè perspectum haberemus, & prout oportet intelligeremus; quantam Deus bonè! in omnibus necessitatibus & laboribus nostris opem, remedium,

in nobis parere debeat fiduciam. fiduciam ac consolationem experiremur! Si filius quispiam patrem opulentum, potentem, Regique carum & perfamiliarem haberet, quam securus & certus is foret, sibi in omnibus negotiis occurrentibus favorem, opem, gratiam & subsidium minimè defuturum? Quanto ergo potiori jure nobis hæc est fiducia & securitas concipienda, dum nimirum consideramus, habere nos in patrem eũ, cuius est omnis cæli ac terræ potestas, ac nihil nobis posse obtingere, quin per illius manus antè pertranseat? Si talem de patre suo fiduciam filius habeat, & cum ea securus dormiat, quantò potiùs nos confidere oportet ei, qui omnium patrum pater est, & cum cuius paternitate cæteri patres comparati, ne nomen quidem patrũ promerentur. Neque enim ulla amoris sunt viscera, quæ cum Dei erga nos amore valeant conferri, utpote qui infinito intervallo amores omnes, quos universi terræ huius patres simul habere possint, transcendit. Unde securi ac certi esse possumus, quidquid talis pater ac Dominus nobis submittet, de nonnisi in maiorem utilitatem atq; animæ nostræ bonum cessurum.

Amor Christi cogit Deum, ut nobis benefaciat. 3. Amor enim, quo nos in unigenito suo filio amat, non aliud eum facere patietur, quàm bonum & salutem quærere illius, propter quem filium unigenitum acerbissimis crucis doloribus tradidit. Unde ait Apostolus; *Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Qui enim nobis dedit quod maius est, quomodo non det quod minus est! Rom. 8. 32

Adhuc Religiosis maior fiducia concipienda. 4. Enimverò, quòd si omnes, etiam sæculares, hanc in Deum fiduciam concipere oportet; quanto magis Religiosos, quos peculiari quadam ratione in suos asseclas suscepit, quibusque filiorum spiritum & cor dedit, atque, ut, patribus carnalibus negatis & relictis, se in patrem assumerent, effecit? Ecquem affectum & amorem paternum erga hos Deus ostendet? quantam eorum curam & providentiam geret? *Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Quàm porro bonum amantemque patrem in locum assumpsisti eius quem dereliquisti! Maiori ergo ratione & fiducia dixeris illud: *Dominus regit me,* mei curam sumpsit, *& nihil mihi deerit: Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus sollicitus est mei?* Quem nostrûm hic affectus non consoletur? ecquis in amore Dei non totus colliquescat? Quam verò tu, Domine, sollicitè anxieque de me laboras! quantam mei curam geris! tanquam si in cælo & terra tibi alia præter me creatura non esset gubernanda. O, si hunc amorem, providentiam, & protectionem ita paternam & particularem, quam circa nos homines Deus ostendit, debito modo comprehendere, & in eius adyta penetrare possemus! Ps. 26. 10 Ps. 22. 1 Ps. 39. 18

Testimonia & exempla confidentia in Deo. 5. Hinc in Dei servis familiarissima & filialissima quædam in eum fiducia nascitur. Quæ sanè in quibusdam tam magna & eminens est, ita nullus ut in mundo filius omni in re ita

ita de patris sui protectione & ope securus certusque sit, quàm illi de protectione præsidioq; divino: norunt enim illum erga ipsos viscera habere plusquam paterna & materna, quæ tamen esse solent in amore tenerrima. Testatur id ipse apud Isaiam, dicens: *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui: ecce in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper.* Perinde ac si diceret: Gero te in palmis meis præsentem ac descriptum, semperque te ante oculos habeo, quò te protegam, tuear ac defendam. Quod apud eundem Prophetam etiam alia comparatione non minùs eleganti declarat. *Qui portamini*, inquit, *à me utero.* Quemadmodum mulier quæ concepit, infantem suo in utero gestat, eique ceu domus, lecticæ, murus, alimentum, atque omnia est; non aliter nos Deus utero suo asserit contineri. Hinc servi Dei tam securi ac quieti sunt, & in omnibus rebus suis ita de ope auxilioque certi, ut variis ac fortuitis vitæ huius casibus haudquaquam percellantur, aut turbentur. Atque ideò, ut ait Propheta, cor justorum *in tempore siccitatis non erit sollicitum*; id est, nulla rerum vicissitudine concutitur, nec ob varios casus & successus quietem tranquillitatemque suam ullatenus deperdit; norunt enim, sine patris sui voluntate nihil sibi posse contingere, deque vehementi ejus amore & bonitate planè certi sunt ac securi; (omnia enim in maius eorum bonum cedent; &, quidquid ex una parte illis auferet, id ab alia restitutũ, & quidem in re quæ pluris ipsorum interest.

Isa.49.15.

Isa.46.13.
Simile.

Ier.17.8.

6. Ex hac tam familiari & filiali justorum in Deum confidentia, nescitur in animis ipsorum, magna illa quam habent, *pax tranquillitas & securitas*, juxta illud Isaiæ, *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Quo loco Propheta scitè apteque pacem cum fiducia coniungit; nam unum ex altero, ex fiducia, inquam, pax sequitur. Qui enim Deo fidit, non habet quod timeat aut turbetur, cùm Deum habeat adiutorem & protectorem. Unde canebat Propheta, *In pace in idipsum dormiam & requiescam: quoniam tu Domine singulariter in spe* misericordiæ tuæ, *constituisti me.*

Ex hac est Pax & securitas sanctorũ.
Isa.32.18.

Pax filia fiduciæ.

Psal.4.9.

7. Adhæc non solùm singularem pacem fiducia hæc filialis generat, sed, & incredibile *gaudium & alacritatem spiritus.* Unde scribit Apostolus, *Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, ut abundetis in spe & virtute Spiritus sancti.* Nosse porro & credere, Deum scire id quod facit, idque eum ad bonum nostrum dirigere; facit, ut angores, tumultus, tempestates, inquietudines, quas sentiunt, qui nonnisi carneis oculis res intuentur, minimè sentiamus, sed magnum potiùs omnibus in casibus gaudium & alacritatem præferamus. Quo autem maiorem quis fiduciam habuerit, eo etiam gaudio ac lætitia spirituali maiore perfruetur: quo enim magis confidit & amat, eo securior & certior est, fore ut omnia sibi in bo-

Itẽ gaudium & alacritas Spiritus.
Rom.15.13

in bonum convertantur, neque eum minus quid de infinita illa Dei bonitate & amore cùm credere, tum sperare fas est.

Exempla Sanctorũ nihil timentiũ.

8. Hinc fiebat, ut medias inter ærumnas, labores & pericula Sancti ita quieti & securi essent, ut nec homines, nec dæmones, nec feras, nevé ullas creaturas rationis expertes timerent: norant enim citra Dei licentiam ac voluntatem eas sibi nequaquam posse nocere. Sic *S. Antonio* in diversa forma, eaque ad timorem incutiendum composita, dæmones sæpè apparuisse refert Magnus Athanasius; nempe in figura silvestrium ferarum, leonum, tigrium, taurorum, serpentium, scorpionum, importunè eum circumstrependo, suisque unguibus, dentibus, rugitibus, ac terrificis sibilis ita ei comminando, ut jamjam illum devoraturi viderentur. Antonius autem intrepidè illis insultabat, dicens, Si quas vires haberetis, vel unus vestrûm ad hominem unum de bellandum sufficeret: at, quia impotentes estis, & vestris vos viribus Deus privavit; hinc in magna copia & frequentes venitis, ut Dei servos saltem multitudine terreatis. Si quam vobis in me Deus potestatem dedit, ecce me, irruite in me: at si nullam ab eo ad hoc potestatem & licentiam accepistis, cur incassum laboratis? Ex quo liquidò patet, quantopere S. Antonius in spiritu inde corroboraretur, quòd nosset nullam sibi illa monstra noxam, Deo invito, afferre posse, & quòd tàm ipse cum illius voluntate conformis esset.

9. Plurima huius rei exempla in historiis Ecclesiasticis legere est: quia & simile prorsus in vita S. P. N. Ignatii libro quinto, & rursus aliud libro secundo refertur. Cùm enim Romam aliquando navigaret, & tam horrenda tempestas navi incumberet, ut tentorum vi malo confracto, & multis rudentibus amissis, omnes qui ea vehebantur, ad mortem, quam quasi præsentem cernebant, se disponerent; ipse, cæteris præ metu mortis penè exanimatis & pallescentibus, nullo prorsus se dicebat timore consternari: unum hoc dolere, quòd non pro eo atque oportebat, Domino servisset, de cætero mihi penitus se formidare; *quia venti & mare obediunt illi* (Deo,) nec sine eius nutu ac voluntate tolluntur fluctus & tempestates, ullumque demergere queunt.

Greg. lib. 3. dial. c. 16. & simile quid refertur in vita. S. P. N. Ignatii lib. 5. c. 9 & lib. 2. c. 5. S. P. Ignatii constantia in adversis.

Mat. 8.

10. Ut ergo ad hanc familiarem & filialem in Deum fiduciam, ad hanc interiorem animi tranquillitatem & securitatem, per Dei gratiam perveniamus; in hoc *conformitatis cum voluntate divina exercitio* nos exerceamus oportet, *orationis considerationisque sarculo* in opulentissimam hanc Dei circa nos providentiæ tam paternæ & particularis, fodinam & adytum penetrando. Certus enim sum, nihil aliud mihi posse accidere, nullum etiam mihi aut ab hominibus, aut à dæmonibus, aut ab ulla denique creatura damnum malumvé inferri posse, quàm quod Deus voluerit, eisque permiserit: dummodò autem id mihi in bonum cooperetur, equidem haud abnuo, nec aliud volo, quam ipsam

Media acquirendi hanc cõfidentiã.

ipſam Dei voluntatem adimpleri.

Alia Exempla confidentium in Deo. *Bloſius c. 11, Monil. ſpir.*

11. Conſtantem ſecuramque illam, quam in benigniſſimam Dei miſericordiam S. virgo Gertrudis habebat confidentiam, neque pericula, neque tribulatio, neque rerum jactura, neque impedimenta alia, ſed nec delicta ac defectus proprii, unquam obſcurare potuerunt: certiſſimè namque ac fiducialiter confidebat, omnia & quælibet, tam proſpera quàm adverſa, à divina providentia in ſuum bonum & profectum converti. Imò quadam vice ſanctæ huic virgini Dominus dixit; *Secura illa cõfidentia, quam quis erga me habet, credens me reverà poſſe, ſcire, & velle ſibi in omnibus fideliter adeſſe, transfvulnerat cor meum, tantamq́ vim facit pietati meæ, ut nullatenus poſſim huiuſmodi homini abeſſe vel deeſſe; etſi enim viſcera mea ad tempus contrahere coner, eò quòd mirè me delectet videre eum à me pendentem, utq́ meritum illi adaugeam; non poſſum tamen non tandem illi opitulari, quò ſatisfaciam naturæ meæ, & intenſo amori quo eum diligo.* Humano more loquitur, quaſi qui ab amore extra ſe rapitur.

Bloſius ubi ſuprà.

12. Sanctam quoque Mechtildem ſic allocutus Dominus ſcribitur: *Mihi valdè gratum eſt, ut homines in bonitate mea confidant, & de me præſumant: nam quiſquis in me humiliter cõfiſus fuerit, ac mihi benè crediderit, ego & in hac vita illi adero, & poſt mortem ſupra omne meritum ei benefaciam. Quantum quis mihi credere, & de bonitate mea piè præſumere poteſt, tantum, & infinitum amplius, obtinebit: quia impoſſibile eſt hominem non percipere quod ſanctè credidit & ſperavit, ideoq́ utile homini eſt, ut magna ſperando à me mihi benè credat.* Huic eidem Mechtildi, quærenti à Domino quidnam potiſſimùm de ineffabili ipſius bonitate credere deberet, reſpondit Dominus: *Certa fide crede, quod ego te poſt mortem ſuſcipiam, ſicut pater filium ſuum cariſſimum, quodq́ nullus unquam pater tam fideliter cum unico nato ſuo hæreditatem ſuam diviſit, ſicut ego omnia bona mea, & me ipſum tibi communicabo. Quicunq́ hoc de bonitate mea firmiter & cum humili caritate crediderit, ſalvus erit.*

Caput IX.

Aliquot afferuntur loca & exempla, è ſacris Litteris deprompta, quæ nobis, ad familiarem & filialem hanc fiduciam in Deum obtinendam, uſui eſſe poterunt.

QVantum ad primum, non abs re futurum eſt oſtendere, quam priſcis illis Patribus ſolemne & familiare fuerit, omnes omnino rerum ſucceſſus, quacunque via vel medio acciderent, ſoli Deo aſſcribere.

1. *Geneſis cap.* 42. legimus, Joſephum, cùm fratres eius frumenti cõparandi gratia in Ægyptum veniſſent, procuratori domus ſuæ præcepiſſe, ut ori ſacci uniuſcuiuſque acceptam de frumento vendito pecuniã illigaret. Hi ergo cùm per viam ſuis in diverſorio jumentis pabulum de frumento allato dare vellent; primus ſaccum apperiens, ei crumenam ſuam vidit cum pecunia illigatã: quod 1. Exemplũ, Fratres Ioſeph.

 cùm

cùm fratribus ille dixisset, suum singuli aperientes saccum, pretium frumenti in eo quoque reperiunt. Illi ergo turbari miratique dixerunt ad invicem: *Quidnam est hoc quod facit nobis Deus?* Notandum porro, non dixisse illos, Ægyptii nos circumvenire ac decipere voluere: aliqua haud dubiè hîc nobis structa calumnia. Non item: Procuratoris negligentia & incuria factum, ut uniuscuiusque pecunia suo in sacco relicta sit. Non item: Forsitan nobis, ut pauperibus, eleemosynam ex ea facere voluit; sed, Deo rem omnem attribuentes, dicunt, *Quidnam est hoc, quod fecit nobis Deus?* Persuasum habentes, cùm nullum in arbore folium sine Dei nutu moveatur, etiam hoc nonnisi Dei voluntate ac permissu factum esse.

2. Exemplum, Ioseph & Iacobi.

2. Jacob cùm in eamdem Ægyptum profectus esset, Joseph unà cum filiis eum adiit: quos piùs senex conspicatus, rogavit, quinam illi essent pueri? Cui Joseph: *Filii mei sunt, quos donavit mihi Deus in hoc loco.* (Gen. 48. 9) Simili prorsus modo respondit olim idem Jacob, quando Esau frater ei obviam factus, rogavit, ecquinam essent pueri, quos secum duceret; *Parvuli,* (Gen. 33. 5.) inquit, *sunt, quos donavit mihi Deus.* Et quædam illi munera offerens, dixit, *Suscipe benedictionem, quam attuli tibi, & quam donavit mihi Deus, tribuens omnia.* (Gen. 33. 11.) Donum suum vocat benedictionem Dei, utpote cuius benedicere, est benefacere.

3. Exemplum, David.

3. Cùm David iratus, copias suas versus domum Nabal duceret, eam eversurus, atque uxor eius Abigail Regem placatura, cum donariis ei obviam prodiret, ait ei David; *Benedictus sit Dominus Deus Israel, qui misit hodie te in occursum meum, ne irem ad sanguinem* (1. Reg. 25. 32.) domus Nabal effundendum, q. d. Tuo impulsu non venisti, mulier, sed Deus Israel te emisit, ne cædem committerem: illi ergo gratias referre debeo, sit ipse propterea benedictus. Hic scil. communis erat Sanctorum sensus, & loquendi modus, qui etiam esse deberet noster.

4. Exemplum Ioseph.

4. Ut verò propiùs ad rei caput veniam, dico illam Dei providentiam (Gen. 37.) ad vivum exprimi in vita & gestis Patriarchæ Joseph, cuius suprà mentionem obiter fecimus; maximè in eiusdem captivitate, cùm nimirum fratres invidia acti, ne iis ipse dominaretur, prout per somnium ænigmaticè viderat, illum in servum mercatoribus Ægyptiis vendiderunt. Hoc porrò medium, quod illi Josepho disperdendo, atque impediendo ne ipsis dominaretur, elegerant, Deus, ad providentiæ suæ vias & rationes ad exitum conducendas, utque cùm illis, tùm universæ terræ Ægypti cum potestate præesset, accepit. Quod & ipse postea fratribus suis, cùm se declararet, illique ad rei casum consternati & pavidi hærerent, significavit, dicens: *Nolite pavere, nec vobis durum esse videatur, quòd vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum, præmisitq́ me Deus ut reservemini super terram, & escas ad vivendum habere possitis,* (Gen. 45. 5.) & semen Israel non exstinguatur. Dicit ecce, *misit me Deus*; & mox,

Non

Non vestro consilio , sed Dei voluntate eiusque directione *hoc missus sum.* Gen.50.9. *Num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, & salvos faceret multos populos.*

Malorũ consilia Deus vertit in bonum justorum. 5. Quis ergo, his auditis, in Deum non confidat? Quis hominum molimina ac directiones, quis mundi insultus minasque formidet? Cùm videamus, Dei esse destinata, & hæc ipsa consilia mediaque, quæ illi ad nos persequendos & exagitandos adinveniunt, à Deo in bonum, incrementum, ac promotionem nostram usurpari. Isa.46.10 Per Isaiam namque dicit, *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Huc vel illuc curras licet, tandem Dei voluntas implebitur, & hunc ad scopum hæc consilia & media ipse conducet.

5. Ex eodem. 6. Aliam in hac ipsa historia particularitatem, quæ nostro proposito mirificè deseruit, ponderat S. Chrysostomus: Hom 63. super Genes. nimirum quòd pincerna Pharaonis, jam suæ dignitati restitutus, Gen.40.23. biennio integro Josephi interpretis sui sit oblitus, cùm tamen Joseph in carcere, tam seriò illi, ut sui recordaretur, proque se apud Regem Pharaonem intercederet, injunxisset. *Putasne*, inquit hic Doctor, *oblivionem hanc casu & fortuitò factam esse?* Gen.41.1. Oblivio pincernæ à Deo volita, vel permissa, quo magis exaltaret Iosephum. *Minimè; sed merum fuit ea destinatum ac consilium Dei, utpote oportunum & commodum tempus exspectantis, ut maiore cum gloria & honore postea Iosephũ carcere educeret. Si enim pincerna antè eius esset recordatus, sua forsan, authoritate statim sine gloria, & tacitè, ita ut id in populo nec audiretur, nec videretur, eum eduxisset. Quoniam verò eum Deus non ita, sed magno cum honore & authoritate, educi volebat; permisit pincernam biennio toto liberatoris sui Iosephi oblivisci , donec veniret tempus somniorum Pharaonis, ac tum Ioseph , jubente Rege* (quem necessitas ad hoc adigebat) *cum majestate & gloria, carceribus eriperetur, ut universæ terræ Ægypti dominus fieret.* Novit scilicet Deus, ait Chrysostomus, velut peritissimus aurifex, quanto tempore aurum in igne manere, & quando oportunè eodem educi debeat.

7. Libro primo Regum alia legitur historia, in qua tamen Dei providentia, etiam paruis & particularibus in rebus, mirum in modum resplendet. 6. Exem. ex actis Samuelis. Dixerat Samueli Deus, se ostensurum ei virum, quem Regem Israel esse vellet, quo ab ipso ungeretur: ait ergo: *Hac ipsa hora, qua nunc est, cras mittam virum ad te de terra Benjamin, & unges eum ducem super populum meũ Israel:* 1.Reg.9.16. erat hic Saul. Eius autem mittendi modus, fuit hic. Aberrarant asinæ patris eius Cis: hic filium Saulem mittit eas investigatum. Qui eas, assumpto secum puero, per montes & valles vicinas indefesso labore quæritat. Sed cùm nullum earum signum aut vestigium inveniret Saul, re infectâ domum redire statuit, quòd æquo longiores moras trahere videretur, ac vereretur, ne ob suam fortè absentiam pater angeretur. Dicit ei puer: *Asinis non inventis domum nos reverti nefas est: hic in vicinia habitat vir Dei* (Samuelem Prophetam designat) *eum adeamus, quia ille haud*

dubiè

dubiè de asinis, ubinam sint, nos certiores reddet. Hac ego occasione ad Samuelem abeunt. Quibus intrantibus, ait Samueli Deus, *Ecce vir, quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo.* O arcana Dei judicia! Emiserat illum pater ad asinas quærendas: Deus verò ad Samuelem mittit, ut ab eo in Regem ungeretur. Quàm consilia & destinata hominum, longè distant à consiliis Dei! Quam Saul, eiusq; pater parum tum cogitabant, illum, ut in Regem ungeretur, abire! Quàm multùm sæpè & tua, & patris, & Superioris tui destinata cogitataque differunt ab eo quod spectet Deus! Ex eo enim quod minùs cogitas, elicit & prolicit Deus id quod destinat. Non sine voluntate ac nutu Dei asinæ istæ aberrarunt, non fortuitò Saul, ad eas quærendas à patre missus est, non casus fuit, quòd eas reperire non potuit, uti nec suggestio ac consilium pueri, suadentis ut Videntem vicinum de illis sciscitarentur. At omnia nutu destinatoq; Dei contigerunt, qui scilicet hæc media elegit, ad Saulem ad Samuelis ædes mittendũ, ut ab eo, sicut præmonuerat, in Regem ungeretur.

Pater Saulem misit post asinas, Deus cum ad regnum vocat.

8. Putabat pater tuus, Hispalim te aut Salmanticã ad studia mittens, fore ut ibi in virum doctum evaderes, & ad locum dignitatemve aliquam postea eveheris, in qua honorificè viveres: sed nihil mĩnùs spectavit Deus; nam ideò tantùm te illò misit, ut in domum suam admitteret, Religioniq; consecraret.

Parẽtũ in filiis conatus sępe Deus vertit in melius.

9. Existimabat Augustinus, se Rhetorices docendæ gratia Roma Mediolanum abire; necnon Præfectus urbis Symmachus, à quo eò destinabatur; sed alia longè erat in mente Dei profectionis huius causa: nimirum, ut ibi à S. Ambrosio converteretur.

Imo proprios, sic Deus S. Augustinũ traxit ad locũ conversionis.

10. Videamus jam diversas vocationes, necnon media adeò singularia & notabilia, atque ab hominum opinione tam remota, quibus hos & illos singillatim ad Religionem Deus evocavit: quæ profectò verè admiranda sunt. Nisi enim primò, nescio qua occasiuncula, aut puerili quadam ineptia motus fuisses, nunquam ipse animum ad Religionem applicaturus fuisse videris: hæc tamen omnia nonnisi Dei consilio & inventione facta sunt, ut hac via te ad Religionem pertraheret.

Admirãdæ, & si in speciẽ pueriles multorũ vocationes.

11. Quod per transennam hic notandum est, propter nonnullos, quibus, instigante dæmone, ea nonnunquam incidit tentatio, ut sibi persuadeant, vocationem suam à Deo minimè esse potuisse, quòd ab huiusmodi reculis & minutiis ea ortum habuerit. Sed hæc mera dæmonis adversarii tui est impostura, qui quem professus es statum, tibi invidet. Huiusmodi namque media solet Deus adhibere, ut finem quem spectat, maiorem nimirum gloriam suam, maiusque bonum & profectum tuum, consequatur: Cuius rei exempla non pauca in vitis Sanctorum habemus. Non tam asinas illas spectat Deus (*Nunquid de bobus cura est Deo?*) quàm cupit, ut per hoc medium ad regnum eveharis, uti Saul: quia servire Deo regnare est.

Eæ tamẽ vere à Deo sunt factæ: nec audiẽda est tentatio dæmonis contra tales vocationes.

1. Cor. 9.

12. Quan-

7. Exemplum in Saule, cuius in pallio Samuelis fortuita scissura, regni indicat privationẽ. 1. Reg. 15. 27.

12. Quando verò postea Samuel Propheta, mittente Deo, ad huncipsum Saulem abiit, ut enim inobedientiæ, quòd Amalecitas (sicut ei præceperat Deus) non exscidisset, coargueret, &, jam reprehensione peractâ, conversus abire destinaret; Saul, apprehensâ pallii eius summitate, oravit ne discederet, sed ut sibi Deum intercedendo reconciliaret. Addit autem historia, Samuelici pallii partem in Saulis manibus diffractam hæsisse. Quis non putaret, hanc pallii scissuram & fractionem, casu fractam esse, quòd vel Saul violenter id attraheret, vel verus & laciniosum id esset; cùm tamen nonnisi singulari Dei providentia & dispositione contigerit? Videlicet hac scissurâ portendebat, Saulem ob peccatum suum regno privatum, & ab eo id præcisum esse. Unde etiam Samuel, hoc viso, Sauli dixit: *Scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te:* atque hoc illa pallii mei scissura indicat.

1. Reg. 23. 26.
8. Exemplum in David servato ab Saule.

13. Davidem & socios eius, quodam tempore Saul Rex arctè *in modum coronæ* concluserat: adeò quidẽ, ut David de evasione & effugio planè desperaret. His in angustiis dum David versaretur, ecce tibi, ad Saulem properans nuntius advolat, dicitque, *Festina & veni, quoniam infuderunt se Philistini super terram*, omniaque ferro flammaque depopulantur. Unde obsidionem Davidis solvere coactus est Saul, & præsentiori maiorique necessitati occurrere: & ita evasit David. Non fuit autem hæc Philistæorum irruptio & expeditio casualis, sed Deo disponente & ordinante facta, ut Davidem suum hac ratione liberaret.

1. Reg. 29. & 30.
9. Exemplum in eodem David.

14. Hunc ipsum Davidem Satrapæ Philistæorum aliàs ab exercitu suo proscripserunt, tantumque moliminibus suis apud Regem Achis effecerunt, ut is Davidem ad propria redire jusserit; etsi alioquin eius consortio delectaretur, deque eius virtute magnam opinionem concepisset: *Satrapis* tamen parum gratus erat, *nec placebat.* Illa Satraparum molimina & consilia casualia quidem fuisse videntur; casualia tamen non fuere, neque eum habuere finem, quem prætendebant; at potiùs particularis quædam Dei extitit providentia. David quippe in Israel reversus, Amalecitas comperit Siceleg terræ Israel oppidũ succendisse, omnesque mulieres & pueros à minimo usque ad magnum, quin & ipsas Davidis uxores, in captivitatem abduxisse. quos insecutus David, eos profligat, universamque prædam & captivos omnes abactos postliminiò recuperat, ut ne quidem unus compertus sit defuisse. Quod profectò factum non fuisset, nisi eum Satrapæ suis è castris eiecissent. Atque ad hunc successum illud Deus consilium direxit, etsi quid aliud ipsi in eo spectarent.

10. Exempl.

15. In historia Esther non minùs clarè particularis hæc Dei providentia elucet, & quidem in multis particularibusque circumstantiis. quàm enim inaudita & peregrina Deus hîc media, ad populum Judaicum ab immani Regis Assueti sententia & decreto vindicandum, usurpavit! qui-

bus mediis Estherem in Reginam, repudiando Vasthi elegit? quam etiam de stirpe Judæorum esse voluit, ut postea pro iisdem intercederet. Casu factum videtur, quòd Mardochæus proditionem Eunuchorum nosset, qui in caput Assueri conjurarant, eamque Regi detegeret; casu, quòd Rex noctem illam insomnem duceret, propterea quòd dormire non posset; casu, quod otii fallendi causa afferri jusserit historias temporis regni sui; casu denique, quòd inter alia potissimùm illi prælecta sit detecta per Mardochæum conjuratio. Nihil tamen horum omnium casu contigit, sed omnia profundo Dei consilio, destinato, ac singulari providentia, hac via & mediis populum suum liberare cupientis. Quod etiam Mardochæus Estheri, ad, Regem ingredi non audenti, hancque provinciam detrectanti, propterea quòd evocata ab eo non esset, dicere non dubitavit: *Quis novit*, inquit, *utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris?*

Estherẽ variis modis elegit Deus ad populi liberationẽ.

Esther. 4. 14.

11. Exemplum ex Actis S. Petri.

16. Plena id genus exemplis est cùm sacra Scriptura, tum historiæ Ecclesiasticæ, ut omnes & quoslibet rerum successus uni Deo ascribere, eosque velut à manu illius, ad bonum & utilitatem nostram maiorem dimanantes, accipere discamus. Singulare porro est id, quod circa hoc propositum apud S. Clementem in libro Recognitionum refertur: Cùm Simonem Magum Petrus Apostolus Romæ acriter exagitaret, S. Barnabas ibidem Clementem Christianæ fidei asseruerat. Qui mox ad Petrum veniens, suam ei conversionem narrat, rogatque ut se pleniùs in rebus fidei instruat. Tum Petrus, *Oportunè*, inquit, *venisti; quia in crastinam diem publica inter me & Simonem Magum indicta est disputatio: in illa nos videbis, & quæ scire aves, audies.* Hæc inter se dum loquuntur, ecce, duo discipuli ingredientes, nuntiant, Simonem Magum petere, ut ob negotium, quod necopinanti sub inciderat, in triduum disceptatio ea prorogaretur. Annuit Petrus. His verò digressis, indoluit de datis induciis Clemens: unde Petrus eum rogavit, ecquæ tristitiæ huius esset causa. Tum Clemens, *Doleo non parum, Pater, quòd in triduum disputationem audierim differendam; quam vellem crastina die institui.* Petrus, (quod in re tam parui momenti certè mirandum) neophyti sui Clementis manu apprehensâ, longa oratione eum allocutus: *Gentiles*, inquit, *fili, turbantur, cùm res non accidunt ex voto uti desiderant: at nos Christiani, qui scimus Deum gubernare & moderari res omnes, in quolibet rerum eventu in pace consistimus & consolatione. Scito, fili, has inducias Dei consilio dari ad tuum bonum: si enim modò institueretur disputatio, eam tam benè non fuisses assecutus, postea verò eam intelliges pleniùs ac meliùs: quia interim te ad eam præparabo & instruam, atque ita multùm ex ea proficies.*

Deus melius disponit, quæ nos malè petimus.

17. Rem omnem domestico concludam exemplo, quod in vita S. P. Ignatii legimus; in quo hoc ipsum, de quo agimus, mirificè resplendet; in profectione, videlicet, & abitu S. P. Francisci Xaverii in Indiam Orientalem.

12. Exem... Lib. 2. c. 16. vitæ P. Ignatii, & in vita P. Xaverii de missione Xaverii ad Indos.

talem. Media enim & adinventiones divinæ, quibus mediantibus sanctus hic vir in Indiam missum est, imprimis notabilia sunt. Nominarat jam ad missionem hanc S.P. Ignatius PP. Simonem Rodericium, & Nicolaum Bobadillam. Rodericius, tametsi quartana detineretur febri, nihilominùs statim in Lusitaniam navigavit. Interim Bobadilla, litteris è Calabria Romam evocatur: sed hic, tum pauperie, tum itineris laboribus, adeò fractus, & è crure, è quo laborabat, tam malè affectus, Romam venit, ut, cùm, qui eo tempore legatum Regium agebat, Petrus Mascarenias, rebus omnibus ad iter comparatis jam in Lusitaniam reversurus esset, (quòd exspectare non posset, donec Bobadilla planè convalesceret, & sine alio Patre, in Indiam mittendo, abire nollet) in locum Magistri Bobadillæ, Franciscum Xaverium felici sanè sorte substitui oportuerit: qui statim cum Legato in Lusitaniam solvit. Quia verò Xaverius initio ab Ignatio designatus non erat, sed Bobadilla; & quia discessus eius subitus & præceps fuit; videatur sanè nonnisi casu & fortuito in huius locum surrogatus. Id tamen minimè fortuitò factum, sed profundo & arcano Dei consilio, qui ipsum partium illarum remotarum Apostolum facere constituerat. Deinde, cùm jam in Lusitaniam venissent, Rex viso fructu, quem duo illi Patres suo in regno faciebant, eos ibidem detinere voluit. unde tandem constitutum, ut eorum alter in Lusitania sedem figeret, alter in Indiam navigaret. Ecce, ut hîc rursum res tota contingentiæ & fortunæ commissa sit: sed nullus apud Deum contingentiæ & fortuito casui est locus. Tandem in Xaverium sors cecidit, & decretum ut solus ipse relicto ibi socio in Indiam trajiceret; erat siquidem hæc Dei voluntas, & ita id ipse antè decreverat, quòd ad animarum illarum bonũ, & maiorem nominis sui gloriam ita fieri expediret. Destinent ac designent homines quodcunque voluerint, & ea illud via conducant qua allubuerit; hoc nihilominus Deus pro medio sumet & deliget, ad sua consilia executioni mandanda, &, quod tum tibi, tum gloriæ suæ promovendæ convenientius erit, faciendum. Homo proponit, Deus disponit.

18. Per hæc aliaque id genus exempla, tam è sacra Scriptura, quàm ex eo quod quotidie cùm in aliis, tum in nobis videmus & experimur, deprompta, hanc *nos oporte in corde confidentiam, mediante oratione & consideratione insculpere & stabilire.* Et tam diu id nobis exercitium erit frequentandum, donec familiarissimam quãdam & filialem in Deum fiduciam in nobis sentiamus. Atque hoc ut certissimum tibi persuade, quo maiori te in Deum fiduciâ proieceris, eo te fore securiorem: & contrà, non priùs te veram pacem & cordis quietem inventurum, quàm filiali te fiducia ei committas: illa enim si carueris, omnia te turbabunt & vexabunt. In Dei ergo manus totos nos projiciamus, in eoque confidamus, consulit Apostolus Petrus, dicens: *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Et Pro- 1.Pet.5.7.

Dogma de confidentia in Deum ex præmissis exemplis.

Ps.54.23. pheta regius, *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.*

Praxis jactandi curã suam in Dominum.

19. *Tu, Domine, ita me dilexisti, ut te totum in immanißimorum carnificum manus tradideris, ut pro libitu in te sævirent, (Iesum enim tradidit voluntati eorum præses)* Luc.23.25. *quid ergo magni præstitero, si ego me totum tradam in manus, non crudeles & sanguinarias; sed tam benignas ac beneficas, quales sunt tuæ, ut de me facias quodcunque placuerit? certus quippe sum, id mihi futurum cùm melius, tum convenientius.*

Pactũ sacrum inter Deum & Hominem feriatur: Tu te Deo, Deus se tibi permittat.

20. Ineamus ergo pactum hoc, quod cùm S. Catharina Senensi Christus Jesus aliàs iniit. Inter alia enim deliciosi amoris ac benevolentiæ intimæ signa, quibus Sanctam illam prævenit, non postremum fuit illud, quo, illi quodam tempore apparens dixit, *Filia cogita tu de me, & ego cogitabo continenter de te, tuiq; curam geram.* O quàm bona ea pactio & sponsio est, quàm optabilis in amore reciprocatio! Quàm id animabus nostris utile ac fructuosum foret! Hac autem cum unoquoque nostrûm conditione Dominus stipulari gaudet: nimirum, Obliviscere tui, tuaque consilia ac destinata sequi desine: & quanto magis tui ipsius oblivisceris, ad Dei recordandum, eique confidendum, tanto ipse magis de te erit sollicitus. Quis ergo hanc, tam favorabilẽ & deliciosam, conditionem non admittat, utpote quæ eadem prorsus est cum ea, quam secum sponso amans illa sponsa iniisse ait, *Ego dilecto meo, & ad me conversio eius?*

Cant.7.10

CAPUT XII.

Quantæ utilitatis & perfectionis sit, orationem huic exercitio de conformanda voluntate nostra cum divina, applicare: est item nobis in eo ad particularia descendendum, donec ad tertium conformitatis gradum perveniamus.

1. IOannes Ruisbrochius vir tum doctissimus, tum vitæ spiritualis magister egregius, refert, sanctam quandam virginem, dum orationis suæ rationem redderet confessario & Patri spirituali (qui hauddubiè magnus Dei servus, orationique deditissimus esse debebat) & ab eo in spiritu edoceri vellet; dixisse, se orationem omnem in meditanda vita & passione Domini nostri Jesu Christi solitam expendere; & ex ea se primò cogitationem cùm sui, tum vitiorum ac passionum suarum, dein dolorem compassionemque de doloribus ac tormentis Domini haurire consuevisse. Intulit confessarius, bonum quidem id esse; fieri posse tamen, ut hanc exigua cum virtute quis compassionem & teneriorem affectum è Dominica passione hauriat; sicuti etiam quilibet nostrûm, è solo amore & affectu naturali, quo amicum suum prosequitur, illius laboribus, malis & ærumnis compati potest. Petiit exinde virgo, num, quando quis quotidie peccata sua plangit, vera ea futura devotio sit? Respondit confessarius, Bonum quidem id est, non tamen optimum & excellentissimum: quia

In fine operum suorum.

Examen devotionis sinceræ.

quia quidquid malum est, naturaliter amaritudinem & dolorem causatur. Rursus illa percunctatur, Num vera futura sit devotio, si quis pœnas inferni, & Beatorum gloriam assiduè recogitet? Retulit, Ne id quidem eminentissimum ac perfectissimum est; quia natura ipsa per se quidquid affligit & cruciat, abhorret ac fugit; amat verò & quærit, quod delectationem & gloriam causatur: perinde ac, si quis ei civitatem deliciis ac voluptatibus abundantem describeret, statim erga eam ipsa desiderio ferretur. His auditis, cùm virgo contristaretur doleret, quòd nesciret quidnam potissimùm in oratione perpenderet, quod Deo posset esse gratissimum; non multò pòst pulcher quidam puellus ei spectandum se dedit: cui cùm mœroris causam narraret, diceretque neminem sibi consolationem adferre posse videri, respondit puer; *Ne hoc dixeris, ego enim te consolari & possum & volo. Vade, & patri tuo spirituali renuntia, veram devotionem in suiipsius abnegatione ac contemptu, & in integra in manus Dei, tam in prosperis, quam adversis, resignatione consistere, ita ut homo per amorem firmiter arcteq; Deo se uniat, suamq; voluntatem omnibus in rebus cum illius voluntate conformet.* Ipsa hoc audiens, mirè gavisa est, & quæ audisset ad Patrem suum spiritualem retulit. Qui ait, Hoc rei punctum est, huic rei est oratio applicanda: in hoc enim vera caritas & Dei amor, ac consequenter omnis profectus noster perfectioque consistit.

Devotio vera consistit in indifferentia.

Praxis conformandi suam voluntatem cum divina.

2. Alia Sancta à Deo sic instituta & edocta fuit, ut dum orationem Dominicam recitaret, diutiùs & affectuosiùs insisteret in illa petitione, *Fiat*, Domine, *voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.* quasi in illa, præ cæteris omnibus eiusdem orationis partibus, esset vis & energia. quod etiam illis videtur non fuisse ignotum, qui in baptismate vel alia occasione nomen, *Quod vult Deus*, olim assumpsisse leguntur.

Alia praxis. *Refert Blosius c. 11. Monil. spir. 365.*

3. De S. virgine Gertrude scribitur, eam inspiratam divinitus, tercenties sexagesies & quinies verba illa Christi, *Non mea voluntas fiat, sed tua*, repetiisse; & intellexisse, hoc Deo quàm gratissimum fuisse. Hæc ergo exempla ipsi imitemur, huic rei orationem applicemus, huic exercitio maximè insistamus, in quo Dominus ipse, Salvator noster, nobis præivit. Ut verò meliùs maiorique cum fructu id faciamus, duo notanda & præsupponenda sunt.

Praxes illæ maximè sunt usurpandæ tempore adverso.

4. *Primum*, exercitio hoc in tempore adversitatis potissimùm opus esse, quando, nimirum, difficilia carnique contraria nobis offeruntur: talibus enim in occasionibus virtute magis est opus, & meliùs tunc apparet quo quisque in Deum amore sit. Quemadmodum Rex aliquis pacis tempore ostendit, quo in milites suos sit affectu, dum variis eos donariis & beneficiis afficit; milites verò belli tempore vicissim declarant, quàm illum diligant & æstiment, dum pro illius capite pugnant ac mortem oppetunt: ita cœli Rex, tempore consolationis & favoris, demonstrat, quo nos amore complectatur; nos verò, quo in

in eum amore feramur, tempore nubilo,& tribulationionis potiùs quàm prosperitatis & consolationis.

Tom.2. Ep f.20.
Iusti soli in adversitate laudant Deum. & hæc perfecta Dei laus est.

5. Unde benè R.P.M. Avila ait, gratias Deo agere tempore consolationis,esse omnium; at, tempore tribulationis & adversitatis nonnisi bonorum & perfectorum, hocque suavissimam & gratissimam in auribus Dei esse harmoniam. Plus valet, inquit,unum in adversis, *Deo gratias*, & *Benedictus Deus*, quàm sex mille gratiarum actiones, & benedictiones tempore prosperitatis prolatæ.

Eccli.32.7
Iustus ut carbunculus fulget nocte adversitatis.

6. Propterea etiam sacra Scriptura justos ait esse, ceu *gemmulam carbunculi in ornamento auri.* Nam sicut hæc de nocte magis quàm interdiu collucet & fulget: ita justus,& verus Dei servus,magis in tribulationum & laborum tenebris lucet, resplendet, suique fulgorem exerit, quàm in die prosperitatis.

Exempla.
Tob,2.14.

7. Unde etiam in S. Scriptura pius senex *Tobias* hoc nomine deprædicatur, quòd, cùm, permittente Domino, post multas alias ærumnas, tandem etiam oculorum lumen amisisset; non propterea contra Dominum murmuravit,factus tristior, nec à fidelitate & obedientia priore vel latum unguem recesserit: sed immobilis,constans & integer permanserit, omnibus vitæ suæ diebus non minùs ob immissam cæcitatem, quàm ob habitum aliàs visum Deo datori omnium gratias agens. Sicut & *S. Iobum* suis in ærumnis & miseriis fecisse legimus.

Iob.1.21.

Serm.4. ad fratres in Eremo.

8. Hoc nostrum est, inquit Augustinus,imitari studere, *ut in cunctis iidem simus, & tam in prosperis, quàm in adversis*, eandem alacritatem & constantiam præferamus. *Sicut manus,quæ eadem est & cùm in palmam extenditur, & cùm in pugnum constringitur*: ita servus Dei in interiori animæ suæ semper idem maneat oportet,etsi in exteriori & deforis angustiari & dolere videatur. Gentilis Socrates uno semper eodemque vultu fertur fuisse in quibuscunque casibus. Unde hoc illi dat Cicero elogium, *Nec hilariorem quisquam, nec tristiorem Socratem vidit: æqualis fuit in tanta inæqualitate fortunæ usque ad extremum vitæ.* quare mirum non erit,aut multum,si nos Christiani, ac Religiosi, eò pertingere studeamus,quo Gentilis ille Philosophus pertigit.

Iustus semper idem, sive sibi similis est per has praxes.

Cic.Lib.5. Tusculã.

9. *Alterum*, quod notari debet, est,non satis esse, ut hanc cum Dei voluntate conformitatem in generali habeamus: propterea quòd facile sit, hanc ita in generali habere. Quis nostrûm enim non dicat, velle se,ut Dei voluntas in omnibus fiat? Omnes quippe, tam mali, quàm boni, quotidie in oratione Dominica dicunt, *Fiat voluntas tua*, Domine, *sicut in cœlo & in terra.* amplius quid requiritur; nimirum, ad particularia est descendendum, ad ea, inquam, quæ plus nobis videntur allatura negotii, si offerrentur. Nec antè quiescamus oportet, quàm omnes has difficultates ita superemus ac transcendamus, ut nulla omnino, quæ nos remoretur, supersit; & donec nihil omninò sit in quo nos totaliter cum Dei voluntate uniamus & conformemus; sed ut, quodcunque demum

Indifferentia in genere facilis videtur, ad particularia descendendum.

Tract.5. c.16.

mum nobis offeretur, animosè ei nos objiciamus.

Tendendum est etiam eo ut delectemur hac praxi.

10. Imò ne hoc quidem satis nobis esse debet, sed semper ulteriùs est progrediendum, nec antè sistendum, quam visceralem & intimam quandam voluptatem delectionemque sentiamus in eo, quòd Dei voluntas in nobis, tametsi per labores, dolores & vilipendia, adimpleatur. atque hic tertius est conformitatis gradus. Nam etiam in hac re diversi sunt gradus, unusque alio eminentior & perfectior: qui tamen omnes ad tres præcipuos reduci possunt, quemadmodum & tres patientiæ gradus à sanctis Doctoribus traduntur.

Tres gradus Indifferentiæ. Primus, præcepti, patienter ferre.

11. *Primus* gradus est, quando quis casus dolorem & amaritudinem aliquam includentes adeò non desiderat & amat, ut etiam abhorreat & fugiat; eos nihilominus tolerare mavult, quàm, quò illos fugiat, quid cũ peccato coniunctum committere. Hic infimus est gradus, qui etiam cum præcepto est coniunctus. Adeò ut, etsi aliquem casus evenientes dolorem, amaritudinem & tristitiam homini adferant: & is, dum æger est, querulus ingemiscat, præque dolorum vehementia in clamores inconditos prorumpat, imò etiam ob parentum mortem plangat; hanc nihilominùs cum Dei voluntate conformitatem concordiamque habere queat.

Secundus Consilii, libenter ferre.

12. *Secundus* gradus est, quãdo quis, tametsi mala evenientia, non desideret, nec eligat; postquam tamen jam evenerunt, libentèr ea admittit ac tolerat, quòd ea Dei voluntas sit ac beneplacitum. In hoc ergo hic gradus priori præstat, quòd hominem propter Deum aliquatenus erga pœnam affici, illumque eam amare faciat; quodque is eam ferre velit, non tantùm quòd necessitate præcepti eam ferre tenetur; verùm etiã, quòd illius tolerantia Deo sit gratior. Primus gradus mala tolerat cum patientia. Hic facit, ut etiam promptè & libenter perferantur.

Tertius perfectionis, desiderare & gaudere.

13. *Tertius* demum est, quando Dei servus, ex ingenti, quo erga Dominũ fertur, amore, pœnas malaque ab ipso immissa, non solùm patienter ac libenter fert & admittit, verùm etiam ultrò desiderat, in iisque plurimùm gaudet, quòd illa Dei sui sit voluntas. Sicut de Apostolis ait S. Lucas: *Ibant gaudentes*, publicè jam flagellis cæsi, *à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*: Act. 5. 45. Et Apostolus Paulus de se ajebat: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*, vinculis & adversitatibus. 2. Cor. 7. 4. Atque hoc ipse nomine Hebræos in Epistola ad eos missa, dilaudat, dicens: *Et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.* Heb. 10. 34. Huc itaque ut, juvante Dei gratiâ, perveniamus, etiam atque etiam conniti debemus, scilicet, ut cum gaudio & alacritate, omnes quæ nobis accident, tribulationes & adversa suscipiamus: ad quod nos etiam Apostolus Jacobus in sua Canonica cohortatur: *Omne gaudium*, inquit, *existimate, fratres, cùm in tentationes varias incideritis*. Iac. 1. 2.

Voluntas Dei condimentũ adversitatis. 14. Voluntas quippe ac beneplacitum Dei tam nobis pretiosum & dulce esse debet, ut, quidquid amari nobis acciderit, hoc condimento dulcoremus: omnesque mundi huius labores & amaritudines ideò nobis dulces & sapidę fieri debent, quòd nonnisi è Dei beneplacito nobis obveniant. Et hoc sibi vult S. Gregorius, sic in Moralibus scribens: *Si mens in Deum forti intentione dirigitur, quidquid sibi in hac vita amarum sit, dulce æstimat; omne quod affligit, requiem putat; transire & per mortem appetit, & obtinere plenius vitam posit.* Li. 7. Moral. c. 7.

Voluntas Dei cordis conclave ad requiem. 15. S. Catharina Senensis in Dialogo, quem de consummata Christiani hominis perfectione scripsit, inter alia, quæ à dulcissimo sponso suo Christo didicit, hoc non postremum fuisse ait: homo quoddam velut cõclave in corde exstruat, valido fornice, divina, inquam, voluntate, compaginatum; in quo sese in silentio recludat, perpetuoque commoretur, nec õculos, nec pedes, nec manus inde unquam removeat, sed semper recollectus in eo maneat, non secùs atque, aut apis in alveario, aut margaritum suo in conchyli. Hoc enim conclave, etsi initio illi angustum videretur, postea tamen spatiosissimum appariturum, ipsumque eodem non egrediendo, per æterna cæli habitacula ambulaturum, & quàm brevissimo tempore ibi consecuturum, quod, extra ipsum, ne multis quidem annis haberi posset. Hoc nos consilium sequamur, hoc continuum nostrum sit exercitium, dicendo: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant. 2. Nam vel hæc duo verba satis materiæ includunt, in qua toto vitæ tempore nos exerceamus; unde etiam semper in ore, & corde ea habeamus oportet.

Caput XIII.

De indifferentia, & conformitate cum divina voluntate, quam habere Religiosus debet, ad in eam orbis partem proficiscendum & habitandum, ad quam à Superiore destinabitur.

1. Ut verò maiorem ex hoc conformitatis cum voluntate Dei exercitio fructum capiamus, & opere quæ ante dicta sunt exequamur; jam sigillatim in particulari primaria quædam capita deducemus, in quibus nos Religiosi oportet exerceamur; inde ad alia generalia, quæ ad omnes in genere pertineant, descensuri. Ordiemur hîc ab aliquibus rebus particularibus, quę in Constitutionibus nostris præscribuntur: in his namque præcipuè suam Religiosos virtutem ac Religionem patefacere par est. Hanc verò quisque doctrinam ad alia similia, quæ suo in Ordine & statu reperiuntur, applicare & trahere poterit. Ad specialia in practicis descendendum.

2. S. P. N. in septima Constitutionum parte, de Missionibus (quæ sunt unum de primariis Instituti nostri capitibus) agens, Societatis nostræ hominibus perinde esse debere ait, in quam orbis regionem à Superiore mittantur, ut in eam vel ad tempus proficiscantur, vel sedem stabilem figant, tam inter fideles quàm infideles, tam in Indiam ad barbaros, quàm 7. p. Constit. c. 1. §. 1. Indifferentia ad habitationis locũ, ex Constit. & voto Soci.

ca. Exam. §.5. & 5. p. Constit. c.3. §.3. & C. & p.6. c.2. §.13. & 1. & p. 7. c.1. §.3. & E. & 7. p. Constit. c.1. §.1. & B.

quàm ad hæreticos. Ad quam se indifferentiam Professi, quarto solenni speciali sobedientiæ voto, Summo Pontifici obstringunt, ituros se, scilicet, promptissimè & libentissimè, sine tergiversatione & excusatione ulla, in quamcunque mundi partem eos sua Sanctitas mittere voluerit, nihil aut sibi, aut alii cuipiam, temporalis subsidii postulando, quo vel in itinere, vel in loco ad quem abeunt, utantur; sed se, vel pedestres, vel equestres, tam cum viatico, quàm sine illo, & stipem petendo, profecturos, prout suæ Sanctitati meliùs in Domino esse videbitur, & magis expedire. Addit autem eo loco S. P. N. non alium voti huius faciendi finem & intentionem esse, quam ut meliùs se quis cum Dei voluntate componat & conformet.

Origo huius Constit. & voti specialis.

3. Cùm enim primi illi Societatis Patres è diversis essent provinciis & Regnis oriundi, & ignorarét prorsus, quibusnam in mundi partibus Deo gratius præstare obsequium possent, fideles ne inter an infideles; hinc, ne in Dei voluntate cognoscenda errarent, per speciale hoc votum se Christi in terris Vicario obstrinxerunt, ut per eas mundi partes ille ipsos distribueret, in quibus magis Dei gloriam censeret posse promovere. Verùm ipsa persona Societatis, inquit, nulla ratione procurare aut eniti debet, ut ad hunc potiùs locum quam illum mittatur, in hoc illum Superior potiùs habitare sinat quàm in illo; sed prorsus indifferens esse, totam sui ipsius dispositionem in manibus Superioris, qui Dei loco ipsum gubernat, idque ad maius eius obsequium & gloriam, liberam relinquendo.

Exemplũ insigne indifferentiæ huius. Lib. 5. c. 4. vita P. Ignatii.

4. Quàm autem nos B. Pater N. in differentes & paratos esse velit, ad, in quam mundi regionem nos obedientia mittet, in eam abeundum, ex illius Vita colligere est. Cùm quodam tempore ei P. Jacobus Lainius desiderium quoddam ardens sentire se diceret in Indiam proficiscendi, quò miseros illos populos in cœca gentilitatis nocte agentes, & operariorum Evangelicorum defectu pereuntes, in viam salutis revocaret; respondit illi B. P. *Equidem nihil horum desidero.* Causam à Lainio rogatus. *Quandoquidem*, inquit, *obedientiæ voto Pontifici Summo nos devinxerimus, ut ipse nos, pro suo arbitrio ac libitu, quocunque Dei gloria vocarit, mittat, ita nos esse convenit indifferentes, ut non magis in hanc quàm in illam partem inclinemus.* Quin & addidit, *Si ego me ad missionem Indicam, uti tute sentis, impelli ac trahi sentirem; in partem potiùs contrariam inclinare satagerem, ut ad illam æqualitatem indifferentiamque pertingerem, quæ ad obedientiæ perfectionem obtinendam necessaria est.*

Desideria sancta carere debent pervicacia.

5. Non id eò dicimus, quasi desideria ad Indos abeundi, in se mala sint, aut imperfectionem includant, cùm verè bona sint & sancta: quin & laudabile & consultum est, si quando ea Dominus inspirat, Superiori illa proponere & repræsentare. Unde etiam eo Constitutionum in loco S. P.N. Superiores gaudere debere ait, quòd sibi huiusmodi desideria subditi proponant. Hæc enim signa esse

p. 7. Const. c. 2. litt. L.

Deside-ria sancta carere debent pervicacia.

solent, ad hoc illos à Domino vocari; itaque maiori suavitate omnia peraguntur. Verùm ideo tantùm id dicimus, ut appareat quantam nos S. P. N. indifferentiam & promptitudinem velit, ad in hac illavé mundi parte agendum & abeundum, præferre; cùm etiam in rem tam laboriosam, itaque ad Dei gloriam spectantem, nos inordinatè affici nolit; propterea quòd hic affectus, ac particulare desiderium indifferentiam illam & promptitudinem, quam ad aliud quidlibet amplectendum, & ad aliam quamcumq; regionem, quò nos obedientia destinare vellet, adeundam semper præferre debemus, tollat & impediat.

Documẽtum I. ex dictis: Desiderium noxium est, quod quietem animi & obedientiam impedit.

6. Ex his corollaria quædam deducuntur, è quibus hoc quod dicimus, planius evadet. *Primum*, si hæc Indiæ petendæ desideria, ea habenti, occasio essent aliquid de illa indifferentia & promptitudine, quam erga res alias à Superiore sibi injungendas habere debet, deperdendi; illa non bona sed imperfecta fore. Si enim ita vehementem, Indiæ, alteriusve cuiuspiam regionis, adeundæ inclinationem, ac tam inflammatum desiderium sentiam, ut me inquietet inque causa sit, ut in hoc aliove loco, in quo me Superior agere vult, quietus & contentus non sim; vel præsentia ministeria, in quibus modò distineor, debita promptitudine, lubentia, & animi applicatione, non obeam, quòd oculos & animum in aliud jam penitus defixerim; certum est, desideria illa nec bona esse, nec à Deo descendere, cùm eius illa voluntatem impediant, Deus autem sibiipsi nequeat adversari.

Deus auctor pacis.

Signum veras inspirationes dignoscendi

7. Præsertim, quòd desideria & inspirationes à Spiritu sancto descendentes, nullam secum trahere inquietem aut turbationem, sed magnam afferre pacem tranquillitatem que solent. Atque hoc unum è signis est, quæ vitæ spiritualis magistri assignãt, ad dignoscendum, num interiores inspirationes & desideria à Deo proveniant, an secùs.

Documĕtum II. Generalis indifferentia est melior particulari desiderio, quantumvis laborioso.

8. *Secundum*, quod hinc sequitur, est eum, qui promptam & differentem quandam in genere dispositionẽ habet, ad quodcumque mundi clima adeundum, aut quidvis, quod sibi Superior præceperit, suscipiendum (etsi particularia illa desideria, & propensionem, de India, aut alia qualibet remota orbis parte petenda, quam alii habent, minimè sentiat) propterea tristari vel angi non debere: neque enim idcirco deterioris conditionis censendus est, quin imò melioris. Hæc namque illa dispositio est, quam ab omnibus qui Societati nomina dedimus, S.P.N. requirit, nimirum, ut quantum est ex parte nostra, nullum particularem erga hoc potiùs quam illud affectum præferamus; sed, ceu examen & statera bilancis, non magis in unam quàm aliam partem vergamus. Quales, sanè, in ea plurimi sunt, &, ut quidem credo, potissima Sociorum pars.

P. Natalis indifferentia.

9. P. Hieronymum Natalem S. P. Noster quam piam in missionem mittere decreverat; antè tamen quã mitteret, scire volebat utram ipse in partem propenderet, ut maiori res suavi-

suavitate perageretur. Respondit Natalis scripto, *in neutram planè se inclinare, præterquam in hoc, quod in nullam inclinare vellet.* Hoc ipsum est quod S. P. N. ut melius & perfectius reputat.

Firma.

10. Nec immeritò, quòd alius quispiam uni rei videatur acclinare animam suam, hic verò suâ indifferentia, quæcunque demum sibi imperari possunt complectatur, & ad omnia indifferenter æqualiterque dispositus ac paratus sit: atque uti Deus cor & voluntatem uniuscujusque in particulari intuetur, & eam pro facto reputat; hæc eo apud illum loco sit, tanquam si jam opere ipso omnia præstitissent.

Ex desidia labores malum est. Melius est indifferentem esse ad omnia, quam certum quid impensius urgere.

11 Ut verò magis hoc declarem, dico, si quis ob inertiam, pusillanimitatem, & parvam sui mortificationem, hæc Indiæ adeundæ desideria in se non sentiat, ne scilicet, quibus frui, aut fruiturum hîc se putat, commoditatibus carere, vel laboribus & ærumni, quæ iis in locis subeundæ sunt, se exponere cogatur; magnæ id imperfectionis & amoris proprii indicium fore:at, cùm nec ex desidia, nec quòd ei desiderium & animus, ad hos aliosq; majores propter amorem Dei & salutem animarum labores subeundos, desit, hæc minimè desidera; sed tantùm, quòd nesciat an hæc Dei sit voluntas, vel num is aliud à se exigat; ipse interim à parte sua tam ad hoc, quàm ad omne quod Dei esse voluntatem intelliget, ita dispositus & paratus sit, ut, si vel in Indias, vel Angliã, vel aliò quolibet destinetur, tam sit æquanimiter, libenter & indifferenter iturus, quàm si id ipse desiderasset, vel petiisset; & fortassis etiam libentiùs (quòd jam securior sit, se in hoc non suam, sed purè Dei voluntatem facere;) minimè dubitandũ est, quin longè id melius & perfectius futurum sit. Hinc etiam Superiores libenter eos in Indiam mittunt, qui isthanc dispositionem & ad omnia paratam indifferentiam præferunt.

Nulla est ratio cur indifferentia debeat seponi.

12. Verùm, ut ad primarium materiæ caput revertamur, vult S. P. N. talem omnes nos indiscriminatim indifferentiam & resignationem habere, ut æquè libenter in hac, ac illa regione, æquè in una provincia agere velimus, ac in alia; ita quidem, ut nec valetudinis corporalis intuitus ab hac nos indifferentia queat divellere. In tertia autem constitutionum parte, proprium vocationis & instituti nostri esse ait, per varias mundi partes discurrere ac peregrinari, & iis in locis habitare, in quibus majus Dei obsequium, uberiorque animarum messis speratur.

3. p. Constit. c. 2. litt. G.

Infirmus Societatis mutationem loci nec petat, nec se propẽsum ostendat, sed re syncerè proposita curiã Superiore relinquat omnem.

13. At si experientiâ compereretur, loci alicujus aerem & auram valetudini cujuspiam obesse, ac proinde assiduè eum ægrotare; videat Superior, num illum aliò mitti expediat, ubi possit, corpore meliùs habens, Dei obsequio animarumque conversioni ferventiùs impensiusque vacare. *Non tamen*, inquit, *erit ipsius infirmi hujusmodi mutationem postulare, nec animi propensionem vel eam ostendere, sed Superioris curæ id relinquetur.*

Quanti momẽti sit hæc indifferentia.

14. In quo sanè non exiguum quid B. Pater à nobis exigit, sed rẽ maximam. Etenim hominem benè indiffe-

differentem & mortificatum esse oportet, non solùm ad mutationem illam non petendam, verùm ne ad propensionem quidem ullam erga illam ostendendam, etsi continuò cum adversa valetudine confligat. Adeò ut, quantum ad profectionem Indicam, aut ad missionem in regiones hæreticas pertinet, suam quidem quis Superiori inclinationem & desiderium liberè, (sicuti diximus) proponere possit, etsi alioquin cum indifferentia & resignatione; nulli tamen conceditur, ut hanc ipse mutationem ultrò petat, propensionemvé & desiderium aliquod erga eam (quod amplius est) ostendat. Sed tantùm permittitur, ut si se infirmum ac valetudinarium sentiat, suam Superiori infirmitatem, indispositionem, & ad ministeria obeunda inhabilitatem significet: quod etiam particulari quadam regula facere jubemur.

3. p. Constit. c. 2. lit. L.

3. p. Constit. c. 2. n. 1. & lit. G

Ratio cur proposito deside rio suo, quiescẽdum sit subdito.

15. At facta hac propositione, non est quod subditus ulteriùs laboret; at Superioris est, dispicere, num, his præsuppositis, eum aliò, ubi fructum maiorem sit, meliore utens valetudine, facturus, mittere expediens futurum sit, aut, utrum è maiore Dei futurum gloria, ut ibi maneat, etsi minus sit fructus, & fortassis etiam nihil prorsus, editurus. Hoc autem non est subditi curare; at se quisque à Superiore, qui Dei loco ipsum regit, dirigi sinat, ut, quod ille statuerit, hoc & melius, & ad maius Dei obsequium fore judicet.

Seculares in locis deligendis parũ curant valetudinem.

16. Quàm multi sæculares, tum in his, tum in aliis regionibus, suæ valetudini adhuc magis contrariis & noxiis, degunt, quòd ibi victum commode lucrantur! Quot homines, exigui lucelli spe, mare conscendunt, & in Indiam, Romam, Constantinopolim, & aliò se conferunt, ac non valetudinem modò sed & vitam in præsentissimum discrimen conjiciunt! Non ergo multum fecerimus Religiosi, si id ipsi propter Deum, & ex obedientia facimus, quod mundani auri & quæstus intuitu faciunt.

Expedit otiari pro Deo, quàm ex re laborare.

17. Imo verò, si menti obrepat cogitatio, te alio in loco aliquid (fortè etiam multum) facere posse, in eo autem quo versaris, tam sinistra uti valetudine, ut nihil penitus facere valeas; memineris, satius esse, ibi ex Dei voluntate te manere, nihil prorsus faciendo, quàm alibi ex tuo beneplacito, quantumlibet multum præstando; teque cum Dei voluntate conforma, id à te in præsens, ob causam quam ipse novit, te verò scire non est necesse, exigentis.

1. p. lib. 7. … 5. Histor. Min.

Exemplum S. Ægidii indifferẽtia quoad locum.

18. S. Frater Ægidius (ut in Chronicis Minorum refertur) cùm à S. Francisco, quocunque se conferendi, & qua liberet provincia conventuq; agendi, facultatem accepisset (liberum enim id illi relinquebat, quòd multum de illius virtute & sanctitate præsumeret;) vix quatriduum hac licentia usus erat, cùm solitam mentis tranquillitatem & quietem imminui, suam contrà animam inquietari perturbarique sensit. Unde S. Franciscũ adiit, instantissimè ab eo petens, locum sibi & conventum certum, in quo viveret, designaret, nevé posthac habitationis locum liberum relinqueret, palàm testatus, nullam se in arbi-

arbitraria, libera & laxa illa obedientia quietem animævé tranquillitatem invenire posse. Boni Religiosi nullam in propriæ voluntatis adimpletione pacem, quietem nullam inveniunt; unde nec hunc vel illum conventum, habitationisvé locum desiderant, sed exspectant ut Superior, quem voluerit, sibi assignet: hoc quippe sciunt, Dei voluntatem esse, in qua sola quietem & consolationem inveniunt.

Caput XIV.

De indifferentia & concordia cum Dei voluntate, quam habere Religiosus debet, circa quodlibet officium & munus sibi à Superiore iniunctum.

Quomodo in aliis officiis indifferentia uti possimus.

1. ILla, quam hactenus explicuimus, indifferentia & resignatio, etiam in quolibet officio & munere, quo Superior nos fungi volet, nobis est usurpanda. Quàm multa, quamque varia sint Religionis officia ac ministeria, notissimum est. Per horum ergo singula cogitatione quisq; discurrat, ac velut catalogum texat, donec pari modo, & æquè indifferenter erga unumquodque se affici comperiat. Unde B. P. N. in Constitutionibus sic statuit, quod etiam in regulas communes relatum est: *In exercendis officiis abiectis & humilibus, promptius ea suscipi convenit, à quibus sensus magis abhorrebit; siquidem iniunctum fuerit, ut in eis se exerceat.*

Cap. 3. Exa §. 28. & reg. 13. summar.

Humilia officia ambiēda, si quid ambire placet.

2. Hinc in vilibus & humilibus officiis magis indifferentia & resignatio requiritur, propterea quòd natura & sensus nostri ab iis abhorrent. Quocirca plus haud dubiè præstat, maioremque virtutem & perfectionem ostendit, qui ad huiusmodi officia Deo se offert, quàm qui ad alia honoratiora ad altiora. Proinde ac, si quis tantum domino cuipiam serviendi desiderium haberet, ut ultrò se offerret, ad eius (si ita necesse sit) tota vita ephippiarium & mediastinū culinarium agendum; longè plus præstat, magisque suam illi serviendi voluntatem declarat, quam si diceret, Tuum, Domine, cubicularium & œconomum agam. Illud enim potius esset, beneficia & benevolentiam poscere, quàm obsequia deferre. Tanto etiam pluris hic affectus faciendus foret, quanto pluribus ad magna munia obeunda dotibus & talentis instructus esset qui ad humilia ac servilia operam suam defert. Pari modo, si hoc pacto te Deo offeras, *Serviam tibi, Domine, in officio concionatoris, vel Professoris Theologiæ*; parum admodum præstas (quod eminentia & honorabilia officia natura sua appeti solent) tuumque Deo famulandi animum parum hac ratione ostendis. At, cùm te offers, ad omnibus vitæ tuæ diebus in domo Domini abjecta, vilia, carnique ac sensualitati tuæ repugnantia officia peragenda; tunc magis tuum Deo serviendi desiderium & animum prodis.

Quanto maiores, humiliare in omnib.

3. Hoc etiam pluris est faciendum; idque eò magis, quo maioribus, ad officia altiora & digniora obeunda, talentis dotatus eris. Debe ret profectò hoc nobis sufficere, ad obje-

Nil vile in domo Dei.

objecta humiliaq; officia desideranda, maioremque semper erga eadem affectum concipiendum; præsertim cùm in domo Domini nullum sit officium vile. Si enim in aula Regis nullum vile officium ducitur (nam Regi, etiam in quocunque officio, servire permagni æstimari solet) quãto pluris fiet servire Deo, cui servire regnare est?

In reg. fusi disp. interr. 7. Christi exemplũ ad humilia nos invitat. 4. S. Basilius, quò nobis officiorum vilium & humilum amorem ingeneret, Christi ad hoc exemplum adducit, quem similibus in officiis se occupasse ex Evangelico textu colligimus, uti dum discipulorum suorum pedes abluit. Neque verò hîc eius humilitas stetit; sed longo etiam tẽpore sanctissimæ matri suæ & Josepho est famulatus, & tam huic quam illi, in omnibus quæ sibi imperabantur, quàm obsequentissimè paruit. Unde etiam post duodecimum ætatis eius annum, usque ad trigesimum, aliud Evangelici scriptores de eo non commemorant, quàm unum hoc, *Luc. 2. 51.* *Et erat subditus illis.*

Christus 30. annis subditus parentibus. 5. Quare non sine fundamento contemplantur scriptores pii, eum in variis officiis abjectis & humilibus parentibus servisse & adjuvisse; maximè, cùm tanta eorum esset paupe-ries, quantam fuisse constat. *Ne ergo dedignetur facere Christianus*, multo minùs Religiosus, *quod fecit Christus.* *S. August. tract. 58. In Ioann. in illa verba.* Si ergo ego lavi. Cum, inquam, filius Dei nón sit dedignatus in abiectis hisce officiis nostri causâ se exercere, ne dedignemur & ipsi nos in iisdem, eius ergô, exercere, etsi alioquin totum vitæ curriculum iis esset impendendum.

Voluntas Dei esse ponatur quod im ponitur a superiore. 6. Jam ad id quod dicere proposuimus, propiùs accedamus. Una sanè ex præcipuis rationibus & motivis, ob quas quodvis officium & ministerium; cui nos Superior applicat, libentissimè acceptemus, esse debet hæc; nimirum nobis persuadere, hanc Dei esse voluntatẽ: quia, ut jam *Cap. 4. & 5. & Tra. 3. c. 8.* suprà dictum est, hæc semper nostra omnibus in ministeriis esse debet consolatio & gaudium, quòd Dei in iisdem voluntatem exequamur. Hæc scil. una cogitatio animam satiat, & ei satisfacit: Vult Deus hoc me modò agere; hæc est Dei voluntas: amplius nihil desiderandum: nihil enim Dei voluntate aut melius est, aut sublimius. Eorum autem qui hoc modo procedunt, non magis interest, hoc ne an illud iis præcipiatur, utrum alto an abjecto officio applicentur. Nam omnia illis in idem recidunt.

7. Egregium, & huic proposito *In Regul. monac. c. 12.* accommodũ, exemplũ refert S. Hieronymus: Exemplum. cùm enim is veteres illos sanctosque eremi monachos visitaret, incidit in unum cui Superior (quòd eum in spiritu promovere; simulque aliis junioribus in obedientiæ exemplum dare vellet) mandarat, ut bis de die ingens humeris saxum ad tria passuum millia (leucam ea nostratem conficiunt) gestaret; qui tamen labor nec necessarius, nec utilis erat, sed ad obedientiam exercendam, propriumque judicium abnegandum duntaxat valebat. In quo se jam ille octennium totum exercuerat. Quoniam vero factum hoc, inquit Hieronymus, iis, qui virtutis obedientiæ valorem & pretium ignorant,

rant, & nondum ad eiusdem puritatem & simplicitatem pervenerunt, (eò quòd spiritu superbo sint & elato) aut ludicrum puerile, aut certè opus frustraneum videri fortè poterat; rogavimus eum (& ego inprimis) quomodo hanc ipse obedientiam ferret, scire cupientes, quales in anima motus, cum istud faceret, sentiret. Quibus ille respondit: *Non minùs lætus & hilaris sum, labore hoc expleto, quàm si rem maximam maximiq; pretii, quam Superior iniungere posset, peregissem.* Addit autem Hieronymus, ita se hoc illius responso introrsum motum fuisse, ut ex eo tempore primum ipse monachi ritu vivere cœperit.

Monachus lætus quòd obedientiam in re ad speciē stulta explesset.

8. Hoc, sc. est verum monachum esse, verique Religiosi more vivere, non sistere scil. in exterioribus, sed exactè Dei voluntatem & beneplacitum adimplere. Hi sunt, qui in virtute & perfectione mirum in modum proficiunt, & insignem progressum faciunt; quòd voluntatis divinæ adimpletione, velut cibo sapidissimo nutriantur, & flore farinæ & *adipe frumenti* satientur.

Voluntas Dei perfectionis mensura.

Ps. 147. 14.

9. At dicet mihi quis, Magnam quidem perfectionem video consistere in eo, quòd Dei voluntas in omnibus rebus adimpleatur, quodque in quovis exercitio mihi à Superioribus præscripto, voluntatem Dei facere possim; vellem tamen me in re alia digniore honoratioreque occuparent, in eaque Dei ipse voluntatem adimplerem. Hoc est, in ipsis errare principiis, &, verbo ut dicam, velle ut Deus tuæ voluntati obsecundet, tu verò nolis te illius accomodare. Non est meum, Deo leges præscribere; nec velle, ut se ipse cum eo, quod mihi optimum videtur, quodque ipse vellem, conformet; at ego contrà illius nutum sequi, ac me cum eo quod ipse de me statuere vult, conformare debeo. Unde præclarè D. Augustinus, *Optimus minister*, inquit, *tuus*, Domine, *ille est, qui non magis intuetur hoc à te audire quod ipsemet voluerit, sed potiùs hoc velle quod à te audierit.* Et S. Nilus Abbas, *Non ores, ut fiant quæ fieri velis, sed potiùs ora, sicut orare didicisti à* Christo, *ut fiat voluntas Dei in me.*

Sunt qui volunt ut Deus se ipsis subdat, & sic Deo parere falsò.

Li. 10. Cōfess. c. 26.

Velis quod audis; nec cupias audire quod velis.

Cap. 29. de oratione.

10. Punctum hoc inprimis notandum est, quòd maximè sit utile, & in omnibus, quicunque nobis occurrere queunt, laboribus, malis, & casibus habeat locum. neque enim nostrum est deligere, quanam in re, & quo modo pati debeamus, sed Dei: uti nec seligere, quas tentationes habere velimus; nec ita loqui, Si aliud tentationis genus foret, parum curarem; sed hanc prorsus ferre non valeo. Si enim pœnæ & gravamina, quæ nobis accidunt, essent talia qualia vellemus, jam gravamina non essent, utpote ad libitum accidentia. Si verè Deo placere velis, petas oportet, ut eâ te viâ conducat, quâ ipse te & norit, & velit, conducere, non verò quâ tu te deduci velis.

Ora quod Deus vult, non quod tu vis.

Qui habet quod eligit, nil patitur.

11. Cum tibi Dominus immittit, quod minùs tibi placet, quodq; magis refugis pati, & te nihilominùs cum illius voluntate conformas; tunc magis Redemptorem tuum Jesum imitaris, qui dixit: *Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat*, Pater. Hoc est totalem

Tunc maximè laudandus Deus, cùm occurrit quod minimè velles.

Luc. 21. 42.

totalem cum Dei voluntate conformitatem & consonantiam habere, nimirum, nos totos ei offerendo, ut quodcunque, quandocunque, quomodocunque ipse voluerit, de nobis faciat ac statuat; idque sine ulla exceptione & contradictione, & nihil prorsus nobis reservando.

c.10. Monil spirit. & Bredēbach.lib.8 Coll. c.29. Summa impatiētia sibi ipsi crucem eligere velle

12. Cùm sancta virgo Gertrudis commiseratione mota (ut Lud. Blosius narrat) pro quadam persona oraret, quam audierat impatienter conquerentem, ob immissa sibi gravamina saluti suæ minùs convenientia, respondit ei Dominus, *Dices illi pro qua oras, ut quia sine aliqua saltem tribulatione vel molestia regnum cæleste obtineri non potest, eligat atque indicet, quænam gravamina sibi utilia putet: &, cùm hæc ipsi evenerunt, servet patientiam.* è quibus Domini verbis, eorumque proferendorum modo, Gertrudis intellexit, periculosissimum impatientiæ genus esse, quando homo eligere vult quæ ferat; saluti suæ minùs congruere, seque non valere sustinere dictitans ea gravamina, quæ sibi à Deo immittuntur. Etenim quilibet credat ac confidat oportet, illud convenientissimum sibi & utilissimum esse, quod Deus imponit, aut evenire permittit: unde magna cum patientia ipsum ferre debet, in eo se cum Dei voluntate conformando.

Accipiendum, non eligendum, quod feras aut facias.

13. Sicut ergo nec gravamina & tentationes, quas feras, eligere ipse debes, sed quas Deus immittit, eas velut de manu eius accipere, tibique persuadere, eas esse quæ tibi magis conveniant: ita nec officium ministerium ve tibi faciendum debes eligere, sed velut à Dei dextra admittere id, quod tibi Superior præscribet; firmiterque tibi persuadere, illud esse quod tibi magis congruit.

Blosius Monil. spir. c.13. Velis nescire quid Deus de te velit facere.

14. Aliud punctum imprimis spirituale, ad hæc addunt spiritualium rerum scriptores, docentque hominem ita in Dei voluntate resignatum, deque ea securum ac certum esse debere, ut scire prorsus nolit, quid de se Dominus facere & disponere velit. Dum in mundo dives aliquis paterfamilias ita œconomo procuratorique suo fidit, ut, quis rerum ac domus suæ sit status, vix sciat; insignis confidentiæ in ipsum id argumentum est; quod sibi œconomus Josephus in domo heri sui ait contigisse: *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua.* (Gen. 39.) Pari modo, magnam quis se in Deo repositam habere fiduciam ostendit, quando scire non vult, quidnam de se facere ille velit, dicitque, Felicem fidumque nactus sum Dominum: hoc mihi sufficit. *In manibus tuis sortes meæ:* (Psal. 30.) hoc ego contentus & securus vivo; plura me inquirere ac scire non est necesse.

Se decipiunt, qui in altioribus nec se magis Deo placituros arbitrantur.

15. Illos verò, qui loca, officia, ministeria ue altiora sectantur, rati vberiorem se in illis, quoad animarum conuersionem, fructum, nec se non maius Dei obsequium facturos; non parum dico falli, dum quendam erga maius Dei obsequium, & amplius animarum bonum, zelum esse arbitrantur, cùm non nisi inanis honoris, æstimationis & commodi proprij zelus & desiderium sit: qui idcirco isthoc officium & ministerium desiderant,

rant, quòd honoratius sit, aut magis ad stomachum & inclinationem faciat. Clarè id patebit ex eo, quod sequitur: si ipse aut in sæculo esses, aut solus, videris liberè dicere posse: Hoc est melius, quàm illud, & conversioni animarum utilius, ideo propter hoc istud relinquere volo, quia non possum unus omnibus sufficere.

Altiora relinque aliis tu minora amplectere.

16. At hîc in Religione, non est hoc pro illo relinquendum; sed tam hoc, quàm illud fiat necesse est. Hoc solùm advertendum est, si tu altiora secteris, debere alium humiliora peragere. Si autem verè humilis essem, potiùs velle deberem, ut alius officium sublime & honoratum peragat: credere namque debeo, illum meliùs ac majori cum fructu, minori etiam cum vanitatis periculo, eo perfunctum quàm ego.

Lib. exer. ci. spirit. Ad imitationẽ Christi viliora mihi amplectenda.

17. Ad hoc, aliaque id genus, non parum juvabit doctrina quædam S. P. N. Ignatii, quam pro electionum faciendarum fundamento ponit: in qua tres humilitatis gradus vel modos assignat. Inter quos tertius isq; perfectissimus est, ut cum res duæ parem Dei gloriam & æquale obsequium includentes occurrunt, illam seligam quæ majorem mei despectum & vilipendium contineat; ut hoc pacto Redemptori meo Jesu Christo, qui pro nobis contemni, rideri, despicique voluit, reddar similior, & melior illius imitator.

Altiora etsi charitatem habeant, periclitatur tamen humilitas.

18. In qua re adhuc aliud singulare bonum includitur, nimirum, quia in rebus hujusmodi minus proprii commodi continetur; hinc nulla est homini in illis sui ipsius quærendi occasio, nec tam præsens evanescendi periculum, quam in sublimibus & honoratioribus.

Viliora humilitatẽ augent cũ charitate, ideoq; tutiora.

19. In officiis humilibus exercentur simul humilitas & charitas; & per illa, veluti per proprios actus suos hæc humilitatis virtus egregiè in vigore conservatur: at, in honoratis exercetur quidem charitas, sed nonnisi cum maximo humilitatis periculo. Quod sanè sufficere nobis deberet, non tantùm ad ea non desideranda, verùm etiam ad timenda ac fugienda.

Caput XV.

De conformitate, quam circa donorum ac talentorum naturalium distributionem, cum Dei voluntate nos habere par est.

Quisque suo contentus sit necessè est.

1. Contentus quisque sit oportet eo, quod à Deo illi datum est, eo, inquam, talento, ingenio, intellectu, habilitate, & naturalibus dotibus, quas Deus ipsi communicare est dignatus; neque angi debet aut tristari, quòd non tantam naturæ nactus sit habilitatem & talentum, quantam alius, nec ad tam multa aptus sit, quàm ille. Nemo nostrûm non hac doctrina opus habet: ut enim demus, aliquos quibusdã in reb⁹ eximios esse, & præcellere videri; semper tamen aliquid econtra habent, ob quod humiliter de se sentiant, in quo hanc eos conformitatem habere necesse est.

Periclitatur, qui

2. Quare præmunitos hac in parte nos

non est contentus.

nos esse oportet: hac enim via multos solet dæmon subvertere. Suborietur, v. g. tibi in studiis agenti, & videnti de condiscipulis quendam ingenio tibi antecellere, solidè doctèque argumentari, & aptè ad interrogata respondere, fortè quædam invidiæ species; quæ etsi eò usque non progrediatur, ut ob bonum fratris tui doleas & contristeris (quod invidiæ peccatum propriè est:) quòd tamen collegas tuos ingeniis suis evolare, dotibusque naturalibus præcurrere videas; te verò in postremis hærere, nec eos posse attingere, aut caput extollere; nescio quam sentis tristitiam & melancholiam, & eos inter condiscipulos, animo dejecto & velut confusus; atque inde tibi languenti, animi quædam contractio, pusillanimitas, & à studiis, quinimò à Religione interdum, prorsus desciscendi tentatio oritur. Et certè, hæc tentatio quosdam reipsa à Religione ejecit, quòd in humilitate non benè fundati essent. Putavit nimirum ille, fore, ut se illustrem redderet, inter reliquos condiscipulos primatum ferret, & tota provincia omnium sermonibus ob eminentem doctrinam celebraretur; sed quoniam contra opinionem ac votum evenit, hinc adeò præ infamia confunditur & indignatur, ut diabolus, commodam hanc occasionem videns, non aliter ab hac illum confusione & tristitia liberatum iri suggerat, quàm Religionem prorsus deserendo. Neque verò nova ea est diaboli tentatio, sed vetus admodum, eique usitata.

Exemplum.

3. In Chronicis Dominicanorum illustre, quoad hoc propositum, exemplum refertur de Alberto Magno, S. Thomæ Aquinatis præceptore. Albertus adhuc puer mirè erga Deiparam Virginem Mariam affectus erat, & singulis diebus certum orationis pensum in eius honorem recitabat: cujus etiam intercessione & patrocinio, annum agens decimum sextum, Ordinem D. Dominici est ingressus. Hic cùm adolescentia obtusiori esset ingenio, & ad litterarum studia parum idoneus, condiscipulos verò suos (qui plures erant numero) præstanti subtilique videret ingenio donatos; adeò confusos & animo dejectus fuit, ut, tentante Diabolo, eò sit extremitatis redactus, ut jam de habitu monastico deserendo cogitare inciperet. Hæc dum animo anxiè agitat, mirabili quadam visione fuit in vocatione confirmatus. Quadam enim nocte inter dormiendum videre sibi visus est scalam ad muros Monasterii applicare, ut eâ conscensâ, septis Monasterii exiret. Vix dum conscenderat, quin, ecce, illius in summitate quatuor venerabiles conspicit matronas, inter quas una cæteris videbatur eminere. Ad quas dum propiùs ascendit, illarum una eum arripiens, è scala deturbavit, vetans ne Monasterio egrederetur. Ille rursus instat ascendere; at secunda matrona non aliter eum excipit, quàm prior. Conantem jam tertiò conscendere, rogat tertia matrona, cur Monasterio vellet egredi? Ipse, vultûm pudore suffusus, respondit: Quòd videam, ô Domina, condi-

1. p. l. 3. c. 45. B. Alberti Magni tentatio.

Ejus visio.

sci-

1.p.l.3.c. 45. B. Alberti Magni tentatio.

scipulos meos magnum in Philosophiæ studio profectum facere, me verò irrito & casso in ea conatu laborare: & quòd propterea confundar & pudefiam, inde est, quòd à Religione velim deficere. Tum matrona: Domina illa (quartam designabat) quam illic vides, Dei est mater, ac cœlorum Regina, cujus nos tres famulæ sumus: illi te commenda, quia nos apud eam tibi patrocinabimur, eamque rogabimus, ut benedicto filio suo tibi docile ingenium impetret, cujus adminiculo in studiis litterisque proficias. His auditis, frater Albertus mirificè est recreatus, & à tertia illa matrona ad Deiparam matrem conductus. Benignè ab ea acceptus, & rogatus, quidnam tantopere vellet & desideraret, respondit, Philosophicam, Domina, scientiam (illa enim erat, cui tum operam dabat, quamque non intelligebat) percallere. Jussit eum Virgo Mater, & cœli Regina, bono animo esse, seduloque ei incumbere; fore enim, ut in ea aliquando excelleret. Ut verò noris, inquit, id à me tantùm profici-sci, non tui ingenii acumini, & naturæ habilitati attribuendum: tibi paucis ante mortem diebus publicè in schola docenti, subitò omnium quæ nosti, incidet oblivio. Qua ille visione mirè tunc est recreatus & consolatus: ab illo autem tempore tantos in studiis, non philosophicis modò, sed & Theologicis, ac sacra Scriptura progressus fecit, quantos testantur opera & scripta, quæ posteris reliquit. Tertio autem ante mortem anno, cùm Coloniæ Agrippinæ publicè in cathedra doceret, omnium, quas norat, scientiarum penitus in momento est oblitus, tanquam si toto vitæ suæ tempore nihil artium didicisset. Forsan contigit id in expiationem culpæ, quàm in exigua cum Dei beneplacito conformitate, circa dona ac talenta naturæ à Deo accepta, contraxerat. Quare visionis habitæ tum cùm è Religione exire volebat, memor publicè auditoribus, quod factum sibi erat, enarravit, itaq; ipsis valedicens, intra Monasterii septa se abdidit, totumque deinceps tempus in quiete orationi & contemplationi divinorum impendit.

Ejus visio.

à B. Virgine obtinet ingenium ad scientias.

Humilitas & indifferentia necessaria cōtra tentationes apostasiæ.

4. Ne ergo in id genus pericula incidamus, necesse est nos præmuniri. Necessaria autem ad hoc præmunitio sit, insignis humilitas: ex hujus enim defectu omnis difficultas oritur: dum ferre nequis, quòd omnium studiosorum totius cursus ineptissimus, indoctissimusque habearis. Si ergo Superiores dicant, ineptum esse te, qui in studiis ulteriùs progrediaris: tu interim condiscipulos in magnos Theologos, pòst in illustres Doctores, & insignes concionatores evadere videas; non insigni tibi opus est humilitate, magnaque cùm Deo conformitate, ut hoc probrum æquanimiter feras? Quin & studiorum cursu jam absoluto, præmunitione hac opus habebis, cùm hæc tentatio te invadet: *Cur non sum talis, & ad tam multa utilis, quàm alii: Cur prædicandi, emergendi, cum proximo tractandi, negotiorum cum laude tractandorum, ut sic magnifiam, talen-*

tum non habeo? Idem de iis dico qui Scholastici non sunt: quibus hæ vel similes cogitationes incident: *Vtinam Scholasticus, Sacerdos vel doctus essem, ut in cõvertendis animabus fructum facere possem!* Nonnunquam certè tentatio tam vehemens erit, ut tibi Religiosa vacatione excidendi, imò & salutis æternæ amittendæ, periculum creet; uti in non paucis creavit.

Generalis regula: Quod sis esse velis, nihilque malis.

5. Doctrina hæc, generalis est, hinc eam sibi quisque pro statu suo applicare potest: quare omnes cum Dei voluntate maximè conformes sint oportet, ita ut accepto à Deo talento, &, in quo ab eo constitutus est, statu quisque contentus sit, & amplius esse nolit, quàm se esse velit Deus, S. Augustinus, super illa Psalmographi verba: *Inclinavi cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam,* scribens; hoc omnium ait malorum fuisse principium & radicem. Quia enim primi generis humani parentes plus esse voluerunt, quàm eos fecerat Deus, & plus habere quàm iis dederat; hinc & eo, quem habebant, statu exciderunt, & quod antè ab eo acceperant, perdiderunt.

In Ps. 118, 36.

Gen. 3, 5.

Qui plus petit, & quod habet auferetur ab eo.

6. Hac scilicet esca: *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum*; illos cacodæmon inescatos, de statu suo deturbavit: & hanc nos ab iis hereditatem hereditamus, ut quendam divinitatis appetitum, & dementiam ac phrenesin plus esse volendi, quàm revera sumus, habeamus. Et quoniam diabolo semel per hanc technam benè res cessit cum primis nostris patribus; hinc & nos assiduè per eandem oppgnat, incitando nos, ut plus esse velimus, quàm nos esse velit Deus, ne acceptis ab eo talentis, nec statu, in quo nos posuit, contenti simus. Atque idcirco, inquit Augustinus, sic orat Propheta: Da mihi, Domine, cor ab omni propria utilitate semotum, & fideliter in tuam solius voluntatem ac beneplacitum, non verò in mei ipsius commoda & utilitates inclinatum. Per *avaritiam* porrò hoc loco, omne commodi genus ait designari, non solam pecuniæ & auri cupiditatem. Hancque ait esse cupiditatem, quam *omnium malorum radicem* Apostolus vocavit. 1. Tim. 6. 1.

In Ecclesia varia functiones, uti in corpori membra.

7. Ut ergo dispositionem & indifferentiam hanc omnes habeamus, eo, nimirum, talento, quod à Deo recepimus, & eo statu ac gradu, in quo nos ipse posuit, contenti vivamus; satis nobis est nosse, hanc Dei voluntatem esse. Unde ait Apostolus: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis, prout vult.* Quo loco Apostolus metaphorâ utitur sumptâ à corpore humano, quam & nos suprà alia occasione adduximus; dicitque quòd quemadmodum singula Deus membra in corpore posuit, prout ipse voluit, nec conquesti sunt pedes, quòd non essent caput; nec manus, quòd nõ essent oculi: ita in corpore Ecclesiæ (quin & corpore Religionis) in eo unumquenque Deus statu & officio posuit, in quo eum esse voluit: idque non casu aut fortuito, sed particulari cum nutu ac providentia.

1. Cor. 12. 11.

Tract. 4. c. 4.

Iudicia Dei occulta reverenter habenda.

8. Si ergo te Deus velit esse pedem, nefas est velle esse caput: si manus,

manus, non debes velle esse oculi. Quàm alta, quàm profunda & sublimia sunt Dei judicia! quis ea comprehendat? *Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? Omnia ex te procedunt, Domine, & ideo in omnibus es laudandus: tu scis, quid unicuiq; dari expediat, & cur iste minus, & ille amplius habeat: non est nostrum, sed tuum est hoc discernere.* Quid scis, quid futurum sit de te, si magno esses ingenio, & naturam nactus habilem? Quid scis, an si donum & talentum concionandi accepisses, si multos auditores haberes, magnique ab omnibus fieres; hoc ipsum tibi non in perniciem cederet, sicut aliis plurimis in perniciem fuit, dum eo superbierunt & evanuerunt? *Scientes*, ait idem sanctus scriptor, *libenter volunt videri, & sapientes dici.*

Sap.9.13.
Thom. à Kemp. l.3. de imit. Christi c. 22.
Lib.1.c.2.

Graviore lapsu culminatores ruunt.

9. Si exiguo, quod habes, ingenio, si tenui tua scientia, si tantilla mediocritate, & forsan nec mediocritate quidem, tam evanescis & insolescis, ut te æstimes, aliis conferas, fortassis etiam præferas; si conqueraris, quòd ad hoc illudvé tractandum non eligaris, quid ergo esset, si excelleres, si dotes aliquas raras & extraordinarias nactus esses? Formicis alæ adnascuntur in propriam perniciem: ita fortè & tibi alæ adnascerentur. Profectò, si oculos haberemus lucidos, & non pellicula obductos, si propriæ fascino æstimationis non teneremur; infinitas potiùs Deo datori gratias ageremus, quòd in humili infimoque nos statu collocarit, ac cum sancto illo viro diceremus: *Pro magno etiam reputo beneficio, Domine, non magna habere, unde exteriùs, & secundum homines laus & gloria appareat.*

L.3.do.3. *mit. Christi...*

10. Notant Sancti, quantum in his excellentiis ac talentis periculi subesset; unde non solùm ea non desiderabant, sed sibi etiam ab eis quàm maximè timebant, ob magnum, quod in iis latet, evanescendi perevundique periculum (*ab altitudine diei timebo:*) itaque Deo gratiores fiebant, qui servos suos potiùs vult humiles esse, quàm magnos. Vtinam id ipsi nobis tandem aliquando persuadeamus, & credamus, omnia nonnisi meras esse inanias & stultitiam, præterquam Dei facere voluntatem! Vtinam omne nostrum gaudium in Dei beneplacito poneremus! Si tu sine ullis prorsus litteris, & tu cum exigua scientia tenuique talento, magis Deo places; ad quid & tu doctrinam, & tu maiorem scientiam & habilitatem, talentaq; maiora cupis? Si quam enim ob causam ea desiderari oporteret, id esset, ut per ea Deo magis satisfaceres ac placeres, eique melius servires. Jam, si magis ei placeat, ut vel prorsus indoctus sis, vel saltem non doctior, ac talentũ aptitudinemque minorem à natura habeas (uti certũ est eum velle, cùm ipse sit, qui hanc donorum distributionem fecit) quid angeris, quorsum te crucias? ad quid esse cupis id, quod te esse non vult Deus, quodque minimè tibi expedit ut sis? Sicut non placuere Deo holocausta & splendida illa sacrificia, quæ Saul ei offerre voluit, quia non erat hoc voluntati eius conforme: ita nec ei placebunt

Periculosa dona maiora, minora secura.

Psa.55.4.

Humiles respicit Deus.

Placere Deo animæ finis.

1.Reg.15. 10 & s. 15,21.

Melior est obedientia quam victima.

cebunt alta illa tua & elata desideria. Neque enim in eo bonum, profectus & perfectio nostra sita sunt, quòd litterati, eximiique ac celebres simus concionatores, quòd illustria dona & talenta habeamus, quòd denique in altis & sublimibus rebus versati simus: sed, quòd voluntatem Dei faciamus, quòd bonam nobis ab eo creditorum rationem reddamus, quòd denique talentum acceptum bene impendamus. Quare in hoc unum oculos conjiciamus oportet, non autem in prius illud: hoc enim est, quod à nobis Deus requirit.

Vitã nostra comœdiæ similis.

11. Egregiè hoc declarabit sumpta à comœdiis & actoribus comparatio: his enim commendatio & laus non datur ob personam quam repręsentant, sed ob bonum agendi modum & gratiam, quo suas quisque partes agit. Vnde si meliùs suam agat is qui rustici personam agit, quam qui Imperatoris, pluris ab auditoribus æstimabitur, magis laudabitur, & maius ab agonothetis honorarium accipiet. Pari modo in hac vita (quæ quanta quanta est, nonnisi actio & comædia est statim finienda; utinam verò non aliquando tragœdia sit!) Deus non tam respicit & æstimat personam quam referimus, hic quidem Superioris, ille concionatoris, alius æditui, alius janitoris; quàm gestus, gratiam & modum, quo suam quisque personam agit. Vnde si suo Coadjutor quispiam officio laudabiliter fungitur meliusque suam personam repræsentat, quàm prædicator & Præpositus suam; pluris apud Deum fiet, maiusq; & amplius pręmium honoremq; recipiet.

Non quã in personã, sed quàm bene egeris, quæretur.

Non omnia possumus omnes.

12. Non posset fortè alter ille Regis personam cum laude sustinere; quia verò armigeri aut pastoris benè repræsentavit, hinc & honorem tulit, & lauream adeptus est: sic & tu fortassis ineptus esses ad cum laude partes prædicatoris vel Superioris repræsentandas, confessarii vero personam laudabiliter satis & prout oportet, repræsentas, uti tu alicuius Coadjutoris. Novit Deus optimè partes scenicas distribuere, eam cuique personam assignare, quæ ipsi conveniat, & *unicuique secundùm propriam virtutem* & vires talenta dividere, uti in Evangelio scribitur. Hinc nemo aliam, præter attributam, personam aut talentum desideret: sed quam quisque personam accepit, eam benè sustinere, acceptum talentum debitè impendere, bonamque eius rationem datori reddere procuret: Ita enim magis Deo placebit, maiusque ab eo præmium ac coronam accipiet.

Matth. 25.

Quæ tibi præcepit Deus, hæc cogita semper.

CAPUT XVI.

De conformitate nostri cum voluntate divina, in morbis & invaletudine nobis habenda.

Ægritudo donũ est Dei, ex intentione, quâ commodat.

1. SICUT sanitas ingens Dei donum est, ita morbus & ægritudo, quam ad nostri probationem, correctionem, emendationem, aliaque multa bona & commoda ex ea sequi solita, Deus nobis subinde immittit:

mittit: utisunt, agnoscere quàm simus imbecilles, vanitatem & insolentiam exuere, à rerum terrenarũ amore ac sensualibus appetitibus mentem divellere, effrænes capitalissimi hostis nostri, carnis, inquam, impetus enervare, ac vires eius retundere; recordari denique, terram hanc non esse patriam nostram, sed in ea nos velut in diversorio, & exilii loco agere: atque alia id genus. Vnde dicit Sapiens: *Infirmitas gravis sobriam facit animam* & fortem.

Eccl. 31. 2.

In ægritudine Deo agendæ gratiæ.

2. Hinc tam conformes cum Dei voluntate nos esse oportet in infirmitate, quàm sanitate, illam acceptando velut à manu Domini profectam, quandocunque is eam nobis immittere dignatus fuerit. Quidam de priscis illis Patribus discipulo suo ægrotanti dicebat: Noli, fili mi, ob hanc infirmitatem contristari; ingentes potiùs Deo pro ea gratias age: si enim ferrum sis, per hunc ignem rubiginem & scoriam pones; si aurum, per eundem purgaberis, & purior redderis. Magna virtus est, inquit, & insignis religio, in infirmitate Deo gratias agere.

Surius in vita.

Exemplũ S. Claræ indifferentis ad morbos.

3. S. Clara duo de triginta annos continenter gravibus fuit morbis afflicta; quo toto tempore tantam patientiam ac silentium ostendit, ut nemo eam de vexatione ac malo suo conquerentẽ murmurantemvé audierit; sed magis assiduè Deo gratias agentem. Quin etiam in ultima sua infirmitate (quæ tam gravis fuit, ut septemdecim ipsis diebus ne buccellam quidem in stomachum trajicere potuerit) cùm eam Confessarius F. Reginaldus consolaretur, & ad patientiam in tam longo tot morborum martyrio habendam cohortaretur, respondit: Ex quo Domini nostri Jesu Christi gratiam per servum eius Franciscum cognovi, nulla mihi infirmitas dura visa fuit, nulla pœna molesta, nulla pœnitentia onerosa.

Aliud S. Liduvinæ 38. annorũ morbo.

Sur. 14. April. & Villegas 3. p. vita 189.

4. Admirabilis est quoad hoc propositum, rarissimi exempli, quæque infirmis omnibus multum animi & consolationis dabit, vita S. Liduvinæ virginis, triginta & octo annos cum gravissimis & extraordinariis morbis & doloribus conflictatæ; & ex illis per triginta ita lecto affixa fuit, ut numquam ex eo surgere, nec pedem in solo figere posset. Quo tempore durante, illustria ei Dominus spiritus charismata & magnos favores contulit.

Solutio objectionum cõtra hanc doctrinã.

5. Verùm, quia particulares aliquot rationes idque sub maioris boni specie & prætextu, ad indifferentiam hanc & conformitatem impediendam, nobis solent occurrere; ad illas hîc respondebimus, easque breviter dissolvemus.

Prima objectio & solutio.

6. Primò, dicet quis: Parum quidem mea unius referret, ægerne sim, an benè valens; at hoc me cruciat, quòd religioni onerosus, & toti domui gravis esse videar. Respondeo, eum qui ita loquitur, Superiores suos, atque adeò domesticos omnes parvæ charitatis, & exiguæ cum Dei voluntate conformitatis insimulare. Etiam Superiores suæ perfectionis studio tenentur, & omnia, velut à Dei dextera venientia, accipere, inq;

iis divinæ eius voluntati se conformare satagunt. Proinde, si te Deus ægrotare, illosque in te curando recreandoque occupari velit, ipsi pariter id volent: & sicut ipse crucem, à Domino impositam, in humeros patienter accipis: ita quoque illi suam magna cum voluntatis conformitate accipient.

Secunda Objectio & solutio.

7. Rursus dices: Charitatem, quæ in Societate hac in parte exercetur, satis quidem perspicio: attamen doleo & angor quòd eum per infirmitatem fructum facere impediar, quē in bona valetudine, cùm studendo, tum concionando, & confessiones excipiendo, facere possem. Huic obiectioni egregiè respondet S. Augustinus, dicens, considerandum nobis, nescire nos, meliusne futurum sit, facere id quod vellemus, an verò ipsum omittere: ac proinde nos pro sensu & capacitate nostra res agendas dirigere & constituere debere: quas si deinde prout ipsi eas concipimus ac designamus, executioni mandare possumus, non esse, cur nobis magnopere gratulemur (quia factum est, quod ipsi & cogitabamus, & volebamus;) sed ideo tantùm, quia Dominus id ita fieri voluit: at, si, quod ipsi constituebamus & designabamus, effectum non sortitur, non debet nos propterea turbari, aut pacem cordis amittere: quia *æquius est*, inquit, *ut nos eius, quàm ut ille nostram sequatur voluntatē*. Quam deinde tractationem admirabili quadam sententia concludit: *Nemo*, inquit, *ordinat meliùs quid agat, nisi qui paratior est non agere, quod divina potestate prohibetur: quàm cupidior agere, quod humana cogitatione meditatur.*

In Dei voluntate acquiescendo optimū fructum facimus.

lib. de catechiz. rudib. c.14.

8. Hoc ergo modo, & hac cum indifferentia ordinare & designare nos oportet ea, quæ nobis agenda sunt; nimirum, semper parati simus ad nos Dei voluntati conformandos, si fortè res statuta suum effectum nō sortiatur. Atque ita non turbabimur, nec contristabimur, si quando ex infirmitate, aut alio simili casu exequi non poterimus, quod facere cogitaveramus, & jam designaveramus, etsi alioqui res ipsæ ex se proximo nostro maximè sint commodaturæ. Vnde benè R.P. Magister Avila, Sacerdoti cuidā ægroto scribens: *Ne, quæso*, ait, *respicias ad id, quod faceres, si sanus esses, sed cogita potiùs, quàm placiturus sis Deo, si in morbo tuo cum Dei voluntate te conformes. Et si purè (ut equidem reor) Dei voluntatem quæras, quid amplius tibi confert sanum esse, quàm ægrum, cùm eius voluntas omne nostrum sit bonum?*

Sub conditione, si Deus velit, oportet nos ordinare negotia.

Tom.1.ep.

9. S. Ioannes Chrysostomus plus Iobum meruisse, & magis Deo placuisse ait, dicendo: *Sicuti Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum*, illius voluntati se in illis ærumnis & ulceribus, ab eo immissis, conformando, quàm eleëmosynis & bonis, quæ faciebat sanus & opulentus. Pari modo magis Deo placebis, illius voluntati te in ægritudine accommodando, quàm bonum quodcunque in bona valetudine faciendo. Cui consonat illud S. Bonaventuræ: *Perfectius*, inquit, *est adversa tolerare patienter quàm bonis operibus insudare.* Quia Deus meà & tuâ operâ

Iob.1.21.

Exemplū Iob patiens plus meruit, quàm benefaciens.

De grad. virtut. 24. & l. 2. de prof. relig. c.

non

Itaque adfert ex S. Greg. Psal.15.2. non indiget, ad fructum, quem spectat, in Ecclesia sua faciendum: *Ego dixi*, inquit Psaltes, *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

Infirmitas tua Deo gratior, quã opera tua.

10. Ipsemet jam tibi per hanc ægritudinem concionari, teque patientiam & humilitatem edocere vult: sine ergo eum facere; quia novit, quid magis tibi congruat, tu verò id ignoras. Si quam sanè ob causam sanitas & robur corporis desideranda essent, ea esse deberet, ut in Dei obsequium ad eique magis placendũ illa impenderemus. Iam si ei gratius sit, magisque placeat, ut cum ægritudine confligter, & morbi labores patienter tolerem, fiat voluntas eius: hoc namque melius est, ac mihi magis conveniens.

Act.28.30 Paulus in carcere Deo gratior, quã in cathedra.

11. Si Apostolum suum Paulum, Doctorem Gentium, biennio integro in carcere Dominus agere voluit, & eo quidem tempore, quo Ecclesia adhuc tenella, eius opera tantopere indigebat; durum tibi non videatur, quòd te bimestri, vel biennio, imò tota via, (si ita illi videretur) in carcere ægritudinis velut captivũ detineat: quia Ecclesiæ Dei adeò necessarius non es, atque erat Apostolus Gentium.

Tertia Objectio. Singularis sum, & alios offendo.

12. Nonnullis, dum longa continentique infirmitate & languore correpti, lecto affixi jacent, grave videtur, quòd communitatem sequi nequeant, & multis in rebus singulares esse cogantur; ideoque contristantur, dum sibi videntur vel non tam religiosi esse quàm sint alii, vel saltem cæteris offendiculo & scandalo fore, ipsorum particularitates & privilegia singularia videntibus: præsertim, quòd infirmitas ac necessitas, qua quis laborat, subinde deforis nõ videatur: sed solus Deus, & qui eam patitur, æger, eius sint conscii. Hæ autem singularitates & exceptiones statim videntur, & in oculos omnium incurrunt. Ad hoc respondeo, respectum hunc bonum videri, æquumque & laudabile esse, ita sentire: ita tamen, ut hæc cogitatio conformitatem cum Dei voluntate in morbis habendam minimè debeat impedire; sed meritum potiùs conduplicare, dum sc. ex una parte totaliter te cum Dei voluntate in omnibus indispositionibus & morbis, quòd ille te hos pati velit, conformas; ex alia, intensum, quantum in te est, desideriũ habes, omnia Religionis exercitia accuratè exactèque peragendi; & in corde doles, quòd quidquid alii faciunt, ipse facere non valeas. Quia hac ratione prætérquam quòd multum merearis, infirmitatem hanc cum magna tui cum Deo conformitate & patientia tolerando; per secundum hoc tantum mereri potes, quantum cæteri, qui quia integro corpore & bona sunt valetudine, exactè hæc omnia exercitia peragunt.

Responsio. Bonum desiderium, si sit ordinatũ indifferentia.

Ser.62 de Tempore. Infirmus comedẽdo meretur, ut alii jejunando.

13. S. Augustinus declarans quodam in loco, quàm omnes sancto Quadragesimæ tempore, sub peccati mortalis reatu, ad jejunandum obligati sint; postea verò agens de eo, qui ob morbum & infirmitatem jejunare nequit, satis huic esse ait, quòd, cùm jejunare non valeat, cum dolore cordis comedat, gemendo & suspi-

suspirando, quod abstinentibus cæteris, jejunare ipse neutiquam valet. Sicut generosum militem, qui jam vulneratus in castra refertur, magis cruciat, quòd jam confligere, Regiq; suam operam præstare non valeat, quam ipse vulnerum dolor, & dura chirurgi curatio. Ita bonos Religiosos, si quando præ ægritudine lecto affixi jacent, magis angi ac dolore oportet, quòd unà cum aliis communia exercitia Religionis obire nequeant, quam ob ipsam, quam patiuntur, ægritudinem. Veruntamen nec hoc, nec aliud quodcunque tandem incommodum impedire nos debet, quo minùs nos cum voluntate Dei in infirmitate conformemus, eam à manu illius, ad majorem ejus gloriam, majusque bonum & utilitatem nostram submissam, acceptando.

Hier. in vitis Patrum. Exemplum, 14. Monachus quidam ægriens, cùm S. Joannem Abbatem (uti memoriæ prodidit S. Hieronymus) rogaret, ut se à morbo & ardentissima, qua laborabat, febri, liberaret, ab eo audivit: *Rem tibi necessariam cupis abjicere, ut enim corpora nitro, vel aliis hujusmodi linimentis abluuntur à sordibus, ita animæ languoribus aliisque hujusmodi castigationibus purificantur.*

Morbus necessarius ad puritatẽ animæ.

Caput XVII.

Non tam est in medicis aut medicamentis, quàm in Deo fiducia nobis collocanda: nec in infirmitate solùm, sed & in aliis omnibus rebus, in ea contingere solitis, cum illius voluntate conformemur oportet.

1. Quidquid de morbo hactenus dictum est, etiam de reliquis omnibus, quæ eo durante occurrere solent, rebus intelligendum venit. S. Basilius præclarum nobis assignat documentum, quod dum ægri erimus nobis usu veniat. Ait enim, ita nobis & medicos, & medicamenta adhibenda, ut in iis omnem fiduciam non ponamus. Quod Asa Rex cùm fecisset, à S. Scriptura reprehenditur: *Nec in infirmitate sua*, inquit, *quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est.* Quòd enim à morbo curemur, aut non curemur, non est medicis medicamentisve penitus imputandum, sed omnem oportet fiduciam in Deo collocemus: qui interdum per hæc, & non per illa medicamenta sanitatem nobis restituet.

Plus Deo quàm medicis fidendũ.

In reg. fus. disp. 55.

2. Paral. 16. 12.

2. Quare non est nobis, inquit Basilius, quando aut medicus aut medicina desunt, propterea de sanitate recuperanda desperandũ. Nam, sicut in Evangelio legimus, Redemptor Jesus interdum sola voluntate sua ægris salutem reddidit, uti leproso illi, cui petenti dicentique: *Domine si vis, potes me mundare*; respondit; *Volo mundare.* Interdum aliquid deforis applicando, sicut, dum è sputo lutum conficiens, eoq; oculos cœci inungens, ei præcepit, ut in natatoria vel fonte Siloe se juvaret. Aliàs ægros in suis languere morbis permittebat, eosque sanitati reddi nolebat, etsi omnem in medicos & medicamenta substantiam insumerent. Ita facit Deus & modò: nonnunquam ægro salutem dat, sine ullis medicis & medicamentis,

Deus etiã sanat sine medicinis.

Joann. 9. 11.

tis, at solâ suâ voluntate: aliàs, mediantibus his medicamentis: aliàs denique, quantumlibet multi adhibeantur medici, ac varia efficaciaque applicentur medicina, sanitatem reddere non vult.

Deo cõfide, non in mediis humanis.

3. Hinc discamus, non in mediis humanis, sed in solo Deo, spem & fiduciam nostram constituere. Sicut Ezechias Rex sanitatem recuperatam non tam massæ ficuum, quas Isaias ulceri ejus applicuit, quàm Deo adscripsit: ita tu, quando ab infirmitate aliqua sanaberis, non medicis aut medicinis debes, sed uni Deo, qui sanat omnes infirmitates nostras, salutem attribuere: *Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus Domine sermo, qui sanavit omnia.* Uti nec de medicis, vel medicamnetis conqueri, quando optatam sanitatem non recuperas, sed totum Deo imputare, qui adeò tibi sanitatem dare non vult, ut etiam in morbo languere jugiter sinat.

4. Reg. 20. 7.

Sap. 16. 12.

Error medici aut infirmarii Deo non est fortuitus.

4. Similiter, quando medicus morbi tui genus non intellexit, vel in eo curando aberravit (quod non raró, etiam medicis peritissimis, & in magnorum virorum curatione contingit) hunc ipse errorem, velut Dei destinato factum, accipere debes; uti & negligentiam ac errorem, quem circa te commisit infirmarius: nec dicere, quòd is circa te error admissus est, febrim rediisse; sed omnia quasi à Dei manu venientia accipere, ac dicere: Placuit & visum est Domino, ut hæc in me febris adaugeretur, & hujusmodi mihi casus aut malum accideret. Certissimum enim est, etiamsi te curantium respectu error hic commissus sit; Dei tamen respectu eum nonnisi destinato certaque deliberatione evenisse: cùm apud illum nihil casu aut fortuitò fiat.

Tobiæ & Iobi afflictiones à Deo permissæ.

5. Putásne transvolatum illum hirundinum, & pii Tobiæ per earundem stercora excœcationem, casualia fuisse? nihil minùs: facta enim sunt annuente, volente, & singillatim permittente Deo, ut in eo uti & in sancto Jobo, nobis patientiæ exemplum relinqueret. Testatur id Scriptura. *Hanc autem tentationem ideò permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut & sancti Iob.* Unde & Angelus postmodum ei ait: *Quia acceptus eras Deo; necesse fuit, ut tentatio probaret te.*

Tob. 2. 12.

Tob. 12. 13.

Ruffin. li. 3. de Vita Pat. n. 51. & lib. 5. n. 58. Refert etiam Doroth. doctrin. 7.

Exemplum indifferentis in medico.

6. Abbas Stephanus (sicut in Vitis Patrum scribitur) æger ex morbo decumbebat: cui cùm qui ei aderat socius, tortulam farinaceam coxisset, & olei olivarum loco (ut putabat) oleum lineum, quod maximè amarum est & insipidum, ei inspersisset; ipsam ægro seni porrexit. Stephanus ut gustavit, pauxillum de ea comedit, & tacuit. Cùm post aliam socius simili modo coxisset, & eam senex gustatam comedere noluisset, ait: Comede Pater, quia sapida est. Hoc dicens, ut ægrum suo ad comedendum exemplo invitaret, eam prægustavit: cujus amatorem ut percepit, turbatus exclamat: Heu me, Homicida sum. Tum senex: Noli turbari fili; si enim Deus non te voluisset errare, in uno olei genere pro

alio accipiendo, certè non errasses. Sic & alios multos Sanctos magna animi conformitate & patientia, ea quæ sibi adhibebantur remedia, etsi morbo, è quo laborabant, directè adversantia & noxia, legimus admisisse. Ad hunc ergo modum & nos cùm errata medici, tum negligentias infirmariorum debemus accipere, de his non conquærendo, in illum autem culpam non conjiendo.

Æger indifferens valdè, ædificat.

7. Quod certè hujusmodi est, ut in eo virtus hominis mirè reluceat & patescat: hinc Religiosus æger, quidquid sibi offertur, mira animi æqualitate & alacritate accipiens, tanquam à Dei manu profectum; se integrè à Superioribus atque infirmariis dirigi gubernarique sinens, suiipsius obliviscendo, ac se totaliter negligendo, non mediocriter alios ædificat. Vnde S. Basilius: *Si animam*, inquiit, *Superiori concredidisti, cur non & corpus ei credis?* Salutem æternam in manus ejus consignasti, quare non & temporalem ponis? Cum autem regula copiam & licentiam nobis faciat, ad omnem corporis nostri curam tunc abjiciendam, quin & præcipiat; nostrum est id magnifacere, & tam utili plausibilique licentia uti. Contrà, magno omnibus offendiculo est Religiosus ille, qui in ægritudine magnopere de se sollicitus est, deque eo quod sibi dandum est, ac quomodo dandum sit, & num sibi per omnia & exactè pareatur, anxiè disquirit; ac, si quid desit, conqueri & expostulare novit.

Regula liberat infirmos à cura sui.

3. p. Constit. c. 3. lit. G.

8. Vnde optimè Cassianus: *Corporis infirmitas*, inquit, nullum est ad cordis puritatem habendam impedimentum, quin imò singulare adjumentum, si quis illam rectè novit accipere. Vide ergo, inquit, ne corporis ægritudo ad animam transeat. Si quis enim ex ægritudine occasionem hauriat vel voluntatis propriæ faciendæ, vel obedientiæ & parentiæ excutiendæ; tunc ad animam ægritudo penetrare dici potest, ipsaque in causa erit, cur magis de spirituali, quàm de corporali subditi sui infirmitate Superior sollicitus esse debeat.

Ægritudo animam purificat. Cavendum, ne morbus à corpore ad animam transeat.

9. Non idcirco quòd quis infirmus sit, debet desinere ostendere esse se Religiosum, aut cogitare, nullis se jam regulis obstringi, adeoque fas sibi esse, omnem in sanitate recuperanda, deliciisque consectandis curam constituere, itaque proprii profectus oblivisci. *Qui ægrotat*, ait S. P. N. *humilitatem & patientiam suam præse ferendo, non minorem ædificationem, dum morbo laborat, quam dum valebat corpore, ad majorem Dei gloriam præstare curet.*

Æger regulis tenetur, & perfectioni acquirendæ adstringitur. *Reg. 50. Sam.*

10. S. Joannes Chrysostom. super illa Prophetæ verba, *Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ, coronasti nos*; docens, quam diu vivimus, semper nobis pugnandum esse, proinde semper ad pugnam paratos armatosque, nos incedere debere, tam ægrotos quàm sanos, ait: *Morbi enim tempore hujus maximè pugnæ tempus est, quando dolores undique conturbant animam, quando tristitiæ obsident, quando adest Diabolus incitans, ut acerbum aliquod verbum*

Psl. 5. Morbi tempore maximè pugnandum.

verbum dicamus, & in querimonias murmurationemque prorumpamus: atq; ideò virtutem tum potissimum exercere & patefacere necesse est. Hinc etiam Gentilis Seneca docet, virum fortem, fortitudinis suæ exercendæ, non minùs in lecto occasionem habere, morborum dolores ac molestias patiendo, quàm in acie adversus hostes pugnando; quia præcipua & potissima fortitudinis pars in perferendo magis, quàm in confligendo consistit. Testatur id etiam Sapiens, dum ait: *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.*

Epist. 79. Æger fortitudinē in perferēdo maxime ostendere potest.

Prov. 16. 32.

Caput XVIII.

Confirmantur superiora exemplis.

Blosius c. 11. monil. spir.

Voluntas Dei, non sanitas expetenda.

1. Beatæ virgini Gertrudi apparuit aliquando Redemptor Iesus, dextera manu sanitatem, & sinistra infirmitatem gestans, monendo, ut, utram vellet, eligeret. Ipsa ab utraque Domini manu sese avertens, ait: *Domine ego toto corde desidero, ut non meam voluntatem respicias, sed tuum beneplacitum in omnibus perficias, & quod ad maiorem tuam gloriam facit.*

Marul. li. 5. c. 4. Iacob de Voragine.

Exemplum. Qui malè sanitatē obtinuerat, maluit post-ea infirmus esse.

2. Quidam S. Thomæ Cantuariensi devotus, in ægritudine illius sepulcrum adiit, rogaturus, ut sibi à Domino sanitatem impetraret. Quā consecutus, & ad suos reversus cogitare secum cœpit, cur, si illa infirmitas magis sibi ad salutem consequendam conveniret, sanitatem postulasset. Tanti porro apud eum ponderis hæc ratio fuit, ut Martyris sepulcrum rursus adiens, ipsum sit precatus, ut quod sibi ad salutem æternam cōsequendam magis consentaneum esset, sibi dare dignaretur. Cui cùm Dominus eundem morbum immisisset, mirè eo gavisus fuit; facilè intelligens, hunc sibi præ valetudine expedire.

Aliud in cœco.

3. Simile quid in vita S. Vedasti Episcopi legitur: Cœcus quidam, quo die Sancti huius corpus transferebatur, ardentissimè sanctas eius reliquias oculis contueri desiderabat: cùm voti factus compos, vidisset quod desiderarat, oculosq; sibi restitutos adverteret; Dominum oravit, ut, si visus ad animæ bonum non expediret, priorem sibi cœcitatem redderet. Qua oratione factâ, rursus sibi oculos eripi seque ut antè cœcum esse sensit.

S. Hier. epi. ad Castrut. cœcum.

Aliud in Didymi cœci doctrina & ingenio.

4. Cùm S. Antonius Abbas (ut narrat Hieronym.) evocatus à S. Athanasio Archiepiscopo, Alexandriam se contulisset, ut illum in hæresibus ibidem suppullulantibus cōfutandis & extirpandis adjuvaret; invenit ibi Didymum, virum eruditissimum, at oculis corporeis destitutum: qui cum Antonius multa de sacra Scriptura conferens, tam profundam in eo doctrinam comperit, ut perspicax illius ingenium & doctrinam maximopere admiraretur. Hac tractatione absolutâ, quæsivit ab eo, num ob hanc cœcitatem contristaretur? ille tacuit; & præ pudore respondere ausus non fuit. Donec secundò & tertiò pressus, & idem rogatus, ingenuè confessus est, ob illam se con-

se contristari. Quem consolatus Antonius, Miror ait, te virum eruditissimum, & tam præstantis ingenii, eius rei damno dolere, quæ muscis, formicis, & vilibus terræ vermiculis donata est; & nō potiùs lætari, quòd habeas quod soli Sancti & Apostoli habere meruerunt. Vnde videre est, concludit Hieronymus, multo esse potius spirituales oculos habere, quàm corporales.

Chron. Fra. Præd. 1. p. li. 1. c. 49. authore Ferdi. de Castello. Aliud Exemplum. de muliere carcinonate vexata.

5. Refert Ferdinandus de Castello, S. Dominicum Romæ habitantem mulierem quandam afflictam, morbidam, arctè reclusam, illustrem Dei famulam, quæque ad portam S. Ioannis in Laterano in turri solitaria agebat, identidem visitasse: quin & confessionis, ac Venerabilis Eucharistiæ Sacramenta ei non raró ministrasse. Mulieri nomen erat Bona. Cui nomenclaturæ ipsa, vitæ suæ modo sic respondebat, ut eam, ceu bonam, Deus in laboribus & vitæ ærumnis lætari, in morte verò solùm quietem invenire faceret. Putidum hæc in mammillis ulcus habebat; utpote quas dudum edax cancer depasceret, ac vermes fœtidissimi incolerent: quem cruciatum cùm alius quislibet (quia enormis erat) ferre non potuisset, ipsa nihilominus incredibili cum patientia ac silentio ferebat, Deoque assidua gratiarum actione bene dicebat. S. Dominicus, quòd eam ita cruciatam, & in virtute tam solidè fundatam cerneret, magnopere erga ipsam afficiebatur. Quadam ergo die, postquam illam Sacramentis vitalibus refecisset, horrendum & purulentum illud uberum ulcus sibi petiit ostendi. Quod etsi Bona initio detrectaret, sancti tamen viri postulatis tandem morem gessit. Vt ergo, retectis mammillis, Dominicus putidam purulentiam, apostema, cancrum, & vermes ex iis scatu-rientes conspexit, simul eius patientiam & animæquitatem; eiusdem quidem commiseratione motus est; has tamen plagas, & apostema, omnibus terræ thesauris & gemmis prætulit, unumque sibi de vermibus illis proserpentibus, quasi pretiosas aliquas reliquias, dari petiit. Non priùs tamen eum Bona dare voluit, quàm ei Dominicus se redditurum sanctè promitteret: quia jam tum tantopere se etiamnum vivam rodi ac comedi, gaudebat, ut, si quis vermium illorum in terram difflueret, eum ipsa suum in locum reinsereret. Quare, fide priùs acceptâ, unum ex his bene grandem & longum, & caput nigrum præferentem, Dominico dedit. Vix eum Dominic. in manus acceperat, quin in gemmam pretiosissimam cōvertitur. Quo viso perculsi adstantes fratres, S. Patrem rogant, ne suum Bonæ lumbricum reddat. Ipsa verò, instans contrà ex compromisso suam sibi petiit restitui gemmam. Sed illa dum Bonæ redditur, in priorem vermis formam rediens, ab ipsa mammillis, in quibus generatus & alitus erat, reinseritur. Dominicus pro illa deprecatus, eique cruce factâ benedicens, inde decessit. Sed vix eo è turris gradibus descendere, putida mulieris ubera unà cum vermibus omnibus exciderunt, & paulatim novà succrescente carne, paucis pòst diebus

bus prorsus suæ sanitati est restituta, evulgans passim, quæ per servum suum Dominicum Dominus mirabilia operabatur.

Chronic. de Prædic. 1.p. lib. 1. c.83. Aliud exemplum de Reginaldo.

6. Cùm Fr. Reginaldus (uti eadem historia prodit) cum S. Dominico de Ordinis sui habitu assumendo seriò agitaret, & jam eum induere firmiter apud se statuisset; non multò pòst in continuam incidit febrim, & (ut quidem medici censebant) mortalem, S.P. Dominicus, de illius valetudine mirum in modum sollicitus, assiduè Deum Opt. Max. pro eo per orationem interpellabat: & tam ipse, quàm æger, miro animi studio ac sensu, Deiparæ Matris opem exposcebant. Hæc ambo dum instanter à Deo expostulant, ecce tibi sacratissima cœli Regina, mirabili & cœlesti quodam fulgore resplendēs, aliis duabus sanctis virginibus (&, ut apparebat, S. Cecilia, & Catharina Martyribus) comitata Reginaldi cubiculum ingreditur; quæ unà cum beatissima Virgine, ad ægrotantis lectulum propiùs accesserunt. Hunc ergo clementissima cœlitum Regina, & mater pietatis, consolata, petiit; *Quid tibi vis faciam, Reginalde? venio, ut votorum te compotem reddam: hæc quæ sint, audacter mihi dicito; nam haud dubiè petita obtinebis.* Turbatur ad hæc eius verba animi dubius Reginaldus, & cœlesti visione velut consternatus, hæret anceps, nescius quid aut ageret, aut peteret. Sed una de sanctis illis Deiparæ comitibus, hanc ab eo quamprimùm hæsitationem excussit, dicens: *Nihil certi petas, frater, sed omnia petenda, illi committe; melius enim illa tibi dare, quod necesse est, novit, quàm tu poscere.* Consilium hoc, prudens & discretum, æger secutus, hoc modo Deiparæ Matri respondit: *Nihil prorsus peto, Domina, nec aliam voluntatem habeo, quàm tuam unius: in illam ergo & manus tuas totum me resigno.* Quas ipsa tum blandè extendens, & oleum, quod ad hunc effectum comites secum tulerant, accipiens, Reginaldum unxit, eo prorsus modo, quo morituri solent sacro oleo inungi. Tantæ porro efficaciæ sacrarum illarum manuum contactus fuit, ut statim eum febris reliquerit, & ita confirmatis fuerit viribus, tanquam si nunquam ægrotasset. Et (quod amplius est) ad singulare illud redditæ sanitatis corporeæ beneficium, accessit alia maior in anima gratia, quòd nimirum, ex illo die nullum ampliùs in se, quoad vixit, carnalē inhonestumq; ullo tempore, ullo loco, ulla occasione motum senserit.

B. Virginis unctio sanitatem & castitatē tribuit.

Hist. Eccl. p. 2. lib. 6. c. 2. Aliud exemplū de Benjamino, qui æger ipse alios sanabat.

7. In historia Ecclesiastica scriptum est, inter omnes, qui illa tempestate floruerunt, viros sanctos, eminuisse Benjaminum quendam: utpote cui à Deo datum erat infirmos curare, nullo extrinsecus adhibito medicamento, tantùm manu leviter eos tangendo, oleo paululum inungendo, & orationem super eos fundendo. Etsi verò ægris ipse sanitatem restitueret, hydrope tamen mirè affligtabatur, itaque distentus ab eodem & inflatus erat, ut per cellæ suæ ostium egredi non posset, sed cardines eius & postes illi egressuro revelli oporteret. Ad octo menses

pedem

pedem ex ea non efferebat, interim in laxiſſima quadam ſede ſedens; donec tandem demortuus eſt. Tametſi verò multis ipſe morbidis ſanitatem redhiberet; de ſua tamen infirmitate neutiquam conquerebatur, nec expoſtulans murmurabat, quòd ſibiipſi eam reddere non poſſet. Eos verò, qui ipſius commiſeratione tangebantur, conſolatus, dicebat: Rogate Deum pro anima mea, de corpore parum eſtote ſolliciti, quia id etiam dum ſanus eram, ad nihil mihi utile erat.

Prat. ſpirit. c. 10. Corpus patiatur ut anima lætetur.

8. Barnabas Monachus, cùm iter faciens in paxillum acutum pedem induiſſet, iſque ei fixus hæreret; eum ad dies aliquot ſibi tolli noluit, nec à plaga curari, ut ſic aliquid pro amore Dei pati poſſet. Viſitantibus autem ipſum, dicebat, *Quanto magis, qui exteriùs eſt, homo patitur & mortificatur, tanto magis interior vivificatur & corroboratur.*

In vita S. Pachomii Surius. Ægri Zachæi jejunium, labor & oratio.

9. Monachus quidam Zachæus nomine (ut in vita S. Pachomii ſcribitur) tametſi epilepſia jugi laboraret, non propterea vel apicem de ſolito rigore & abſtinentia, quo ad panem nudum nonniſi ſalem addebat, remittebat: tam quoque frequens & aſſiduus in oratione erat, ac cæteri rectè valentes, ſemper unà cum iis ad Matutinum & reliquas Horas confluens. Tempore autem, quod illi ab oratione vacuum erat, ſtoreis, ſportulis, & funibus è ſparto texendis ſeſe occupabat: cuius aſperitate manus ita convulneratas habebat, ut ſanguis illi jugiter è fiſſuris decurreret: quod tamen nonniſi otii vitandi gratia faciebat. Nocte verò, antequam ſe ad quietem componeret, aliquid pro more è ſacra Scriptura meditabatur, cruciſque ſe ſigno deinde communiebat: quo facto, pauliſper obdormiebat, uſque dum tempus Matutinarum inſtaret; ad quas (uti dictum eſt) cum reliquis ſurgebat, ac tamdiu in iis & in oratione reliqua perſeverabat, donec illuceſceret. Hoc, ſcilicet, modo ſanctus ille æger tempus diſpertiebatur, hæcque ordinaria eius erant exercitia. Sed cùm quadam vice alius eum Monachus inviſeret, manuſque eius convulneratas & cruentas videret, ſuaſit, ut oleo eas iniungeret, fore enim, ut minor foret ſciſſurarum dolor, fecit id Zachæus; ſed dolor inde auctus eſt potiùs quam imminutus. Verum cùm dein S. Pachomium inviſeret, narraretque, quid malo pellendo feciſſet; ait illi vir ſanctus: *Putaſne, fili, Deum infirmitates noſtras non intueri, &, ſi ipſi placuerit, eas ſanare non poſſe? Quod ergo eas minimè ſanet, ſed in iis nos diu languere ſinat, donec non rogatus eas auferat, idcirco id ab eo fieri credendum, ut omnem noſtri curam illi concedamus, inq; eo ſolo fiduciam noſtram collocemus: ad hæc ad magnum animarum noſtrarum bonum & utilitatem, ut, nimirum, nobis poſtea pro brevibus illis laboribus immiſſis, mercedem & coronam adaugeat, & velut duplicatam rependat.*

Infirmorum curā Deus ſibi reſervat.

His auditis Zachæus, mirè animo compunctus: *Ignoſcat*, inquit, *mihi Deus hoc exiguæ in eum fiduciæ, & cum divina eius voluntate conformitatis, & deſiderii ſanitatis peccatum.* Hinc, poſtquam Pachomius inde diſceſſit,

Zachæus leve delictum magna eluit pœna.

levem

levem hanc noxam anno integro tam rigido expiavit jejunio, ut nonnisi post duos jejunii dies cibum gustaret, eumq; tenuissimum, & quem etiam cum lachrymis misceret. Memorabile istud Zachæi exemplum magnus Pachomius identidem fratribus suis commemorare solebat, ut eos ad in laboribus perseverandum, in Deo confidendum, & levia delicta non parvi facienda cohortaretur.

CAPUT XIX,

De conformitate cum divina voluntate, quam tam in morte, quàm in vita nos præferre par est.

Morti difficile & terribile.

1. CONformes etiam cum Dei voluntate esse nos oportet, tam ad moriendum, quàm ad vivendum. Et quanquam ipsum mori ex se perdifficile sit, & peracerbum (ait siquidem Philosophus: *omnium rerum nihil morte terribilius, nihil acerbius:*) in

Ari. 3. Eth. c. 6.

Religiosis tamen potest esse suavis, quia bona fortunæ jam antè reliquit.

2. Religiosis tamen difficultas hæc magna ex parte est imminuta, & acerbitas dulcorata; quia jam medium imò propè totum, viæ, qua ad mortem itur, cursum confecimus. Nam *primò*, una de præcipuis causis, ob quas mundanis hominibus ipsa mors acerba, & ejus hora dura accidit, esse solet, quòd opes, honores, voluptates, delectationes, commoda, delicias, quibus hac in vita fruebantur; amicos item, consanguineos, hic charam uxorem, ille filios dilectissimos, relinquere cogantur; quæ singula in illa angustiæ hora non parum hominem cruciare & angere solent, præsertim quando iis antè occursum non est. Universa hæc Religiosus jam pridem maturè reliquit; unde ea relinquere, illi nec grave est, nec difficile. Si quando dens molaris jam undequaque decarnatus est, & à gingivis solutus, nullo negotio eximitur; at, si eum chirurgus non ablatá circumsecus carne, educere velit, ingentem tibi dolorem adferet: ad eundem modum grave non est Religioso, qui ab omnibus mundi rebus jam dudum divulsus & sequestratus est, in hora mortis easdem in æternum relinquere: jam dudum enim eas voluntariè magnoq; merito suo, dum primum Religioni nomen dedit, reliquit; nec expectavit, usque dum eas in mortis hora, (ut solent mundani) relinqueret; quando eæ ex necessitate (etsi ipsis invitis, & magno cum dolore & amaritudine, ac sæpenumerò sine ullo merito) relinquendæ sunt: quia tunc suos illæ potiùs possessores, quam hi illas deserunt.

Similitudo.

3. Atque hic unus est de præcipuis, quos mundi abnegatio, & Religionis ingressus continet, fructibus uti benè observat S. Chrysostomus; quòd, nimirùm, mundanis, qui suam in opibus, voluptatibus, & deliciis vitæ hujus requiem, & pacem repositam habent, mors accidat quàm pœnosissima, juxta illud Sapientis gnomen: *O mors quàm amara est memoria tua, homini pace habenti in substantia sua!* Si vel ipsa mortis memoria tam amara est, quàm erit dura ejus præsentia? Si sola cogitatio

Fructus Religionis mors suavis.

Hom. 14. in 1. ad Timot.

Eccl. 41. 1.

tatio amaricat, quomodo amaricabit gustus? Religioso contrà, qui jam dudum omnia humana illa missa fecit, ac deseruit, mors non modò non amara est, sed etiam læta, jucunda ac sapida, utpote malorum ejus finis, laborum terminus, & cujus adminiculo jam est præmium & mercedem, pro omni eo quod Dei causa reliquit, recepturus.

Alia causa suavis mortis est Bona conscientia.

4. *Alterum*, quod in hora illa mundanos maximè affliget, ac causa esse solet, cur mors iis terribilis ac horribilis accidat, juxta S. Ambrosium, est mala conscientia, & quòd ad mortem se minimè disposuerint. quod in Religioso nec locum habet, nec habere debet: nam quid est universa ejus vita aliud, quàm continua ad benè moriendum præparatio & dispositio? Religiosus quidam æger, cùm à medico, ut se ad mortem disponeret, commoneretur, dixisse fertur: *Ex quo hunc habitum indui, aliud quotidiè non feci, quam ad moriendum me præparare.* Hoc quippe Religiosi est exercitium. Quinimò ipse Religionis status eam nos dispositionem docet, quam in suum adventum haberi Redemptor Christus vult: *Sint*, ait, *lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Lumborum autem præcinctio, inquit Gregorius, castitatem; lucernæ ardentes in manibus gestatæ, bonorum operum denotant exercitium. quæ sanè duæ res in religiosa vita potissimùm locum habent. Quocirca boni Religiosi est, mortem non formidare.

Lib. de bono mortis c. 8.

Luc. 12. 35

Hom. 13. *in Evangeli.*

Signum bonæ conscientiæ. *Trac.* 11. 5.

5. Notandum autem hîc (quod ad propositum nostrum mirificè faciet, quodque etiam suprà insinuavimus) inter certa signa quòd bonam quis conscientiam habeat, & benè illi cum Deo sit, illud esse, quòd cum divina ejus voluntate quoad horam mortis suæ, mirè sit conformis, eamque summo cum gaudio ubique expectet, perinde ac si sponsum expectaret, cum quo cœlestia illa sponsalia & nuptias celebret. *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur à nuptiis.* E diverso, cùm quis mortem invitus subit, & hanc cum Dei voluntate conformitatē nō habet, bonum id signaculum nō est.

Luc. 12. 36.

Simile. Ovis paret, porcus resistit lanioni.

6. Insignes aliquot rei huic declarandæ adferri solent comparationes. Videsne quâ ovicula mansuetudine & quiete ad lanienam abeat, scilicet nec balatum edendo, nec ullo modo resistendo? Quam etiam similitudinem de Redemptore Jesu sacra Scripturæ adducit, dicens: *Tanquam ovis ad occisionem ductus est.* At animal immundum porcus, quàm grunnit & reluctatur, dum ad mortem abripitur! Tale etiam est inter bonorum, qui per oves repræsentātur; & improborum ac carnalium, quos animalia immunda designant, mortem discrimen.

Isa. 53. 7. *Actor.* 8. 32.

Innocēs sperat, reus metuit adventum judicis.

7. Qui ad mortem judicum sententia condemnatus est, quotiescunque januam carceris aperiri audit, totus perhorrescit, singulis vicibus adesse lictorem ratus, à quo ad mortem rapiatur: at innocens, quique liber & innoxius à judicibus pronun-

tiatus

tiatus eſt, carceris fores reſerari percipiens gaudet, cogitans ſe jam in libertatem aſſerendum. Ita impius, dum mortis ſtrepere ſeram audit, dum, inquam, à morbo affligitur; mente concutitur, & graviter angitur: quòd enim ſauciam & exulceratam habet conſcientiam, jamjam ſe credit educendum, ut æternis tartari ignibus addicatur: at, qui bona eſt conſcientia, lætatur quòd per mortis januam ſe norit in libertatem & quietem ſempiternam aſſerendum. Agamus ergo, quod bonos Religioſos agere par eſt, & non ſolùm difficultatem nullam ſentiemus, cum Dei voluntate in hora mortis nos conformando, verùm etiam mirè exultabimus, & cum Propheta à Deo petemus: *Educ de cuſtodia*, id eſt, de carcere, *animam meam*. (*Pſ. 141. 8.*)

8. S. Gregor. illa Jobi verba, *Et beſtias terræ non formidabis*, exponens, ait: *Iuſtis initium retributionis eſt ipſa plerumque in obitu ſecuritas mentis: jam tum quippe guttulam quandam pacis illius, quæ, ceu flumen quoddam exundans, mox in animas ipſorum influxura eſt, prægustant, ſuamque beatitudinem auſpicantur: improbi contrà jam tum tormenta & infernum ſuum, per angorem, tremorem & remorſum illum, quem illa in hora ſentire incipiunt, præſentire videntur. (*S. Greg. lib. 6. Mor. c. 16. Iob. 5. 22.* — Iuſti in morte cœlum, impii infernum prægustant.)

9. Mortem ergo deſiderare, eaque gaudere, ſatis bonum eſt. Unde Climacus: *Laude digniſſimus eſt*, inquit, *is, qui omnibus diebus mortem exſpectat; ſed ille ſanctus, qui nulla non hora eam deſiderat.* Sic & S. Ambroſius laudat eos, qui ardens quoddam moriendi habent deſiderium: quod habuiſſe conſtat priſcos illos Patriarchas, dum ſe, ut peregrinos & hoſpites in terra, non verò habitatores & poſſeſſores, eſſe crederent, *confitentes, quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram.* Et, ſicut benè ibidem Apoſtolus obſervat: *Qui hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere*, & ad de hoc exilio emigrandum anhelare. Ad hoc item impensè & ardenter Propheta regius ſuſpirabat, dicens: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt.* Si veteres illi Patres, portâ cœli etiam clausâ, & obſeratâ, & cùm ſtatim à morte in illud ingredi vetabantur, hæc dicebant, & tantoperè deſiderabant; quid erit modò, cùm & cœlorum fores patent, & anima expurgata quamprimùm ad Dei conſpectum & fruitionem admittitur. (Non in dies ſed horas mors exſpectanda, Ivorat. — *fun. in obitu Valentiniani Imp. to. 3. & de fide reſurr.* — *Heb. 11. 14.* — *Pſ. 119. 8.*)

CAPUT XX.

Aliquot adferuntur rationes & motiva, ob quæ licitè ſancteque mortem deſiderare poſſumus.

UT verò meliùs majorique cum perfectione, voluntati divinæ, tam in morte, quàm in vita conformemur: aliquot hìc motiva & rationes propter quas mortem deſiderare liceat, viſum eſt adducere, ut meliorem ex iis ſeligamus. (Mortis optandæ rationes.)

2. *Prima*, ob quam deſiderare homini mortem liceat, ratio eſt, ut labores & ærumnas, quas vita hæc (Prima ratio, Ut vitæ ærumnis liberemur.)

hæc mortalis includit, eius adminiculo effugiat. Nam, ut ait Sapiens: *Melior est mors, quàm vita amara* & laboriosa. Sic videmus, etiam à mundanis sæpè mortem optari, & omnibus votis à Deo desiderari: quod etiam sine ullo peccati reatu fieri potest. Tanti namque & tam graves sunt vitæ huius labores & ærumnæ, ut, ad iis carendum, mors à quopiam possit optari. Cur autem tantis homines hîc divexari laboribus Deus sinat, una inter alias, quas SS. Patres assignant, causa hæc est, ne scilicet mundo nimiùm adhærescerent, vitamque hanc mortalem æquo impensiùs diligerent: sed in aliam illam toto animi affectu & dilectione ferrentur, ad eamque incessanter suspirarent, utpote *ubi non erit luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà.* Addit verò Augustinus, clementissimum Deum, ex infinita qua est bonitate & misericordia, voluisse, ut vita hæc (quia laboribus & malis obnoxia est) brevis foret, & citò finem acciperet: alia verò, quam expectamus, æternum duraret: nimirum labor esset brevis, gaudium & requies perennia. Porrò de illa sic loquitur Ambrosius: *Tantis malis hæc vita repleta est, ut comparatione eius mors remedium putetur esse, non pœna*; &, nisi eam Deus in castigationem & pœnam nobis immitteret, hanc nobis è misericordia, ac velut donum remediumq; dari cuperemus, quò tanta mala & ærumnæ finem aliquando acciperent. Sæpè quidem, fateor, mundani homines in hoc peccant partim ex impatientia, qua ærumnas à Deo immissas accipiunt, partim in modo quo ab eo mortem postulant, quia nonnisi quiritabundè, expostulando, & cum impatientia, eam appetunt: sed, si pacificè, & cùm plena sui subjectione eam peterent, hoc modo, *Domine si placet, educ me ex hisce malis, satis est quod vixi*; peccatum non esset.

Eccli. 30. 17.

Aug. lib. 2. contra 2. ep. Gaudentii c. 12. sō. 7.

Cur Deus mundū fecit amarum.

Vt ad cœlum anhelemus.

Apoc. 21. 4.

Serm. 37. de Sanctis, qui est primus in festo omnium Sanctorum.

Hæc vita brevis quia amara, illa æterna, quia læta.

Serm. super c. 7. Iob. 1. 2.

Mors remedium ærumnarū vitæ.

Mors peti potest, sed cum patientia.

3. *Secundò*, tum maiori mors perfectione desideratur, quando quis eam optat, ne Ecclesiæ mala & persecutiones, & continuas, quæ in Deum opt. max. committuntur, injurias videat. Sic eam optavit Elias Propheta, cùm Achabi & Iezabelis vexationem, cùm altaria destructa, cùm omnes Dei Prophetas interfectos cerneret, seipsum denique ad eandem necem conquiri sciret: quare honoris divini zelo actus, & iis se malis mederi non posse cernens, in desertum concessit, & sub arbore juniperō se prosternens, *petivit animæ suæ, ut moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam*, ne tot mala & offensas tui videam: *neque enim melior sum quam Patres mei.* Et generosus ille populi Dei dux, Iudas Machabæus dicebat: *Melius est nos mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ & sanctorum*, & honorem Dei proculcatum: Atque hoc dicto suos ad strenuè pro lege Dei pugnandum animabat. Sanctus item Augustinus (uti in eius vita legimus) Wandalis ex Hispania in Africam trajicientibus, eamque universam ita destruentibus, ut non viro, non mulieri, non clericis, non laicis, non pueris, non senibus parcerent; & jam Hipponam

Secunda ratio. Mors optanda, ne publica mala videam. Exempla.

3. Reg. 19. 4.

1. Macc. 3. 59.

S. Augustinus è tribus in obsidione Hippon petivit mortem obtinuit.

ponam (cui ille ut Episcopus præerat) magna militum manu obsidentibus tantam populi sui tribulationem miseratus, & Ecclesias clericis, urbesque civibus hostili gladio jam jugulatis viduatas cernens, quàm amarissimè jam senio gravis flevit; & omni clero suo in unum locum convocato, Tria, inquit, Dominum rogavi, ut vel nos ab hisce periculis liberet, vel ad ferendum patientiam concedat, vel me è vitæ huius ergastulo educat, ne tanta mala coram videre cogar: tertiam porrò mihi ipse concessit. Nec fefellit: nam tertio obsidionis Hipponensis mense malè valere cœpit, pòst paulò demortuus est. Simile quoque exemplum in vita S. P. nostri Ignatii legimus. Hæc nimirum est Sanctorum perfectio, ita in Ecclesiæ persecutionibus, & quæ adversus divinam majestatem committuntur, flagitiis dolere & contristari, ut ea ferre æquanimiter nequeant; ideoque ad mortem jugiter anhelent, ne tantum tamque grave malum videre cogantur.

Lib. vitæ c. 16. B. Ignatius mori maluit, quàm Ecclesiæ perturbationē videre.

4. *Tertia*, eaque etiam bona; multæque perfectionis, ad mortem optandam, & à Deo postulandam, causa & ratio est, quòd à morte eum non ampliùs sumus offensuri, sed à peccando planè immunes & securi erimus. Certum enim est, nullam, quamdiu in hac vita agimus, nobis esse de non peccando securitatem; sed in mortale peccatum incidere nos posse: scimus etiam alios multo nobis perfectiores, quique illustribus Dei donis ornati erant, & verè sancti, & quidem sanctissimi, fœdè prolapsos esse. Quod inter cætera servos Dei maximè percellit, & semper timere facit; & in causa est, cur ex hac vita emigrare ardentissimè desiderent. Si cui, ut non peccet, optare liceat etiam non natum fuisse, & nunquam exstitisse, quanto magis mortem? Maius quippe malum est peccatum, quàm non esse; & melius esset non esse, quàm peccasse. De suo proditore Iuda dicebat Redemptor IESUS: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Et hunc in sensum exponit Sanctus Ambrosius illud Ecclesiastæ: *Et laudavi magis mortuos, quàm viventes; & feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus est. Mortuus,* inquit, *præfertur viventi, quia peccare desinit: mortuo præfertur, qui natus non est, quia peccare nescivit.* Quamobrem laudabile illud exercitium erit, si sæpè in oratione dicamus, Domine ne permittas me separari à te: Domine, si te offensurus sum, ex hac vita potius me quamprimùm educito, quàm te offendam: Non aliam Domine ob causam vivere volo, quàm ut tibi serviam; &, si vivendo tibi servire non possim; vivere posthac detrecto. Est autem hoc exercitium Deo longè gratissimum, nobisque imprimis utile; in eo namque exercetur cùm dolor & detestatio peccatorum, tum humilitas & amor Dei; res item in eo petitur, qua nulla à Deo peti potest gratior. Regina Blanca quæ erat sanctitate, filio suo S. Ludovico Galliæ Regi identidem dicere solebat: Mallem te jam mortuum coràm videre, fili mi, quàm ut ullum

Tertia ratio. Vt Deum ultrà non offendam', mors optanda est. Exempla.

Lapsus sanctorū concutit justos.

Peccati malitia.

Matt. 26. 14.

Serm. 18. *in Ps.* 118.

Eccl. 4. 2.

Malo mori, quàm peccare.

S. Blanca S. Ludovicum à mortali peccato deterret.

ullum lethale crimen conſciſcas. Tantopere porrò hoc deſiderium & benedictio materna Deo placuit, ut nullum is totâ vitâ peccatum mortiferum dicatur admiſiſſe. Eundem forſan effectum, deſiderium & petitio hæc in te operabitur.

Martyr eſt qui moritur, nec peccatũ veniale cõmittat.

5. Adhæc, non ſolùm ad mortalia peccata evitanda mortem optare bonum eſt, ſed etiam ad venialia, ſine quibus vita hæc duci vix poteſt. Verus quippe Dei ſervus paratus eſſe debet mori potiùs, quàm ullum peccatum, non ſolùm mortale, verùm etiam veniale (v. g. officiosè mentiri) committere. Et ſanè qui hanc ob cauſam mortem pateretur, verus eſſet Martyr. Cum certo certius ſit, nos, ſi diu vivamus, multa peccata venialia admiſſuros: nam *ſepties in die cadet juſtus*, id eſt, ſæpiùs; imò, quo vivit diutiùs eò cadet frequentiùs.

Prov. 24. 16. S. Thom. 2. 2. q. 124. art. 5. ad 2.

Vitæ tædium ex miſeriis eius laudabile.

6. Præterea non ad venialia ſolùm evitanda, optant ſervi Dei ex hac vita egredi; ſed etiam, ut à tot defectibus imperfectionibuſque, tot item tentationibus ac miſeriis, quot quotidie experiuntur, immunes ſe ac liberos videant. Vnde benè ſanctus ille ſcriptor: Heu Domine quid patior: *Propono me fortiter acturum, ſed, cùm modica tentatio venerit, magna mihi anguſtia fit*: & dum de cœleſtibus cogitare volo, carnalia magno impetu menti ſe ingerunt. *Heu! qualis eſt hæc vita, ubi non deſunt tribulationes & miſeriæ; ubi plena laqueis & hoſtibus ſunt omnia! nam unâ tribulatione ſeu tentatione recedente, alia accedit; ſed & priore adhuc durante conflictu, alii plures ſuperveniunt & inſperati. Quomodo poteſt amari vita, tantas habens amaritudines, tot ſubjecta calamitatibus & miſeriis? quomodo etiam dicitur vita, tot generans mortes & peſtes?* Illuſtris quædam Sancta dicere ſolebat, ſe, ſi quid homini eligere fas eſſet, non ſe aliud quàm mortem eſſe electuram: illius enim adminiculo, anima timere deſinit, ne quid unquã exinde committat, quod, quo minùs purè Deus ametur impedimento ſit.

Thom: à Kemp. l. 3. de imit. Christi. c. 20.

Magna perfectio mori velle, ne venialiter peccet.

7. Majoris proinde perfectionis videtur, ſi quis diſſolvi cupiat, ut venalia peccata, imperfectiones, & defectus evitet, quam ut mortalia. Fieri quippe poteſt, ut ideo mortaliter delinquere nolit, quòd infernalia tormenta horreat, ac ſolo ſuiipſius amore teneatur, potiùs quàm ex amore Dei: ſed, tam ardenti erga Deum amore ferri, ut mors ex animo optetur, ne qua venialia, aut leves defectus imperfectioneſvé admittantur, inſignis puritatis intentio, & magnæ perfectionis argumentum eſt.

Sæpè plus peccamus quàm ſatisfacimus diu vivendo.

8. Dices, ſed hic vivere cupio, ut pro culpis & delictis meis faciam ſatis. Ad hoc reſpondeo, ſi, diutiùs vivendo, ſemper quid de præteritis demeremus, novas verò ad priores culpas non ſuperadderemus; laudabile id propoſitum foret. At ſi, non modò de debito nihil imminuis, ſed ipſum ſemper aggravas, & quo diutiùs vitam protrahis, eo plura accreſcunt de quibus Deo ſit tibi ratio reddenda; tunc non erit commoda obiectio. Vnde benè conqueritur S. Bernardus, *Cur ergo tantopere vitam iſtam*

Cap. 1. Meditat.

istam desideramus, in qua quanto amplius vivimus, tanto plus peccamus; quanto est vita longior, tanto culpa numerosior? Et S. Hieronymus. *Quod esse discrimen putas inter eum qui moritur puer, & eum qui demoritur senex; nisi quòd hic peccatis abeat oneratior, & plurium coram Deo culparum reus, quàm ille?*

Ep. ad Heliodorum.

8. Longè meliùs hac in re animatus erat S. Bernardus: qui quoad hoc magna cum humilitate id de se confitetur, quòd majore cum veritate de nobis ipsi dicere possemus: *Vivere erubesco, quia parum proficio, mori timeo, quia non sum paratus: malo tamen mori, & misericordiæ Dei me committere & commendare, quia benignus & misericors est, quàm de mala mea conversatione alicui scandalum facere.* Est hæc profectò laudabilis quædam resolutio. R. P. M. Avila dicebat, ei etiam, qui nonnisi mediocrem dispositionem haberet, mortem tamen potiùs desiderandam videri, quàm vitam; idque ob assiduum, in quo degimus, peccandi periculum, quod omne per mortem tollitur. Vnde præclare S. Ambrosius, *Quid est mors, nisi sepultura vitiorum, & virtutum suscitatio?*

De inter. domo, c. 35.
S. Bernardus maluit mori quàm tepiditate scandalū dare.
M. Avila.
Mors optanda ne peccemus.
Lib. de bono mortis c. 4.

9. Omnes priores mortis desiderandæ rationes & motiva bona sunt: at omnium perfectissima videtur illa, quæ Paulum Apostolum ad eam optandam incitabat, ut, nimirum, Christum, quem tam ardenter desiderabat, videret: *Desiderium*, inquit, *habens dissolvi, & esse cum Christo.* Quid ais, Paule? cur à corpore hoc dissolvi, & liberari cupis? An, ut labores in Evangelii prædicatione subeundos effugias? minimè; imò *glorior in tribulationibus.* Quamobrem ergo? Vt à peccando sis tutus? ne ideò quidem: *Certus sum enim, quia neq; mors, neque vita poterit nos separare à caritate Dei.* Erat namque jam tum in gratia confirmatus, certusque de ea non amittenda; proinde non erat cur hac ex parte timeret. Quare ergo tantopere ad mortem aspiras? *Vt sim cum Christo*: ex puro scilicet amore eam desiderabat; *qui amore languebat*, itaque ad amatum suum anhelabat: hinc omnis ei mora & dilatio, quantumvis exigua, longa videbatur, quò dilecti præsentia frueretur.

Quarta ratio, Mors optanda amore Christi, exemplo Pauli.
Phil 1, 23.
Rom. 5. 3.
Rom. 8. 38.
Cant. 2. 5.

10. S. Bonaventura inter tres amoris divini gradus, hunc ut ultimū assignat. Primus autem est, Deum super omnia amare, ita, inquam, quidquid in mundo est diligendo, ut ob nullum horum peccatum mortale admittamus, nec ullum Dei mandatum violemus. Hoc est, quod adolescenti illi Evangelico Redemptor suasit: *Si vis*, dicens, *ad vitam ingredi, serva mandata.* Hoc porrò omnium est. Alter caritatis gradus est, ut in nuda mandatorum observatione non sistamus, sed iis insuper Evangelica consilia adiungamus: quod Religiosorum proprium est, qui non modò quod bonum est, sed etiam melius & perfectius procurant, secundùm illud Apostoli, *Vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Tertius, inquit, Bonaventura, amoris gradus est, *tanto affectu ad Deum æstuare, ut sine ipso homo quasi vivere non possit*: ideò hinc

Tres gradus charitatis
Primus Præcepti.
Matt. 17. 16.
Secundus, Consilii.
Rom. 12. 2.
Tertius, Impatientia amoris.

hinc liberari, & corporis huius carcere eripi gestit, ut sit cum Christo, cupitque hoc exilium finiri, ac corporis huius parietem integerrimum, & impedientem quo minùs Deum videamus, dissolvi & ruere. Qui tales sunt, inquit, his vita hæc quædam patiendi materia, aut potius fastidio est, mors verò in votis & planè desiderabilis.

Lib. 5. c. 1. vitæ. B. Ignatius spe mortis flebat, nō suam sed Christi gloriā spe ans.

11. Sic S. P. N. Ignatius, ut vitæ eius historia perhibet, ardentissimè è corporis huius custodia eripi desiderabat, animaque eius tantopere ad Dei fruitionem anhelabat, ut, cùm suæ mortis incideret cogitatio, lacrymas, quas è puro gaudio & amoris dulcedine oculi eius distillabant, inhibere non posset. Quamquam, ut ibidem legitur, non tam ad mortem anhelabat, ut sibi summi illius boni fruitio obtingeret, ipseque beato illo Dei conspectu donaretur; quàm, ut felicissimam sacratissimæ humanitatis fil i Dei, quem tam affectuosè adamabat, gloriam conspicaretur. Et sicut hîc in terra amico volupe est, eum, quem toto corde diligit, ad honores & dignitate evectum videre: ita S. P. N. ex hac vitæ statione discedere avebat, non sui commodi & quietis propriæ intuitu, sed ex puro erga Christum amore. De gloria, scilicet, eius gaudere & exultare cupiebat, eique de eadem congratulari. Hic altissimus & perfectissimus amoris est gradus, ad quem homo queat pertingere.

12. Atq; hoc modo, mortis memoria non solum amara nobis non erit, sed etiam mirè nos recreabit, & gaudio adimplebit. Vlteriùs paulò progredere, & considera intra paucos dies cœlo te beandum, ibique donandum eo, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis potest ascendere, omniaque in gaudium & delectationē tibi convertenda. Quis porrò non exultet, quòd exilii jam sit finis, & laborum terminus? Quis non gaudeat, quòd finem ultimum, ad quem à Deo conditus fuit, jam consequatur? Quis non lætetur, quòd hæreditatis suæ, & quidem tam opulentæ, possessionem adeat? Atqui per mortis januam ad cœlestem hereditatem admittimur. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini.* Neque enim bonorum illorum æternorum possessionem possumus, nisi mediante morte, adire. Hinc *justum* Sapiens ait *in morte sua sperare.* Ipsa enim medium & scala est, per quam in cœlum ascendatur. Vnde etiam ipsa unicum est in hoc exilio solatium. *Psallam & intelligam in via immaculata, quando veniet ad me.* Sic autem locum hunc Prophetæ declarat August. Intentio & desiderium meum, Domine, est, tota vita me immaculatum conservare; & hoc intendens, semper tibi psallam. Carminis autem mei thema erit, Quando hoc exilium terminabitur, Domine? quando me evocabis? proficiscar ad te? *quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Heu! quam diu optatissima illa hora differtur! quàm mihi jucundum erit audire, eam jam advenisse! *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus: stantes erant pedes nostri in atriis*

Mors cœlum aperit. *Ps. 126. 3.* *Prov. 14. 32.* *Ps. 100. 2.* *Tract. 9. super ep. 8. Ioan.* *Psa. 41. 3.* *Psa. 121. 1.*

Desiderium vitæ æternæ canticum justorũ.

in atriis tuis Ierusalem. Id est. Jam mihi videbar in cœlesti Jerusalem præsens adesse, ad Angelorum beatorumque omnium societatem admissus, ibique te, Domine, in sempiterna sæculorum sæcula frui. Amen.

Caput XXI.

Prædicta nonnullis exemplis confirmantur.

Exemplum 1. quod Deus exaudit ad salutem, non ad voluntatem.

HOMINI cuidam opulento (sic in vita S. Joannis Eleëmosynarii Patriarchæ Alexandrini refert Metaphrastes) filius erat inprimis charus: de cujus vita & sanitate sollicitus, B. Joannem adiens rogat, ut eum per preces Domino commendaret; eique simul magnam auri vim, quam in pauperes effunderet, ea intentione dedit. Fecit Joannes rogata: nihilominus tricenis pòst diebus filius divitis demoritur. Cujus morte nimium quantùm afflictus parens, credit orationem & eleëmosynam, quæ ad eum incolumem conservandum facta erant, frustranea fuisse. Episcopus ergo, cognitâ viri mœstitiâ, pro eo Deum est precatus ut eum consolari dignaretur. Audiit orationem clemens Deus; unde nocte quadam ad hominem illum Angelum de cœlo submisit, qui orationem, quæ pro filio ejus facta fuerat, à Deo diceret fuisse exauditam, ob eamque in cœlo vivere, & sospitem agere. Addebat, ei maximè commodum & expediens fuisse, illa temporis oportunitate mortuum esse, quòd salvaretur: Si enim diu vixisset, vitâ flagitiosâ Dei se conspectu indignum reddidisset. Addidit, illum scire debere, nihil eorum quæ in hac vita contingunt, sine justo Dei judicio & nutu evenire, etsi alioquin judiciorum ejus causæ homines lateant, eos proinde nullum inordinatæ tristitiæ locum dare debere, sed quidquid Deus fieri vult, patienti gratoque animo accipere. Ad cœleste hoc monitum defuncti adolescentis pater tristitiam posuit, inque Dei voluntatem se resignans, Deo posthac servire constituit.

Hist. Thebæ lib. 2. c. 2. *Exemplum 2.*

2. In gestis Thebæorum Martyrum, illustre quoddam S. Mauritius, legionis illius Thebææ dux mulieri cuidam nobili, erga se mirè affectæ, beneficium legitur contulisse. Habebat hæc filiolum unicum, quem, ut cum tempore sanctos piosque mores addisceret, pueritiæ annis jam transactis, monachorum Monasterii S. Mauritii curæ concredidit, pro more illorum temporum, & sicut S. Maurum, Placidum, aliosque prima Romana nobilitate insignes adolescentes tempore S. Benedicti, parentes monachis erudiendos dabant, & sicut multis pòst annis S. Thomam Aquinatem Cassinensi in cœnobio, ejus mater Theodora, & fratres Comites Aquinates, formandum, curarunt. Adolescens ergo hic, unicus hujus matronæ filius, insignes pro ætate in litteris, bonis moribus, ac disciplina religiosa, in Monasterio illo progressus faciebat, & jam unà cum Monachis suavissima vocula in

choro canere didicerat. At cum non multo pòst tempore ex febricula, qua aliquamdiu laborarat, exstinctus esset; afflictissima mater ad templum venit, multisque cum lacrymis funus ejus ad tumulum usque est prosecuta. Verum multæ, quas quotidiè fundebat, lacrymæ nec dolorem ejus temperare vel minuere, nec ipsam impedire poterant, quo minùs quotidiè sepulchri locum adiret, eumque humectaret. Tum verò magis cum, officia divina cantantibus Monachis, filii sui vocem jam ampliùs audire se non posse recogitabat. In tristi hoc officio & dolore cùm jugiter perseveraret, ploraretque non modò in templo per diem, sed etiam domi de nocte, ita ut requiescere neutiquam posset; tandem quadam vice flendo defatigata, in lenem somnum incidit. Cui dormienti apparens sanctus Dux Mauritius, dixit: *Quid filii tui mortem tam pertinaciter plangis, mulier, nullum ut lacrymis finem statuis?* Tum illa; Ne omnes quidem vitæ dies hunc mihi dolorem eripient: proinde, quoad vixero unicum filium meum semper deplorabo, nec antè oculi lacrymari desinent, quam eos fera mors claudat, & infelix lugensque hæc anima è corpore evolet. Infert Mauritius, Noli post hac, mulier, filium tuum, quasi demortuum plangere: non enim mortuus est, sed vivus; ac nobiscum in vita æterna cœlestibus gaudiis perfunditur. Ut autem quæ dico, vera esse credas, cras mane ad matutinum abi, ac filii tui vocem inter aliorum fratrum officia divina concinentium voces audies: neque cras solum eam audire dabitur, sed quotiescunque divinis laudibus in templo intereris. Quare jam tandem flere desine, & lacrymis modum pone, utpote quæ gaudendi magis quàm tristandi occasionem habes. Experrecta mulier, incredibili cum desiderio Matutinarum tempus exspectavit, ut de rei veritate certa redderetur; dubitavit enim num aliquod somnium fuisset. Ut ergo designata venit hora, templum ingressa, in ipso Antiphonæ prælu dio, suavissimam beati sui filii vocem agnovit: deque gloria, qua in cœlo donatus erat, secura, omnemque à se mœstitiam eliminans, & infinitas Deo gratias agens, quotidiè suavissimam illam in templo illo vocem, interim dum sacræ Laudes canerentur, audivit; Deo, scilicet, hac ratione eam consolante, tamque singulari beneficio perveniente.

Mater filii mortui vocem audit in choro.

3. Eques quidam nobilis cùm in venatu feram subitò prosilientem solus, nullo famulorum comitante (quòd aliis feris insequendis distinerentur) magno ardore prosequeretur; procul à suis divulsus est, donec ad sylvam quandam pervenit, in qua hominis vocem suavissimam audit. Miratur ille se talem in loco deserto vocem audire (neque enim credebat, eam aut famulorum, aut alicujus eo in loco agentis vocem esse posse:) & scire cupidus, qualis aut cujus ea esset, ad interiora sylvæ penetrat, &, ec-

Flores Henrici Gran. lib. 4. n. 68. Exemplum.

& , ecce , recepit ibi leprosum, tam squalido tetroque aspectu deformem , ut commiserationem aspicientibus moveret, utpote cujus carnes toto corpore convulsæ , vix ad invicem cohærebant. Ad primum conspectum perhorrescens & consternatus Eques, hæsit, collectis tamen aliquantulùm viribus , & sumptâ audaciâ accessit propiùs, eumque verbis amicissimis compellans , percunctatus est, num ipse paulò antè cecinisset, & undenam tam suavis & arguta ei vox esset? Respondit leprosus, Ego sum , Domine , qui cecini, vox hæc mihi naturalis est. Quî fieri potest , ait Eques , ut cum tot malis confictanti cantare tibi libeat. Tum pauper, Non aliud inter Dominum meum & me, est interstitium, quàm luteus quidam paries, hoc, inquam, corpus: quo diffracto, hocque impedimento sublato , æternæ majestatis ejus visione mox beabor , quoniam verò parietem hunc quotidiè frustatim decidere & diminui video ; hinc incredibili quadam cordis jucunditate gaudeo & canto, corporis hujus dissolutionem semper exspectans, uti reverera exspecto : non enim ante, quàm ipsum penitus solvatur , possum ad Deum fontem vivum , apud quem rivos perennes reperire est, proficisci.

Leprosus spe mortis suaviter canit.

Cyprian. li. de mortal. Exemplum 4.

4. Episcopus quidam, referente S. Cypriano , cùm gravi infirmitate pressus ad extrema redactus esset, sed morte jam vicinâ valde discruciaretur, Dominū precatus est, sibi ut vitā diutiùs prorogaret. Vnde Angelus, in pulchri adolescentis miroq; fulgore coruscantis specie ei se spectandum dedit, & gravi severaq; voce increpavit, dicens, *Pati timetis, exire de vita non vultis, quid faciam vobis?* Ostendens , Deo displicere quod homo tam ægrè ex hac vita & invitus discedat. Notat autem Cyprianus, Angelum hæc illi verba dixisse , ut suo in agone ea ipse apud alios palàm repeteret, & edoceret.

Aut patiendū, aut moriendū.

Surius tom. 1. 11. Ian. Exemplum 5.

5. S. Theodosius Abbas, (uti scriptum reliquit Simeon Metaphrastes, & ex hoc Surius) probè gnarus, quantæ esset utilitatis mortis recordatio; simul etiam aliquam per hoc discipulis suis spiritualis profectus occasionem dare cupiens, sepulchrum quoddam aperiri iussit: eoque aperto , vna cum discipulis suis in orbem circumserto stetit , dicens , Ecce sepulcrum apertum est ; quis vestrum primus huic inseretur , vt hic eius exequias celebremus? Quo dicto, manu quēdam, Basilium nomine apprehendit, erat hic Sacerdos, magnæq; virtutis vir, proinde ad mortem hilariter oppetendam optimè dispositus & paratus. Hic genu flexo, *Da mihi*, ait, *Pater, benedictionem : ego enim futurus sum primus , cui hoc in loco solenne pro defunctis officium peragetur.* Basilius id ultrò petiit ; Theodosius autem haud gravatè concessit. Quare, Abbate jubente, ei etiamnum viventi omnia officia & justa persoluta sunt, quæ mortuis fieri pro amore consueverunt: nempe officium primi, tertii, noni , atque aliorum ex ordine dierum , usque ad quadragesimum. Sed, ecce rem miram: finitis exequiis & officio quadraginta dierum jam soluto

Mortem exoptans exequias sibi præmittit.

Basilius benè valens & sanus, sine ullo febris, aut capitis; aut quopiam alio dolore; sed velut suavi & placido quodam sopore obdormiscens, ad Dominum emigravit, virtutis suæ, promptitudinis, alacritatisque, qua cum Christo Domino esse jam dudum desiderarat, præmium recepturus. Vt verò appareat, quantopere hæc promptitudo & alacritas, qua sanctus hic monachus ex huius vitæ ergastulo exire gestiebat, Deo placuerit; post prius miraculum, statim aliud secutum est. Narrat quippe Metaphrastes, eum quadraginta continuis post mortem diebus, Theodosio Abbati visum, quasi quotidie ad Vesperas veniret, & cum reliquis fratribus in choro præsens caneret; esto eum hi nec viderent, nec cantantem audirent, præter unum, præ aliis virtute excellentem, nomine Aëtium; qui quidem eum audiebat cantantem, non tamen videbat. Hic ergo Theodosium adit, rogans num fratrem Basilium cum reliquis in odéo cantantem audiret? Cui Abbas, Et audio eum, & video; & si velis, efficiam ut ipse eum videas. Quare cùm postridie ad canendum officium in chorum convenissent, vidit in eo Abbas Basilium cum aliis fratribus, uti vivus solebat, cantantem, eumque digito Aëtio monstravit; simul Deum rogans, illius ut oculos aperire dignaretur, quò Basilium quoque videre posset. Illum ergo vidit & agnovit Aëtius, ilico illuc magna cum alacritate accurrit, ipsum complecturus: at eum comprehendere non valuit, quia subitò ex oculis evanuit; clara, quam omnes audirent, voce dicens; Valete Patres fratresque, valete; ex hoc amplius me non visuri.

Mortuus chorum frequentat.

Mortuus apparet: sed tangi non sustinet.

Chronic. Augustinianorum centur. Exempl. 6.

6. Cùm S. Columbanus junior, cognatus & discipulus Columbani maioris, ardentissima oppressus febri, & morti jam proximus, eam (utpote sanctæ spei plenus) omnibus votis desideraret; apparuit ei splendidus quidam juvenis, dixitque, Noris, orationes & lacrymas, quas Abbas tuus pro tua sanitate assiduò fundit, obstare quo minùs ex hac vita decedas. Vnde ipse amorosè blandeque cum Abbate expostulans, cum lachrymis ait; Quare me violenter in ærumnosa & tristi hac vita retines, Abba, & impedis quo minùs statim ad æternam & cœlestem requiem evolem? His auditis, Abbas eius causa plorare & orare desiit; unde Columbanus mox, convenientibus fratribus omnibus, sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis communitus, omnesque adstantes peramanter amplexus, in Domino obdormivit.

Oratio vitã prolongat.

Columbanus mortem exoptat.

Lib. de fide resurrection. Exempl. 7.

7. Thraces, referente S. Ambrosio, pro more habebant, si quis in lucem prodiret, lacrymari; è diverso plaudere & convivari quopiam vita decedente. Natalem scilicet & nativitatem planctu, diem obitus verò & emortalem festo plausu epuloque excipiebant. Credebant enim (nec sine ratione) inquit Ambrosius, eos qui in calamitosum & ærumnosum hunc mundum, tot laboribus plenũ, primùm ingrediebantur, dignos esse quorum sors deploraretur; abeuntes autem è tristi hoc exilio, ut felices de præ-

Vita deflenda, mors optanda.

depraedicandos, festaque lætitia prosequendos, quòd jam à tot ærumnis ac miseriis liberarentur. Quod si id faciebant Gentiles & pagani, qui, quam nos Christiani à morte exspectamus gloriam, prorsus nesciebant; quid non facere & sentire par est nos, qui fidei luce illustrati, novimus quibus donandi sint bonis, qui piè in Domino moriuntur? Quare multò potiori jure dixit Sapiens, *Meliorem esse diem mortis die nativitatis.*

Eccles. 7.2

Christus deflet Lazari resuscitatione mortem suā defleri nō vult.

8. Hanc ob causam Redemptor noster Iesus, ex hoc mundo ad Patrem transiturus, discipulos suos vetuit contristari, ut benè observat D. Hieronymus: *Nescitis,* inquit, *quid facitis: quia si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem.* E diverso cùm Lazarum à morte ad vitam suscitare voluit, flevit. Non flevit, inquit, Hieronymus, quòd esset mortuus; quia statim eum erat vitæ restituturus: sed quòd vitæ huic calamitosæ restitui debebat; & quod is, quem tantopere dilexerat, ad exilii huius labores & ærumnas erat rediturus.

Epist. ad Tirasiū. Ioan. 14. 18. Ioan. 11. 35.

Caput XXII.

Quàm cum Dei voluntate conformes & concordes esse nos oporteat in generalibus, quas nobis immittit, calamitatibus & malis.

In calamitatibus proximo cōdolere possum⁹.

1. Non solùm in propriis privatisque laboribus & casibus Dei voluntati nos confirmari oportet, verùm & in publicis & generalibus, nempe famis, bellorum, mortalitatis, pestis, aliisque id genus cladibus ac calamitatibus, quas Ecclesiæ suæ immittere Deo placet. Vt autem meliùs hoc intelligatur, supponendum, hîc est, quòd, licèt una ex parte ob generales hasce calamitates & flagella doleamus, nosque mali & ærumnæ, quam proximus patitur (ut par est) pigeat: ex alia tamen, considerando eas, prout Deo volente fiunt, & per justa eius judicia diriguntur (ut, nimirum, illa ex iis bona & fructus eliciat, quæ ad maiorem gloriam suam ponit futura) in illis nos cum sanctissima & divina eius voluntate possumus conformare. non secùs ac judex erga reum & maleficum se habet, à se morti adjudicandum: qui etsi hinc, vel naturali compassione, vel quòd amicus sit, doleat quòd talis morti sit adjudicandus; illinc tamen liberè sententiam in eum pronuntiat, eumque mortis reum declarat, quòd ad commune Reipubl. bonum id ita fieri conveniat.

Possum⁹ tamen etiam illas velle, uti De⁹ vult easdem.

2. Quamvis verò Deus nos obligare noluerit, ut in omnibus illis rebus cum voluntate ipsius conformemur, eas positivè volendo, & amando; sed satis illi fuerit, ut eas ipsi patienter, nec divinæ justitiæ obluctando repugnandové, nec adversus eam murmurando, feramus; communiter tamen Theologi, & sancti Patres docent, maioris perfectionis & meriti opus, perfectiorem item & majorem resignationem fore, si quis eas non modò patienter ferat, verùm etiam amet, ultroque quærat, in quantum Dei sunt voluntas, beneplacitum,

Non tenemur flagella amare, sufficit si patienter feramus.

D. Bonavent. 1. sentent. dist. 48 q. 2. & alii.

Perfectio est ea etiam amare.

tum, ac divinæ justitiæ decretum, & in quantum ad maiorem nominis eius gloriam referuntur: uti faciunt Beati in cœlo, qui omnibus in rebus Dei voluntati consentiunt; uti docet Sanctus Thomas, & vulgari similitudine id declarat S. Anselmus. Ait siquidem, ita in cœlesti patria voluntates nostram & Dei concordes fore, ut hîc sunt duo eiusdem corporis oculi; quia non potest unus oculus quidpiam videre, quin id videat & alter: ideò, licèt duobus oculis aliquod objectum videatur, semper tamen id in se unum idemque est.

1.2.q.19. ar. 10. ad 1. Lib. similit. c. 63.

Sancti sunt cōformes voluntati Dei.

3. Quare sicut Sancti in cœlo omnibus in rebus cum Dei voluntate se conformant (quia in illis justitiæ ipsius ordinem, & maioris gloriæ divinæ finem, ad quam universa referuntur, intuentur:) ita non parva nostra futura perfectio est, si ipsi in hoc Beatos imitemur, si inquam, cupiamus, ut ipsa voluntas Dei taliter hîc in terra fiat, sicut in cœlo. Velle quod Deus vult, & eàdem de causa ac fine, ob quem id ipse vult, non potest non esse bonum.

Iudicium S. Augustini de calamitatibus.

4. S. Augustinus, ut de eo testatur in vita Possidonius, cùm civitas Hipponensis, in qua commorabatur, à Wandalis obsidione cingeretur, magnam eius stragē & civium mortalitatem videns, illo se Philosophi veteris dicto solabatur, *Non erit magnus, magnum putans quòd cadunt ligna & lapides, & moriuntur mortales.* Potiori jure nos ipsi consolari debemus, considerantes, omnia illa adversa de manu Dei proficisci, hancque eius voluntatem esse.

Iudicia Dei sæpe occulta; nunquā iniusta.

5. Et, esto causa, ob quam mala & calamitates has immittit, occulta sit, non propterea tamen posse esse iniustam. Iudicia quippe Dei valdè sunt abstrusa, & abyssus profunda: sicut dicit Propheta, *Iudicia tua abyssus multa.* Nostrum verò non est, tenui & curta ingenii nostri bolide ea investigare velle: hoc enim ingens esset temeritas. *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* quis te ad illius consilia & arcana admisit, ut in illa præsumas inquirere?

Psal. 35. *Rom. 11. 14. Isa. 40. 13.*

Deus nulla mala permittit, nisi ad maius bonum.

6. Quin potiùs magna cum humilitate ea nos par est revereri, & credere, ab infinita Sapientia nihil aut venire, aut venire posse, nisi quod maximè ordinatum est; & ita ordinatum, ut tandem nonnisi in maius nostrum bonum & utilitatem sit cessurum. Semper hoc fundamentum præ oculis nos habere oportet, nobis, inquam, persuadere, infinitam illam Dei bonitatem & misericordiam, non aliter id genus mala & calamitates nobis immissuram aut permissuram esse, quam ut alia majora bona ex iis eliciat.

Lib. 2. Moral. c. 32. Simile.

Per tribulationes multi salvantur.

7. Hac nimirum via multos Deus ad cœlum vult conducere; qui si aliud iter insisterent, haud dubiè pessum irent. Quàm multos videas, qui per adversa & turbida ex toto corde ad Deum convertuntur, & cum vero de sceleribus dolore pœnitentiaque ex hac vita decedentes, cœlesti donantur vita, sempiterna alioquin morte damnandi? Quamobrem, quod videtur esse dura castigatio ac flagellum, nonnisi ingens est

est misericordia & singulare beneficium.

Non ad interitū, sed ad correptionē flagellat Deus.

8. Auctor libri secundi Machabæorum, postquam atrocem & horrendam illam impiissimi tyranni Antiochi persecutionem, necnon immunem illam in populum Dei stragem, qua ille nec puerili, nec senili ætati; non conjugatis, non virginibus innuptis pepercit; eiusad hæc sacrilegia, quibus templum Domini dispoliavit & profanavit; abominationes denique, illo instigante & auctore in illo commissas commemorasset; hac tandem clausula rem universam concludit. *Obsecro autem eos, qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter adversos casus, sed reputent ea quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri.*

Lib. 2. Moral. c. 32. Simile.

9. Appositè ad hoc propositum S. Gregorius, Sanguisuga, inquit, ægri sanguinem exugens, nihil aliud spectat, quàm ut eo se repleat, omnemque vitalem amorem, si possit, imbibat: medicus verò eius ope nonnisi malum sanguinem educere, & sanitatem ægro afferre satagit. Idem spectat & Deus, dum nobis mala, adversa, & tribulationem immittit. Quare, sicut infirmus imprudenter ageret, si vitiatum sibi sanguinem extrahi non pateretur, magis ad id quòd à sanguisuga exspectat, quàm ad medici intentionem respiciendo: pari modo nostrum est in qualibet adversitate, tam ea quæ ab hominibus, quàm ab alia quacunque creatura nobis infertur, non ipsos & ipsas, sed sapientissimum medicum, Deum inquam intueri: nam hæ omnes ei sanguisugarum vicem præstant, & media sunt ad vitiosum sanguinem eliciendum, ac totali nos saluti restituendos aptissima. Quamobrem ipsi nobis persuadeamus & intelligamus oportet, omnia illum nobis, nonnisi ad maius animæ bonum & utilitatem nostram, immittere.

Beneficium ingens sic flagellari.

10. Imò vero tametsi nihil aliud in hoc subesset, quàm quòd nos Dominus, velut filios dilectissimos, in hac vita castigare velit, nec castigationem in futuram nobis obseruare; nihilominus ingens id bonum & beneficium foret.

Vita eiusdem p. 2. c. 4. Exemplum, flagella hic eligenda esse.

11. Cùm S. Catharina Senensis ob falsum, adversus virgineam eius puritatem à malevolis hominibus confictum testimonium mirè contristaretur, se illi Redemptor noster Christus spectandum dedit, dextra coronam multo auro gemmisq; pretiosissimis radiantem, sinistra aliam spinis & sentibus rigentem, gestans ac dicens, Necesse est dilecta filia, utraque hac corona diversis vicibus ac temporibus te coronari: alterutram tibi delige, vide, inquam, an velis in præsenti vita coronari spinea, illa autem pretiosa in vitam perpetuò duraturam reservetur, an verò in præsenti sæculo aurea illa & pretiosa redimiri, ut post mortem te maneat spinosa? Tum virgo: *Iam diu est Domine, ex quo voluntatem meam abnegavi, quò adimpleam tuam; non est proinde meum hanc optionem facere; si tamen me respondere velis, profiteor seriò, me hac in vita semper sanctißimæ*

paßioni

passioni tuæ similem ac conformem esse velle, & quaslibet pœnas ac dolores propter te in refrigerium meum semper amplecti. Hæc dicens, suis ipsa manibus spineam de manu Domini coronam accepit, totisque viribus capiti tam validè ac profundè impressit, ut ipsum spinarum aculei undique perforarent; hinc ex illa hora gravem de facto capitis dolorem è spinarum perfossione ac puncturis ortum, ad bene multos dies sensit.

S. Catharina Sen. spineam capiti coronã imprimit.

Caput XXIII.

Insigne suggeritur medium, ad labores & adversa à Domino nobis immissa, tam particularia quàm generalia, benè & magna animi conformitate ferenda; scilicet peccatorum cognitio, & de iisdem dolor.

Ob publica peccata Deus castigat.

1. Communis sanctorum PP. doctrina est, generalia illa mala & castigationes, ut plurimum à Deo ob iniquitates & peccata commissa immitti solere, quemadmodum è sacra Scriptura, quæ id genus exemplis plenissima est, liquidò patet. Vnde tres pueros legimus sic ad Deum orasse, *induxisti omnia hæc propter peccata nostra; peccavimus enim, & iniquè egimus, & præcepta tua non audivimus: omnia ergo quæ induxisti super nos & universa quæ fecisti nobis, in vero judicio fecisti.* Sic videmus, olim Deum tunc populo suo dilecto flagella immittere, & eum in manus hostium tradere solitum, dum is in ipsum peccasset; tunc verò eum ab iisdem liberasse, cùm delictorum pœnitens ad ipsum in toto corde convertebatur.

Dan. 3. 28 & seq.

2. Hinc cùm Achior Ammonitarum Princeps & dux, Holopherni pluribus declarasset, filios Israel singulari quodam modo à Deo suo protegi, eique curæ esse, nec aliter ab eo castigari, nisi cùm prævaricando à mandatis eius recederent; ei dein suggessit, ut antè, quàm bello eos adoriretur, perquireret, num esset aliqua iniquitas eorum in conspectu Domini, hæc enim si esset, fore ut sub jugum potentiæ Assyriorum facilè redigerentur; si verò non esset offensio populi huius coram Deo suo frustra, adversum eum ascendi, infelicemque belli eventum fore, & eius impugnatores confusione & opprobrio replendos; quoniam Deus excelsus cui nemo mortalium queat prævalere, illum protegeret.

Nulla nocet adversitas ubi nu[...] dominatur iniquitas. *Iudith. 5. 9.*

3. Particulariter id Theologi notant in verbis illis Salvatoris ad languidum illum, qui duo de quadraginta annis ad probaticam piscinam jacuerat, sanitati restitutum prolatis, *Ecce sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Quæ cùm ita sint, unum è mediis quæ ad nos in calamitatibus & laboribus, tam generalibus quàm particularibus, cum Dei voluntate conformandos & eos æquanimiter ferendos, inprimis conducent, erit; statim ad nosipsos reflectere, peccata in memoriam reducere, simul etiam cogitare, quam hoc ipsi flagellum promeruerimus: hoc enim modo omnem, quæcunque demùm nobis accidet

Peccati merces pœna & peccatorum memoria antidotum flagellorum. *Ioan. 5. 14.*

accidet, adversitatem in bonam partem capiemus, eamque minorem esse judicabimus, quàm peccata nostra commereantur.

Sensus conscientiæ tollit sensum pœnæ.

4. Præclarè rem hanc tractant S. Bernardus & Gregorius. Ille quippe sic loquitur, *Culpa ipsa si intus sentitur perfectè, utique exterior pœna parum, aut nihil sentitur: sicut S. David non sentit injuriam Semei conviciantis, memor filii persequentis. Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quærit animam meam, quanto magis nunc filius Iemini?* S. Gregorius porrò in illud Job, *Et intelligeres, quòd multo minora exigaris ab eo, quàm meretur iniquitas tua*; commentans, insigni hoc declarat similitudine. Quemadmodum æger, cùm ulcus & apostema suum jam vitiato purè infectum, carnemque omnem putruisse comperit, sed haud gravatè in chirurgi manus tradit, ut hic illud incidat, & carnes ubicunque expedire judicarit, præsecet; &, quo ulcus corruptius, malignius & puridius est, eo ferrum & cauterium admittit libentiùs: sic, dum quis ob plagam & infirmitatem, quam in anima peccatum progenuit, verè dolet, ipsum laboris, mortificationis & humiliationis cauma, quo plagam illam curare & putredinem illius tollere Deus vult, libenter admittit. *Dolor quippe flagelli*, inquit, *temperatur, cùm culpa cognoscitur.*

Serm. de altitu. & bassitud. cordis. 2. Reg. 16. 11. *Li. 10. Moral. c. 8. Iob. 11. 6.*

Medicinam refugit, qui morbum ignorat.

5. Quòd autem mortificationem ac laborem quemcunque illibenter ipse admittas, ac subterfugias, hoc in causa est, quòd culparum tuarum morbos malignitatemq; non agnoscas, nec putedrinem qua intus laboras, sentias; atque ideo cauterium & novaculam ferre nequis.

Flagella à Deo petēda.

6. Viri sancti autem, & veri Dei servi, non solùm libentissimè hæc flagella recipiebant, sed & ultrò desiderabāt, instanterq; à Deo petebant. Sic ea petebat Job dicens: *Quis det ut veniat petitio mea, & qui cœpit, ipse me conterat; solvat manum suam, & succedat me; & hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat.* Et Psalmista David; *Proba me Domine, & tenta me.* Et, *Quoniam ego in flagella paratus sum.* Et, *Bonum mihi, quia humiliasti me.* Ita quidem desiderant servi Dei à divina ejus majestate in hac vita humiliari & castigari, ait Gregorius, ut cùm hinc suas considerant culpas, inde verò videt, ob eas à Deo minimè se fuisse castigatos, non parum etiam contristentur.

Iob. 6. 8. Ps. 25. 2. Ps. 37. 18. Ps. 118. 71. Lib. 7. Moral. c. 7. & 8.

Pater castiget, ne judex cruciet.

7. Verentur enim & metuunt, ne fortè in alteram vitam (ubi rigidiùs ea exercebitur) castigationē illis Deus reservet. Atq; ideò eo loco S. Job addit, *Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat.* Perinde ac si diceret, Quia quibusdam Deus in hac vita parcit, ut eos postea in altera in sempiternum puniat, ne, obsecro, sic mihi in hac vita parcat, ut postea in æternum plectat: castiget me potiùs hic, ut clemens pater, ne pòst cruciet in æternum, ceu judex implicabilis: quia ob ejus flagella non murmurabo, non conquerar, *nec contradicam sermonibus sancti*; quin potiùs summæ ea mihi consolatione futura. Hoc etiam olim S. Augustinus orabat; *Hic ure, hic seca, hic nihil mihi parcas, ut in æternum parcas.*

Iob. 6. 10. Iob. 6. 10.

Peccata deflēda, non flagella.

8. Mera nostra stultitia & cæcitas est, quòd ob corporales afflictiones & cruces tantopere angamur, & tam parum ob spirituales: cùm tamen ob peccata, quam labores & adversa magis nos dolere oporteret. Si quidem culparum nostrarum gravitatem verè & ex merito cognosceremus & ponderaremus, quodcunque flagellum nobis exiguum & tolerabile videretur, & cum S. Job diceremus, *Peccavi, & verè deliqui, & ut eram dignus non recepi*, ac citra condignum punior. Quæ verba nos semper in corde revoluere, & identidem ore repetere par esset. Quia quodcumque demum in hac vita pati possumus, nihil prorsus est respectu pœnæ & castigationis, quam vel unum peccatum promeretur: *intelligeres, quòd multo minora exigaris ab eo, quam meratur iniquitas tua.*

Iob. 33. 27.

Iob. 11. 6.

Præ inferno quævis flagella dulcia.

9. Qui ergo considerabit, in Deum se peccasse, ac meruisse ut perennibus in inferno ignibus addicatur; quæ non vilipendia æquo animo in satisfactionem expiationemque scelerum in divinam majestatem commissorum admittet? David cùm à Semei maledictis & cōvitiis impeteretur, ea æquanimiter ferens dicebat. Sinite eum, pro libitu maledicat, convitietur, injurias irroget & opprobria: *Si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna*, eamque in præteritorum peccatorum meorum satisfactionem admittat, meique hoc pacto misereatur: quod mihi futurum quàm utilissimum & saluberrimum.

2. Reg. 16. 12.

10. Hoc modo & nos infamias & injurias quaslibet par est admittere, atque æquabili mente dicere, Veniant adversa quævis, forsan Dominus in peccatorum meorum expiationem satisfactionemque illa admittere dignabitur; atque hoc nobis perutile futurum esset: Si tempus, quod conquerendo dolendoque de adversis insumimus, huic introrsum ad nos ipsos conversioni impenderemus, Deo gratiores essemus, & minus in illis laboris difficultatisque sentiremus.

Flagellis peccata expiantur.

11. Vsque eò porrò Sancti hoc quod dicimus medium, in id genus occasionibus usurpabant, in eoque se exercebant, ut nonnullos (uti S. Catharinam Senensem & alios) legamus, quæcunque Deus Ecclesiæ adversa & flagella immitteret, suis ea peccatis ac defectibus attribuisse, dixisseque, Horum bellorum unus ego sum causa: pestis hujus, horum malorum quæ Deus immittit, peccata mea sunt occasio; rati persuasumque habentes, hoc, & amplius, peccata sua promereri.

Sancti peccatis suis flagella ascribebant.

12. In cujus rei confirmationem constat, sæpè unius ob culpam à Deo universum populum vapulasse. Sic ob peccatum solius David, in omnē populum Israel pestilentia est immissa, adeò ut, Scriptura teste, septuaginta hominum millia triduò ab ea sublata sint. Atqui David rex erat, inquies, hinc ob capitis peccatum, reliqua corporis membra, & regnū universum pœnas dedit. Respondeo, Etiam ob unius privati hominis, Achan, inquam, prævaricationem,

Ob unius peccatum puniti plurimi.

2. Reg. 24. 15.

Iosue 7.4. 5. & 11. nem, qui nescio quas reculas in excidio Jerichuntino furto sustulerat, in totum populum Deus animadvertit; adeò ut tria fortissimorum lectissimorumque bellatorum millia hosti tergum vertere coacta sint. Non solum ob capitis, verum etiam particularis alicujus ac privati scelus Deus solet castigare. Atque hoc in sensu exponunt & intelligunt SS. Patres id quod toties in sacra Scriptura reperitur, nempe, Deum patrum peccata in filiis ad tertiam & quartam usque generationem, punire. Patris culpa quidem non transit ad filium, nec ob culpam filii pater pœnas dat (*Anima quæ peccaverit, ipsa morietur; filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii*) quo ad pœnam tamen res aliter se habet, & in unum, ob alterius delictum, summum judex Deus solet animadvertere. Sic forsan ob mea tuave peccata, totam Deus domum, atque adeò universam Religionem puniet.

Exo. 20. 5. & c. 34. 7. Num. 14. 18.

Ezech. 18. 20. Pœna transit in alios, nō culpa.

Solatiū malorū, quòd à Deo immittantur.

13. Ponamus itaque nobis ob oculos, hinc quidem hanc considerationem, illinc verò Dei beneplacitum; ita fiet ut sine ulla difficultate nos ejus voluntati in omnibus quæ nobis immittet, adversis conformaturi, & cum Heli Pontifice dicturi simus, *Dominus est* rerum omnium director & gubernator, *quod bonum est in oculis suis faciat*, & cum sanctis illis Machabæis, *Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat*, & cum Regio Vate, *Obmutui; & non aperui os meum*; id est, de adversitatibus mihi immissis nō sum conquestus, sed eas summa cum patientia & æquabilitate toleravi, *quoniam* scio, Domine, quòd *tu* eas *fecisti*. Hoc semper esse nostrum omnibus in rebus solatium & confortatio debet, ut dicamus, Deus, hoc vult, Deus hoc facit, Deus hoc præcipit, Deus hoc immittit; erit id ergo mihi acceptissimum. Nec alia ratione opus est, ad omnia æquissimo animo accceptanda.

1. Reg. 3. 18. 1. Mach. 3. 60. Ps. 38. 10.

14. Notant Patres in illa Psalmographi verba; *Et dilectus quemadmodum filius unicornium*. Deum se hîc unicorni assimilare: quòd animal hoc cornu infra oculos habeat, ut optimè videat, quæ & ubi feriat; taurus verò, quòd cornua supra oculos habeat, minimè videt ubi ea figat. Adhæc, quemadmodum monoceros cornu, quo ferit, sanat; ita Deus per plagas quas immittit, salutem dat.

Ps. 28. 6. Deus unicorni duabus de causis comparatus.

15. Cæterùm hæc nostri cum Deo conformitas, & humilis ad flagella recipienda submissio, in tantum Deo opt. max. placent, ut ejus intuitu & causa, sæpè Dominus flagella auferat, nosque castigare omittat. In historiis Ecclesiasticis scriptum est, Attilæ Hunnorum Regi (qui varias Europæ vastavit provincias, seque metum orbis, & flagellum Dei appellabat) cum Trecas Campaniæ Gallicæ urbem accederet, S. Lupum, loci ejus Episcopum, Pontificio ornatu indutum, universo cum Clero obviam prodiisse, ab eòque petiisse, Quis es tu, qui totum turbas orbem, eumque destruis? Cui Attila: Ego sum flagellum Dei. Tum Lupum ei portas aperire jussisse, dicendo, *Bene veniat flagel-*

Exemplum.

Nauclerus 2. Volum. Nicocol. Ola. in Attila Baronius anno Christi 451.

Attilam flagellum Dei S. Lupus humiliter excipit: ideoque à Deo custoditur.

flagellum Domini mei. Milites autem ejus, urbem ingressos, ita à Deo fuisse excæcatos, ut eam sine ullo maleficio & noxa transierint. Etsi enim Attila esset flagellum, noluit tamen Deus flagellum esset iis, qui ipsum tanta animi submissione, ceu flagellum Dei recipiebant.

CAPUT XXIV.

De ea, quam in ariditate & desolationibus in oratione, cum Dei voluntate nos habere oportet, conformitate: & quid ariditatis & desolationum nomine intelligamus.

Vniversalitas conformitatis cũ Deo.

1. NOn solùm cum Dei voluntate, in rebus exterioribus, naturalibus & humanis, conformari debemus, verùm & in iis quæ magis magisq; desiderare, multi sanctum esse putant: in bonis, inquam spiritualibus & supernaturalibus; putà, in consolationibus divinis, quin & in ipsis virtutibus, orationis dono; in interiori quoque animæ nostræ pace; quiete & tranquillitate: denique in cæteris charismatibus donisque spiritualibus.

Amor proprius etiam in sanctissimis rebus se prodit.

2. At petet aliquis, num in id genus rebus propria voluntas, & inordinatus sui amor habere locum queat, ut eum etiam his in rebus necesse sit moderari? Respondeo, habere posse. Et hinc ad oculum patebit, quanta amoris proprii sit malitia, cum suæ malignitatis virus etiam rebus adeò sanctis non vereatur adspergere. Consolationes & gustus spirituales maximè bonæ sunt, quòd earum ope anima facili negotio omnes terrenarum rerum voluptates & consolationes (quæ vitiorum sunt velut esca & alimentum) rejiciat ac detestetur, & ad viam mandatorum Domini leviter agiliterque percurrendam animetur ac vigoretur, juxta illud Prophetæ, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* (Psal. 118. 32.) Per lætitiam enim & consolationem spiritualem cor humanum dilatatur ac distenditur, sicut è diverso per tristitiam contrahitur & angustiatur.

Consolationũ finis proprius.

3. Ait ergo Propheta, consolationes divinas sibi velut alas fuisse, quarum adminiculo per virtutis & mandatorum Dei viam citò curreret, & quodammodo volaret. Potest adhæc, homo spiritualium consolationum ope voluntatem frangere, appetitus effrenes compescere, carnem lascivientem mortificare majori deniq; cum robore ac constantia crucem & afflictiones occurrentes ferre. Hinc Deus consolationes & delicias spiritûs iis potissimùm dare solet, quibus graves labores, afflictiones & tribulationes pòst immissurus est, ut, illarum ope, ad has generosè & cum fructu ferendas præparentur ac disponantur. Sic Redemptor Jesus suos discipulos gloriosa Transfiguratione in monte Tabor antè voluit consolari, ut postea, cùm eum probrosa patientem, & in cruce morientem viderent, minimè turbarentur.

Incipientes consolationibus præmuniendi.

4. Sic videmus, spirituales has consolationes ut plurimùm primùm incipientibus à Deo dari, ut his eos ad terre-

& proficientes exercendi desolationibus.

terrenas delectationes, cœlestium causa repudiandas, efficaciter inducat: quos dein, cùm amoris sui reti jam constrictos, & profundas virtutum radices egisse videt, miris ariditatibus exercere & probare consuevit, ut sic plus humilitatis patientiæque acquirant, ac maius gratiæ gloriæque incrementum recipere mereantur, Deo purè, ac sine ullis consolationibus serviendo. Atque hæc est ratio, cur nonnulli in principio, dum primùm Religionis habitum assumunt, quin & forsan adhuc extra eam, dum prima eius assumendæ desideria habent; consolationes majores, & gustus spirituales uberiores in se sentiant, quàm postea: quòd tunc eos Deus, juxta ætatis exigentiam, tractaret, parvulorum lacte eos lactando, ut eos illius suavitate illectos à mundi deliciis avelleret & ablactaret, fastidiumque quoddam eius ipsis ingeneraret, ad quidquid mundanum est proculcandum: at quia postea cibos duriores digerere, & panem mordere crustatum possunt; hinc esca grandium eos pascit. Hunc similesvé ob fines, consolationes & gustus spirituales Deus concedere consuevit.

Tempore consolationis futuræ tribulationes præcogitandæ.

5. Vnde communiter etiam sancti Patres consulunt, ut tempore consolationis, ad tempus turbidum ac tribulationis, nos disponamus, quemadmodum tempore pacis ea quæ bello necessaria & oportuna sunt, parari solent: propterea quòd consolationes quoddam tentationum ac tribulationum esse solent pervigilium ac præludium.

Consolationes bonæ, si bene utamur non fruamur.

6. Consolationes ergo spirituales bonæ sunt, magnaque commoda adferunt, modo ritè debitéque iis uti noverimus; hinc, dum eas Dominus elargietur, magna cum animi gratitudine ac gratiarum actione recipiendæ sunt. At si quis in iis sisteret, & suæ solius recreationis causa eas desideraret, ob gustum videlicet & delectationem, quam in iis anima sentit; culpandum id foret, & inordinatus quidam amor proprius. Quemadmodum peccatum foret, si quis in actionibus ad vitam humanam necessariis, ut sunt comedere, bibere, dormire, aliaque eiusmodi, non alium finem haberet, quàm voluptatem; ita quædam gulæ spiritualis species esset, hos sibi in oratione gustus & consolationes præstituere. neque enim ea sunt, ob propriam delectationem voluptatemvé desideranda vel capienda, sed velut mediũ, quod nos ad fines, quos diximus, cõsequendos adjuvet. Atque ut æger, cibum omnem quo opus habet abhorrens; non parum gaudet, cùm aliquo modo is illi sapere incipit, non tam ob eius saporem, quàm quòd appetitum is excitet, ut comedere exin valeat, vitamq; cibo conservet: pari modo Dei servus consolationem spiritualem desiderare non debet, ut in ea sistat, sed ut cœlesti illo refrigerio & illecebra, anima eius, ad in via virtutibus laborandum, in eaque perseverandum, animetur & confortetur. Desiderantur ergo delectationes non tam propter se, quàm propter maiorem Dei gloriam, & quatenus

tenus ad maiorem eius honorem & gloriam cedunt.

Indifferētia adsit etiam/ sanctissimis desideriis.

7. Dico nihilominus, esto quis has consolationes spirituales, etiam eo quo diximus modo, & ob fines declaratos (qui sancti & boni sunt) desideret, quendam tamen in huiusmodi desideriis excessum, & amoris proprii inordinati misturam esse posse: uti dum quis eas ita perditè, effli- ctim, & anxiè concupiscit, ut, si illis careat, minùs sit contentus, minùs cum Dei voluntate conformis; sed querulus, inquietus, & morosus. Hic affectus & cupiditas spiritualis inordinata est: neque enim ita anxiè, inordinatè, & vehementer, hos spiritûs gustus & consolationes quis desiderare debet, ut desiderium hoc animæ eius pacem ac quietem, & plenum cum Dei, cum eas dare nolit, voluntate consensum impediat. Melius quippe est Dei voluntatem sequi, quàm omnia ista habere; & conducibilius, cum eo quod Deus vult se conformare, eoque contentum esse.

Omne inordinatū etiam in sacris rebus, est vitiosum.

8. Quod autem de gustibus & spiritualibus consolationibus dico, intelligendum quoque est de dono orationis, deque sapore quem in ea habere volumus, de interiore quoq; animæ pace, quiete & tranquillitate, deque aliis donis ac prærogativis spiritualibus. Quod in omnium harum rerum desiderio etiam inordinatus quidam affectus & cupiditas locum habere potest; cum, scilicet, eæ tam vehementer, anxiè & impatienter desiderantur, ut, nisi quis quod desiderat consequatur, conqueratur, & morosus, malè contentus, atque à divina voluntate dissentiens incedat. Proinde, per gustus & consolationes spirituales, hac in materia non solum devotionem, & sensibiles gustus ac consolationes intelligimus; verùm & ipsam orationis substantiam ac donum, & quòd ea, qua vellemus, quiete & tranquillitate, in eam introduci, in ea versari atque etiam pergere nobis concedatur. Imò verò de hoc præcipuè jam agemus, ostensuri, quomodo in eo cum divina voluntate conformari, non autem impatienti quadam cupiditate, aut nimio angore erga illa ipsa ferri debeamus. Etenim haud difficulter quis gustus, consolationes, & devotiones sensibiles repudiet, si modò ipsam orationis substantiam consequatur, eiusque in se fructum sentiat.

Non modò in cōsolatio- nib. sed & in ipsa oratione indifferentes simus.

9. Norunt enim omnes, orationem non in id genus gustibus, vel in illis devotiunculis & tenerioribus affectibus consistere (unde etiam exigua ad hoc opus est virtute) sed in eo, ut quis saxi instar durus, tantaque cum ariditate, & ad orationem accedat, & in ea post versetur, ut eius ordiendæ modum vix inveniat, sed Deus se ab illo velut subduxisse, vultumque suum abscondisse videatur, atque adeò in se jam adimpletam putet maledictionem illam, quam suo olim populo Deus comminabatur, dicens, *Dabo vobis cœlum desuper, sicut ferrum & terram æneam.* Maiore sane ad hoc opus est virtute, maiore animi robore. Credunt siquidem hi, cœlum sibi factum ferreum, & terram

Levit. 26. 19. Deut. 28. 15.

terram æneam; quòd illud nullam aquæ guttam qua cor eorum emollescat, super eos pluat; hæc verò nullum, quo se conservent, fructum germenvé progerminet; sed in continua sterilitate & ariditate versentur.

In ipsa derelictione Dei voluntati conformemur.

10. Ad hæc non modò sicci & aridi sunt, verùm etiam interdum tales sentiunt distractiones, ac tam varias cogitationes, subinde quoque tam fœdas & spurcas, ut non aliter ad orandum accedere videantur, quàm ut omnigenis tentationibus vexentur & inquietentur. Quibus si consulas, ut tunc temporis de morte & cruce Iesu Christi meditentur, quod hac una cogitatione aliæ illæ soleant dispelli, dicent: Hoc faciendum, jamdudum & ipse novi: & si hoc facere possem, quid amplius requirerem? Interdum autem ita quis in oratione est aridus, ut ne quidem hoc valeat cogitare; vel, esto id cogitet, & in memoriam reducere procuret; ipsum ne quidquam moveat, nec attentionem creet, aut aliquam in eo impressionem faciat. Atque istud hîc desolationis, ariditatis & derelictionis spiritualis nomine dicimus, atque in hoc opus est, ut nos cum Dei voluntate etiam conformemus.

Quid soleat affligere desolatos & aridos?

11. Est hoc profectò magni momenti punctum: utpote communissima querela & maxima afflictio, eorum qui orationi student: omnes enim gemunt & expostulant, dum hoc in statu & angustiis se constitutos deprehendunt. Quòd enim ex una parte tanta tamque præclara orationis bona & encomia referri audiant, & ex illius successu, totius diei, imò & vitæ, seriem dependere; simul etiam intelligant, hanc de præcipuis esse mediis, quæ tum ad proprium, tum ad proximi profectum procurandum habemus: ex altera verò tam procul (se ut quidem ipsis videtur) ab orationis bono successu videant abesse, hinc summopere contristantur, adeò quidem, ut jam sibi à Deo derelicti, & hic eorum penitus oblitus esse videatur: ac timent, ne eius amicitiâ & gratia prorsus exciderint, quod se nullum ampliùs apud eum habere accessum & locum credant. Inde verò tentatio ipsorum accrescit, quod alios brevissimo tempore, ac plenè sine ullo labore ac molestia, tantos in oratione videant progressus facere, se verò omni sua cum contentione & conatu nihil prorsus impetrare. Ex his aliæ, & quidem deteriores, in illis tentationes enascuntur, de Deo scil. interdum conqueri, quod illos tam duriter tractet; ipsum quoque orationis exercitium planè omittere velle, dum sibi persuadent, non esse id pro ipsis, eò quòd tam malè ipsis succedat. Tum verò hæc ipsos magis affligunt & cruciant, cum dæmon iis suggerit, quod ipsimet horum omnium sint causa, ac nonnisi ob culpam propriam à Deo ita tractentur. Multi hæc animo dum agitant, in maxima agunt desolatione, & ab oratione non aliter discedunt, quam à tormento & eculeo, tristes, melancholici, intolerabiles, gravesque tum sibi, tum aliis, quibuscum conversantur. Quocirca, Deo dante,

dante, huic tentationi & querelæ jam respondebimus, & prout licuerit, satisfaciemus.

Caput XXV.

In quo querelæ respondetur, eorum, qui spiritus ariditates & desolationes in oratione sentiunt.

Consolatus lætetur, desolatus tristetur licet.

1. PRINCIPIO, non dico, ut quis dum à Deo visitatur, non lætetur: certum enim est, eum qui jam dilecti præsentia fruitur, non posse non gaudere, & exultare. Rursus non dico, ut in eius absentia (quando scilicet immissis ariditatibus & tentationibus eum affligit) nō doleat: scio enim fieri non posse, ut non propterea angatur & non contristetur; cum ipse Redemptor de sui à Patre æterno, derelictione sit conquestus, cùm in cruce pendens clamavit, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Sed volo, ut aliquem ex hac afflictione, amaritudine, & probatione, quâ non rarò electos suos probare solet Omnipotens, fructum colligamus, magnamque dum adveniunt, animi constantiam præferamus, & cum Dei Opt. Max. voluntate nos conformando, dicamus, *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.*

Matt. 27. 46.

Matt. 26. 39.

Amor Dei mēsura perfectionis, magis elucet in desolatione.

2. Præsertim quòd sanctitas & perfectio non in consolationibus, aut sublimi eminentique orandi modo consistat, neque ad hanc noster profectus & perfectio mensuram debeat dimetiri; sed duntaxat ad ulnam veri amoris Dei, qui non in id genus rebus, sed tantum in intima veraque unione, & totali cum voluntate Dei conformitate, ac pleno tam in amaritudine quàm dulcedine, tam in adversis quàm prosperis, consensu situs est: ut nimirum æqualiter de manu eius accipiamus tam crucem & derelictionem spiritualem, quàm delicias, favores & consolationem, tam ob has, quam illam ex toto animo ei gratias agendo: *Si me vis esse in tenebris, sis benedictus; & si me vis esse in luce, sis iterum benedictus. Si me dignaris consolari, sis benedictus; & si me vis tribulari, sis æq; semper benedictus.* Sic nobis id consulit Apostolus: *In omnibus*, inquit, *gratias agite: hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis.*

Objecto desolatorum solvitur.

A Kempis l. 3. de imit. c. 17.

1. Thess. 5. 17.

3. Iam, si hæc sit Dei voluntas, quid amplius desideremus? vel cur vivimus, quam ut Deo placeamus? Qui si vitam meam per semitam hanc obscuram & scabrosam deducere velit, non est quod aliam clariorem & molliorem desiderem. Hunc per viam lucidam de deliciosam, incedere vult; me verò per hanc desertam, tenebrosam, & omni consolatione destitutam, sterilitatem tamen meam cum illius fœcunditate non commutem. Sic sentunt & loquuntur ii qui oculos veritati apertos habent, & hac re se consolantur. Vnde benè R.P.M. Avila: *Si Dominus nobis oculos aperiret, sole meridiano clarius appareret, & omnia quæ terra caloque continentur, nimis vilia esse, quam ut à quopiam mortalium desiderentur & possideantur, si Dei voluntas ab iis dematur; contrà nihil esse, esto etiam minimum & amarissi-*

Si Deo placeas, benè vivis.

Ariditas Sanctis familiaris.

M. Avila. Audi filia c. 16.

amarißimum, quin, si divina voluntas cum eo conjuncta sit, magni sit valoris. Infinities plus est ac dignius, in adversitatibus jugiter vivere, si id ipse ita velit; quàm quoscunque gustus, consolationes, & contemplationes habere, Dei voluntate cum iis non concurrente.

Objectio desolatorum solvitur.

4. At dicet aliquis, Si scirem hanc Dei voluntatem esse, hocque illi esse gratius & acceptius; haud difficulter me ei planè conformarem, & valdè contentus essem, tametsi alioquin totum vitæ tempus hoc in angore mihi esset traducendum: video enim nihil aliud homini quærendum, quàm ut Deo placeat & satisfaciat, nec ob aliud nos hoc in mundo vivere. Veruntamen existimo Deum velle, ut ego meliùs orationem instituerem, majoremque in ea recollectionem & attentionem præferrem, si ad hoc me disponerem. Quod autem me cruciat, est, quòd credam ob culpam, ac teporem meum, quodque à parte mea non agam quod possum, hanc distractionem & ariditatem, quæ fit ut ad orandum me nullatenus queam applicare, mihi evenire: quia si nossem, facere me quidquid in me est, & nullam hac in parte culpam meam latere, neutiquam me affligerem, nec angerer.

Ariditas Sanctis familiaris.

5. Benè, sanè hæc quærela concepta est; nihil ut supersit ultrà objiciendum, quòd omnes, quas tales queruli opponere queant rationes, in ea sunt cōprehensæ. Unde si bene huic respondeamus, magnum quid præstiterimus, quòd querela hæc, communis & vulgaris sit: nullus est enim, quantumvis sanctus & perfectus, qui non aliquando has ariditates & derelictiones spirituales sentiat. Sic eas sensisse legimus S. Franciscum, & Catharinam Senensem, intimos alioquin Dei amicos. Sic S. Antonius, esto tam studiosus cultor orationis esset, ut & integræ noctes ei breves, & nonnisi unica respiratio viderentur, ac nonnunquam cum sole expostularet, quòd minùs velociter oriretur; nihilominus à malis importunisque cogitationibus subinde ita exagitabatur, ut ad Deum gemebundus clamaret, Quam vellem bonus esse, Domine, sed me cogitationes meæ esse non patiuntur! Idem quoq; querebatur S. Bernardus exclamans, *Exaruit, Domine, cor meum, coagulatum est sicut lac, factum est sicut terra sine aqua, nec compungi ad lacrymas queo: tanta est duritia cordis. Non sapit psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non invenio. Vbi illa inebriatio spiritus? Vbi mentis serenitas? & pax & gaudium in spiritu sancto?* Hæc ergo doctrina omnibus omnino est necessaria, atque in Domino confido, fore ut omnibus satisfaciam.

Serm. 54. in Cant.

Ariditas bene cēsetur esse pœna peccati.

6. Ab hac ergo parte incipiamus. Equidem fateor, & concedo, distractionem & ariditatem tuam, quodque in oratione habere gustum nequeas, culpæ tuæ ascribendam videri. Unde etiam bonum est, id te nosse, simulque confiteri Dominum ob peccata præterita, culpasque & negligentias præsentes, te castigare tum velle, dum tibi aliquem ad se per orationem accessum, & in ea recollectionem, quietem, attentionemque dene-

denegat: ipse enim id non mereris, quin potiùs demereris. Non tamen hinc consequitur debere te de eo conqueri, sed potiùs voluntati ejus quoad hoc egregiè conformari. Ad oculum id videre cupis? Ecce *de ore*
Luc.19. 22. *tuo*, & tua ipsius sententia, *te judico*. An nosti, & etiam fateris, te tum ob peccata præterita, tum ob culpas & negligentias præsentes, maximã Dei castigationem promereri? novi & fateor dicisque, Sæpè, ah! infernum commeritus sum: nulla potest ergo esse tam grandis castigatio, quæ culpas meas exæquet, sed omnis nonnisi
Ariditas patiẽter ferenda. mera misericordia & delinimentum futura est, prout quidem puniri commereor: quin imò singularis cujusdã beneficii loco reputabo, quod aliquam mihi in hac vita immittere Deus castigationem dignetur, eam enim ceu arrham certam credam, peccata mihi mea esse dimissa, nec in vita futura me ab eo puniendũ, cum me castiget in præsenti. Satis hæc sunt: nec plura addam, & in his conquiesco.

Ariditas nobis justè sed adhuc clementer immittitur. 7. Verum, ne omnia nuda sint verba, veniamus ad opera. Hæc est sc. castigatio, quam te nunc Deus ob peccata & flagitia pati vult; has, inquam desolationes, distractiones & ariditates, hanc spiritualem derelictionem, hoc cælum ferreum, hanc terræ æris instat duritiem, quòd se Deus à te subducat, ac faciem abscondat, quòd denique nullum ad orationem aditum invenias. Per hæc te in præsens Deus castigare, tuasque culpas expiare cupit. Annon & superiora scelera, ac præsentes negligentiæ & socordiæ tuæ, hanc castigationem satis tibi videntur promereri? Merentur haud dubiè; quin & nunc addo, eam adhuc nimis exiguam & levẽ, respectu eorum quæ commereor, imò justitia simul & misericordia plenissimam videri. Justitia quidem, quia, cum cordis mei januam toties Deo ad eam pulsanti occluserim, &, eo per sanctas inspirationes aurem mihi vellicante obsurduerim, eiq; sæpius sim reluctatus; æquissimum est, ut mihi eum assiduè inclamanti, ipse nunc, velut surdus & nihil audiens, non respondeat, & pulsanti portam aperire nolit, sed eam mihi ante fores stanti, occludat. Justissima ergo hæc castigatio est; mihi tamen nimis quàm parva & levis, proinde magnam etiam misericordiam spirans, quòd longè majorem ipse promerui. In ea ergo cum Dei voluntate te conforma, eamque cum gratiarum actione admitte, cùm tanta te misericordia, & non secundum merita te tua castiget. Non ipsemet dicis, infernum te promeruisse? quomodo ergo sensibiles consolationes & recreationes in oratione à Deo petere audes? quomodo, ut familiariorem in ea ad Deum accessum, pacem, quietem, tranquillitatem, quæ filiorum carissimorum & dilectissimorum propria est, sentias? quomodo, Deo hæc tibi denegante, conqueri audes? Non vides id magnam præsumptionem & intolerabilem arrogantiã redolere?

8. Satis tibi sit, quòd te Deus in sua habeat familia, quodque, te in suo conspectu & præsentia versari sinat: & vel hoc ut singularem gratiam, Magnum beneficiũ nos tolerari à Deo.

Ex defectu humilitatis conqueimur.

tiam, & eximium beneficium existima & agnosce. Si vel modicam in corde haberemus humilitatem quomodocunque demum nos haberet Deus, minimè conqueri auderemus: & sic omnis isthæc tentatio facilè evanesceret.

Caput XXVI.

Quomodo ariditatem & desolationes in bonam & utilem orationem convertere poßimus.

Quærēda remedia, ut ariditas benè portetur. *Tract. 5 c. 19.*

1. Non modò à conquerendo nos abstinere oportet, verū etiam procurare, ut aliquem ex ariditatibus & desolationibus fructum eliciamus, & eas in bonam orationem convertamus. Ad quod plurimùm primò conferet id, quod suprà attulimus, cum de oratione ex instituto loqueremur: nimirum, ut, quando nos inter orandum eas in angustias redactos reperiemus: sic Dominum compellemus: *In quantum, Domine, hæc desolatio, mea est culpa, vehementer me ejus pœnitet: at, in quantum tua voluntas est, nec non justa pœna & castigitio peccatorum meorum, adeo non conqueror, ut & libentißimo animo acceptem: nec modò in præsens, aut ad breve tempus, sed & omnibus vitæ meæ diebus, etsi alioquin ad aliquot sæcula extenderetur, me cruci huic ferendæ totum offero; & ad eam in humeros etiam cum gratiarum actione accipiendam sum paratißimus.*

Indifferentia Deo est gratior, querela.

2. Hæc patientia & humilitas, hæc resignatio, & cum Dei voluntate quoad hanc afflictionem consensus, magis divinæ majestati placent, quā hæ superfluæ expostulationes ac querelæ. Cur gustum in oratione non sentio? cur tot in ea alienis & inordinatis cogitationibus, & distractionibus inquietor. Dic, obsecro, uter tibi filius parentibus suis gratior futurus videtur, an is qui contentus erit eo quod ipsi dabitur, quodcumque demum id sit; an is cui nihil facit satis, sed qui semper de dato murmurat & conqueritur, parum esse censens omne quod sibi datur, ac majora melioraque sibi deberi asserens? Certum est, priorem magis longè suis placiturum. Ita & Deo gratior acceptiorque est filius patiens ac tacens, quique Patris sui cœlestis voluntate, quacunque re ab eo datâ, quantumvis asperâ & durâ, esto is etiam os durum & carne nudum porrigat, contentus est, eique se conformat: quam refractarius, qui assiduè conqueritur & murmurat eò quòd ipse nihil habeat, vel non detur sibi quod aliis. Simile.

Aliud. Patiens pauper amatur præ querulo.

3. Iterum dic mihi: uter pauper melius rem suam faciet, & magis divitem ad dandam eleëmosynam, utque sui compassione & misericordiæ emoveatur, incitabit, an qui assiduè vociferando conqueritur, quòd sibi clamanti statim non respondeatur, & nihil detur; an qui ad divitis fores mira cum patientia & silentio, sine ullo murmure perdurat; ac postquam semel januam adclamavit, seque exauditum esse novit, in frigore & pluvia stipem patienter expectat, nec clamorem ingeminat, nec de

mora longiore conqueritur; domino domus interim sciente, eum in hac patientia & humilitate præ foribus exspectare? Certum est hunc maximè emovere; illum verò querulum, arrogantem & superbum fastidio esse potiùs & ad indignationem domesticos provocare. Sic ergo & Deus nobiscum agere solet.

Indifferentia fructus orationis.

4. Vt autem meliùs huius orationis valor ac fructus, quamque ea Deo placeat, appareat; peto à te, ecquæ melior esse posset oratio, quis maior ex ea fructus elici, quàm magna in adversis patientia, insignis cum Dei voluntate consonantia; magnaque eiusdem dilectio? At quid enim aliud ad orationem accedimus, nisi ad hæc impetranda? Cùm ergo tibi Deus ariditates & varias tentationes in ea immittit; hac in afflictione & derelictione spirituale te cũm illius voluntate conforma, & sic præstantissimum maximumque patientiæ, & amoris Dei actum facies.

Dura pati amicitiæ signũ.

5. Vulgò dicitur, & benè quidem, tunc potissimùm amorem prodi, cum proce amata quis gravia & adversa tolerat & subit; &, quo adversa ac discrimina graviora sunt, eo magis amorem patefieri. Hæ sunt ergo de majoris servorum Dei, & spiritualium hominum, afflictionibus, crucibus & mortificationibus: quia corporales illæ, quæ circa opes, valetudinem, bonaque temporalia versantur, in illarum comparatione vix quidquam sunt.

Desolatione pati & Christũ imitari, & Ariditas illustre est martyrium.

6. Quamobrem, cùm quis in his adversitatibus cum divina voluntate planè conformis est, Redemptorem Iesum in ea derelictione spiritus quam in cruce expertus est, imitando, crucemque hanc spiritualem toto vitæ tempore (siquidem tamdiu illam immittere Deo placeret) ferre cupit, idque duntaxat ut ei purè placeat; illustrem patientiæ & amoris divini actũ, necnon sublimem quandam & perutilem orationem, magnæ denique perfectionis rem exercet. In tantum quidẽ, ut Scriptores nonnulli, illos qui ita patientes sunt, inter illustrissimos Martyres referre non dubitent.

Lud. Blosius spec. spir. c. 6.

In Ariditate cognoscis teipsum.

7. Rogo te postremo, quam aliã ob causam rationi insistas, quàm ut inde humilitatem, & tuiipsius cognitionem elicias? Quoties, dic obsecro, à Deo petisti, ut intelligere & nosse te faceret, quisnam & qualis sis? Deus, ecce, orationem tuam exaudiit, atque hoc modo id te intelligere, tibique declarare vult. Aliqui tum plenè seipsos nosse putant, cùm ob peccata impensè dolent, multasque ob eadem lacrymas fundunt. Sed falluntur: nam hoc Dei est, non tuum: quòd verò instar saxi durus sis, hoc solum est tuum. Hinc nisi Deus saxum feriat, non dabit id aquam, non mel. In hoc igitur tui cognitio consistit, quæ sexcentorum bonorum fons & mater est: cuius optimam occasionem habes tunc, dum es aridus in oratione. Quam rem unam si ex oratione colligas, næ magnum ex ea fructum collegeris.

CAPUT

Caput XXVII.

Aliæ rationes, ad nos in ariditatibus & desolationibus, quas in oratione sentiemus, consolandos, nosque Dei voluntati conformandos.

Non omnes merentur omnia, quæ eis accidunt. 1. TAmetsi perutile sit cogitare, hanc afflictionem ob nostra nobis accidere peccata, ut sic semper magis confundamur & humiliemur; simul tamen sciamus oportet, eam non semper in culparum castigationem, sed sæpè singulari quadam Altissimi dispositione, & arcana eius providentia immitti, utpote dona sua distribuentis prout ei placuerit. Sicut enim indecens est, ut totum corpus sit oculi, pedes, manus, caput; & sicuti diversa in Ecclesia Dei membra esse par est: ita nec conveniens est, ut passim detur omnibus specialissimus ille & eminens orandi modus, de quo egimus cum de oratione loqueremur.

Tract. 5. c. 4 & 5. Nec omnibus expediunt omnia. 2. Sed neque necessarium id est, quia non omnes eum merentur. Et licèt eum etiam mererentur, magis tamen in re alia merebuntur; atque ideò maius Dei erit beneficium, si hanc illis det, quam si daret illum sublimem orandi modum. Fuere multi illustres Sancti, qui an eximiam hanc gratiam habuerint, nescimus; &, si habuerint, dixere cum Apostolo, illam se magni non facere; nec ob eandem gloriari, sed tantùm in cruce *Gal. 6, 14.* Domini ferenda: *Mihi autem absit gloriari; nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.*

3. R. P. M. Avila quandam maximæ consolationis, quoad hoc, doctrinam adfert: nempe, Deum nonnullos hac in desolatione ad multos annos, interdum etiam quoad vivunt, relinquere, & horum ipse sortem, & partem censet optabiliorem ac meliorem, modò fidem habeant, quæ eos à malè sentiendo impediat, & patientiam ac robur heroicum præ se ferant, ad triste hoc exilium & desolationem ferendam. *Tom. 2. epist. f. 22.*

4. Si quis sibi planè persuadere posset, isthanc sortem sibi meliorem esse, næ ille facilè se cum Dei voluntate conformaret. Multis quidem rationibus sancti Patres, & vitæ spiritualis magistri declarare & evincere nituntur, sortem hanc ita affectis conducibiliorem esse; sed nos in præsens unam duntaxat de præcipuis adducemus, quam & S. Augustinus, Hieronymus, Gregorius, & communiter omnes de hac materia agentes afferunt, non esse videlicet omnium, humilitatem in sublimi contemplatione conservare. Vix enim lacrymulam quandam fudimus, quin statim nobis spirituales, & mirè orationi dediti videamur, nosque aliis conferamus, & fortasse etiam præferamus. Ipse etiam Apostolus aliquo velut pondere in adversum propendente opus habuisse videtur, ne ab illis rebus sursum extra statum abriperetur. *Et ne,* inquit, *magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet.* Ne scilicet usque ad tertium cælum raptus, illustres quas habuerat revelationes, eum in vanitatem effer-

Felix ariditas quā patientia condit. *Tra. 5. c. 20. Lib. de orando Deū quæ est epist. 121.* *In illud Thren. Sed & cū clamavero. Lib. 20. Mor. c. 21. & 24.* *2. Cor. 12. 7.*

rent; permisit eum Deus à carnis tentatione impeti, ut hæc humilitatem eum edoceret, suamque faceret imbecillitatem agnoscere.

Consolatio sublimior ariditas securior.

5. Quare tametsi illa via videatur sublimior, hæc tamē multò est securior. Vnde etiam sapientissimus Deus, qui omnes nos ad eundem finem (qui ipse est) dirigit, per illam unumquemque viam illuc conducit, quam ipse ei novit convenientissimam. Si forsitan magnam in oratione consolationem ac gustum haberes, adeò non inde humilior & in spiritu perfectior fieres, ut potiùs superbior & arrogantior evaderes: cùm autem secùs fit, & desolatione premeris; semper humiliter de te sentis, magnam tui confusionem concipis, teque aliis inferiorem credis. Quapropter, via hæc tibi est convenientior & securior, etsi id tute minimè intelligas; &, *Nescis quid petas*, nec quid desideres.

Matt. 20. 22.

Lib. 9. Moral. c. 7 Iob 9. 11.

Homo cęcus nescit quid sibi expediat.

6. Vnde benè S. Gregorius super illud Iobi, *Si venerit ad me, non videbo eum; si abierit, non intelligam:* Homo, inquit, per peccatum mansit adeò cæcus, ut nesciat quando aut ad Deum propiùs accedat, aut ab eo longiùs recedat: ut sæpè quod putat esse gratiam Dei, mediumque ad eum viciniùs accedendi, id illi in iram trāseat, occasioque longiùs ab eo recedendi fiat; & è diverso, quod irati, abalienati, oblivisscentisque Dei signum esse opinatur, mera sit gratia, & causa cur is se ab eo non subducat. Quis enim, viso se in sublimi quadam oratione & contemplatione amicè benevoleque à Deo haberi, non statim putet Deo se viciniorem fieri? At non raro fit, ut ob cælicos hos favores homo in se superbiat, sibi fidat, & de se præsumat. Vnde per hoc ipsum, dæmon illum subvertit ac præcipitem agit, per quod ille se ad Deum ascendere, propiusque putabat accedere. Contrà sæpè fit, ut, dum se desolatum, afflictum, à gravibus tentationibus vexatū, & à cogitionib⁹ obscænis, aut ad blasphemiā, aut contra rectam fidem sentiendum incitantibus, oppugnari videt, sibi putet Deum succensere, seque ab eo derelictum esse & procul distare; tunc tamen is illi multo est vicinior.

Ariditas humilitatem parit.

7. Per hoc enim magis se humiliat, suam imbecillitatem evidentiùs perspicit, de suis viribus diffidit, majori alacritate & cōstantia, ad Deum accurrit, omnem fiduciam in uno illo collocat; denique nunquam ab eo recedere proponit. Adeò ut non id melius sit, quod ipse esse arbitraris, sed viam, qua te Dominus cupit deducere, existimes velim optimam esse, & tibi magis convenire.

Vbi dolor, ibi amor. Dolor tepiditatis ex amore Dei nascitur.

8. Insuper, hæc ipsa amaritudo, afflictio, crux, quam ideo sentis quòd orationem non pro eo atque oportet, facere te putes, alia nova tui consolandi ratio esse potest: hæc enim particulare quoddam Dei donum, & singularis gratia est, tuique erga illum amoris signum: quòd nullus sit sine amore dolor, nulla de non fideliter serviendo displicentia sine fideliùs ac meliùs serviendi proposito ac voluntate. Hæc proinde angustia & dolor, nonnisi ex amore Dei, ac meliùs ei serviendi desiderio enascitur.

tur. Si enim nõ contristareris, nec angereris, quòd illi malè servias, quòd malè ores, quòd exercitia tua nõ pro eo atque debes exequaris; malum id signum foret: at, angi te & cruciari, quòd malè his fungi te putes, bonum signum est.

Voluntas Dei dolorem mitigat.

9. Sed hæc tristitia ac dolor ista cogitatione minuitur, nimirum, hoc, in quantùm pœna est & crux, Dei esse voluntatem; cui proinde te subde, & conforma, eique gratias age, quòd hanc ei placendi voluntatem ac desiderium tibi indiderit, tametsi operibus ipsis deficere, nec conceptæ voluntati respondere videare.

Multum facit, qui se Deo vel præsentat.

10. Huc accedit, quòd, etiamsi aliud in oratione non agas, quam quòd ibi præsens, in regiæ ac divinæ illius maiestatis conspectu, adstes; magnum nihilominus per hoc obsequium Deo præstes; sicut ad Regum & Principum terrenorum maiestatem non parum facere videtur, quòd magnates & proceres sui quotidie regiam frequentent, sibi præsentes adsint, inque suo conspectu assiduè versentur.

Prov. 8, 14.

Perseverandũ ad postes divini ostii.

Beatus homo qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei. Divinæ majestatis gloria, conditionis nostræ vilitas, negotii quod tractandum suscepimus, magnitudo exigit, ut frequenter ad palatii eius cœlestis januam exspectemus: quam cùm ipse tibi aperire dignabitur, ingentes illi gratias age; sin nolit, humilia te, agnoscendo in corde tuo, id minime te promereri. itaque oratio tua, semper optima, semper fructuosissima futura est. Omnibus his, aliisque id genus, observationibus uti nos oportet, ut in hac desolatione & derelictione spirituali Dei voluntati conformemur, ipsam à manu eius cum magna gratiarum actione acceptando, ac dicendo, *Salve amaritudo amarissima, omnis gratiæ* & bonorum *plena.*

Amaritudo gratiæ plena.

F. Barth. de Martyr. Archiep. Bracar. in suo cõpendio c. 26.

Caput XXVIII.

Periculosa dæmonis illusio & tentatio est, ideò orationis studium omittere, quòd eam, quam diximus desolationem & ariditatem in ea experiamur.

Propter desolationem nõ est omittenda oratio.

1. Ex eo, quod dictum est, sequitur, non parvam diaboli illusionem & tentationem esse, quòd quis, dum arido illo modo orationẽ procedere comperit, eam aut penitus omittat, aut tam diu ac tam seriò in ea non perseveret; persuasum habens nihil in ea boni se facere, sed nonnisi tempus omne inutiliter perdere. Hæc ingens est dæmonis tentatio, per quam multos, non tantùm sæculares, verùm etiam Religiosos, ab orationis fecit exercitio desciscere; qua illos, quando non potest ad penitus orationem omittendam inducere, eò saltem pellicit, ut non tam frequenter ei insistant, nec tantum ei temporis, quantum facilè possent, impendant. Multi quidem se orationi dare incipiunt, &, quamdiu aliquem in ea sentiunt gustum, & devotionis affulget malacia, tamdiu eam fideliter prosequuntur & continuant; at, ariditatis ac distractionis turbine adveniente, oratio ipsis non tam

tam oratio, quam nova videtur esse culpa, quia tanta cum distractione, & tam exigua cum reverentia in Dei conspectu versantur. hinc sensim orationis exercitium omittunt, rati, maius se Deo obsequium præstituros si aliis exercitiis atque occupationibus intendant, quàm hoc modo in oratione versando.

Etiamsi in speciē utiles occupationes occurrunt desolato.

2. Quam ut imbecillitatem in ipsis dæmon advertit, oblatâ occasione utitur, atque inutiles occasiones ac tentationes iis orantibus tam frequentes ingerit, quò ipsis tempus illud malè infructuoséque impensum videatur, ut eos etiam paulatim orationem omnem faciat deserere, ac unà cum ea ipsum virtutis studium; & subinde etiam longiùs progrediantur. A quo fonte constat, multorum exitium & ruinam ortum habuisse. Vnde Sapiens, *Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.* Deo gaudere, nemo est quin velit; sed illius causâ laborem aliquem suscipere, & dura perpeti, veri amoris indicium est. Non est multum adspirante consolationis dulcedine, in oratione perseverare, multumque temporis ei impendere; fieri enim potest, ut id tuæ ipsius delectationis causâ, & proprio amore ores. Et sanè, signum evidens est, ideo solùm ad orandum te accedere, quòd, cùm ea solatia & illicia tibi desunt, in oratione non perdures. Cùm desolationes, ariditates, & distractiones Deus immittit, tunc veri amici probantur, tunc fideles eius servi agnoscuntur, ut qui non proprium commodum, sed purè Dei Opt. Max. voluntatem & beneplacitum quærunt. Quocirca magna cum humilitate & patientia tunc nobis est in oratione perseverandum, non solùm toto quod præscriptum est, tempore, verùm & aliquanto diutiùs in ea permanendo (prout nobis S. P. N. consulit) ut hoc pacto & tentationem superemus, & contra dæmonis impetentis machinationes nos viros strenuos præbeamus.

Ecclesi. 6. 10.

In Exercit. spiri. annot. 13.

3. Narrat Palladius de se, quòd, cùm in rerum cælestium contemplatione, cellæ cuidam inclusus, se ad dies aliquot exerceret; ingenti ariditate oppressus, & omni importunarum cogitationum genere fuerit vexatus, atque ea præsertim, ut hoc exercitium prorsus relinqueret, quòd omnem in eo operam & oleum perderet. Hæc cogitans Macarium Alexandrinum, virum sanctissimum, adit; hancque illi tentationem narrans, consilium & opem ab eo poposcit. Cui Macarius, Quando fili cogitationes tibi dicent, ut exercitium hoc abrumpas, teque irrito labore sudare, tu ipsis respondè: *Propter Christum parietes cellæ istius custodio.* Consulebat, inquam, ut perseveraret, satis sibi esse credens, quòd pium hoc opus propter Christum faceret, etsi alium, quàm hunc, ex oratione fructum non esset percepturus.

In Historia Lausiaca.

Exemplū desolati.

4. Responsio hæc etiam nobis usui venire poterit, dum simili tentatione pulsabimur.

Custodi locum, si orare nequis.

5. Primarius enim finis, quem in sancto hoc exercitio præ oculis habere debemus, & intentio, qua ad ipsum

Voluntas Dei non consola-

tio mea oratio- nis sco- pus est.

ipsum adeundum, & in eo manendum est, esse debet, non noster ipsorum gustus & delectatio; sed bonum & sanctum quoddam opus facere, quo nimirum Deo opt. max. placeamus, ei gaudium afferamus, & aliquatenus pro ingenti debito, quo ei obstricti sumus, (quòd ipse sit is qui est, & ob innumera, quæ de manu ejus recepimus, beneficia) satisfaciamus, & aliquid rependamus. Cùm verò ipse velit, eique placeat, me jam hoc loco manere, etsi mihi nihil boni in eo agere videar; hoc mihi sufficit, eoque contentus sum.

Exem- plum a- liud. S Catha- rina hu- mili pa- tientia oratio- nẽ con- tinuat. *Blosius Monil. spir. c. 4.*

6. De S. Catharina Senensi scribitur, ipsam Dei permissu, per multos dies spiritualibus consolationibus destitutam fuisse, & solitum devotionis fervorem spiritumque non sensisse: adhæc, varias cogitationes carnales, imò & spurcas imagines, tam importunè ei se ingessisse, ut eas à se abigere neutiquam posset. Ipsam tamen, propter hujusmodi molestiam solita pietatis exercitia non omisisse, sed quàm poterat diligentissimè, & maximo studio iis insistendo, ita seipsam allocutam esse; *Tu vilissima peccatrix nullis consolationibus digna es, quid enim? nonne tibi fuerit satis, si non damneris, etiam si toto vitæ tuæ tempore has cruces & tenebras ferre deberes? Certè non ideò elegisti servire Deo, ut hic consolationes abeo recipias, sed ut in cœlis illo fruaris in æternum. Surge igitur, & consueta exercitia tua persequere, Dominoque tuo fidelis permane.*

Præ in- ferno cuncta dulcia.

7. Hæc ergo exempla imitemur, & his viri illius sancti verbis nos solemur; *Hæc mihi sit consolatio, Domine, libenter velle carere omni humano solatio. Et si tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas & justa probatio, prosum mo solatio.* Si huc pertingamus, ut unica Dei voluntas & beneplacitum, si tota nostra voluntas & beneplacitum, in tantum ut ipsamet omnis consolationis carentia unicum nostrum sit gaudium (quòd illa Dei sit voluntas & beneplacitum; tunc demum gaudium nostrum erit verum, & tale, ut nulla prorsus mundi res id à nobis tollere queat.

Verum gaudiũ pro Deo velle carere omni gaudio. *Thom. à Kempis l. 3. c. 16. de imi. Christi*

CAPUT XXIX.

Quæ jam dicta sunt, exemplis confirmantur.

Exem- plum 1. *Fern. Castiglius 1 p. Lib. 1. c. 60. hi- stor. Ord. Prædicat.* Humili- tate non quereli obtinen- tur con- solatio- nes.

1. QUidam de primis illis Ordinis Prædicatorii Patribus, postquam cum magnæ sanctitatis vitæque purioris exemplo, jam annos aliquot in Religione conversatus esset; nullum tamen in omnibus illis exercitiis consolationem gustumque sentiebat, ita ut nec meditatio, nec oratio, nec contemplatio, nec lectio ei saperent. Quòd autem assiduè multa de favoribus & gratiis, sensibusque spiritualibus, quibus alii à Deo perfundebantur, narrari audiret, propemodum animum præ desperatione abjiciebat. Unde nocte quadam coram Domini in cruce fixi imagine se prostravit; suamque miseram sortem & desolationem amarissimè plangens, his illum verbis appellavit: Semper te, Domine

mi, audivi & credidi, bonitate & mansuetudine omnibus creaturis anteire; vide ergo, quæso, recordare multos me tibi annos quàm fidelissimè serviisse, tuâ causâ plurimas tribulationes esse perpessum, meque tibi soli totum hactenus libentissimè impendisse. Si vel quartam temporis, quo tibi servivi, partem tyranni cujuspiam immitissimi obsequio impendissem, jam dudum is aliquod benevolentię signum mihi ostendisset, vel leniter blandeque ad minimum semel, me alloquendo, vel amico vultu mihi arridendo: tu verò Domine, nullum prorsus mihi hactenus favorem ostendisti, utpote, qui ne minimam quidem earum, quibus alios prævenire soles gratiarum recepi; cumque ipsa sis dulcedo, erga me tamen saxo durior es, & centum tyrannis austerior. Quid hoc sibi vult Domine? quid ita fieri jubes? Hæc dum queritur, tantum subitò fragorem circa se excitari audit; ac si templum universum à fundamentis & cardinibus subrueretur: & super tabulata supernè tam horrendum tumultum ac strepitum, quasi mille canes omnem contignationem dentibus discerpsissent. Ad quem horrorem consternatus, & propè exanimatus, dum respicit, visurus quidnam esse posset; vidit ad latus suum terribile quoddam & visu teterrimum monstrum, dæmonem scilicet: qui ferreo vecte, quem manu tenebat, tam gravem illi ictum impegit, ut in terram corruens exurgere in pedes non posset; sumptâ tamen audaciâ, ad usque altare vicinum proserpsit, ita elumbis & fractus dolore, tanquam si ossa omnia fustibus contusa & luxata essent. Ut ergo Fratres in templum venere, Primam cantaturi, & eum elumbatum & semimortuum vidêre; subiti hujus casus causam ignorantes, eum ad domesticum valetudinarium tulerunt: trium verò hebdomadarum spatio, quo gravissimis doloribus est afflictatus, tam teter & intolerabilis è corpore ejus odor prodibat, omnemque locum replebat, ut Religiosi, eum curaturi & servituri, nonnisi obturatis naribus, odoramentisque redolentibus præmuniti, ad eum ingredi possent. Hoc tempore transacto, ut primùm habere meliusculè cœpit, & pedibus insistere; stultam suam præsumptionem & superbiam damnavit, eamque expiare decrevit. Hinc ad locum, in quo culpam commiserat, revertit, aliquod in eo culpæ remedium quæsiturus. Quare multis cum lacrymis, seq; humilians, longè aliter orare cœpit, quā orarat antè: culpā enim suam confitebatur, seque omni prorsus bono indignum, & pœnas castigationemque potiùs promeruisse censebat. Quem mox Dominus, voce de cœlo submissâ, consolatus ait: *Si consolationes & gustus in oratione quæris, antè omnia necesse est te esse humilem, tuam imbecillitatem ac nihilum agnoscere, teque luto viliorem, imò vermibus, quos pedibus proteris contemptibiliorem ducere.* His ita cautus factus est & sapere didicit, ut posthac Religiosus fuerit perfectissimus.

2. In

2.Exemplum. Lib.5.c.1. Dei bonitas cũ S. Ignatii humilitate certat.

2. In vita S.P. Ignatii aliud, at dispar longè, exemplum legere est; quòd enim ipse superiora peccata memoria volvens, eadem continenter plangeret, gratum sibi fore dicebat, si in eorum expiationem, se aliquando Dominus mentali consolatione ac deliciis spiritualibus privaret, ut hæc eum privatio ac desolatio cautiorẽ, inque ejus obsequio ferventiorẽ magisque sollicitum redderet. Verùm tantâ, vice versa, erga ipsum Dominus misericordiâ usus fuit, tantaque eũ gratia, suavitate ac dulcedine, perfudit, ut, quo seipse magis delinquere crederet, & magis propterea hoc modo flagellari rogaret; eo Dominus in eum esset effusior, atque infinitæ liberalitatis suæ thesauros majori copia profunderet. Unde se credere ajebat, nullum in mundo esse hominem, in quo magis duo hæc simul concurrerent, quàm in seipso, tanta scilicet, ingratitudo, toties & tam graviter in Deum offendendo, & tam continua à munifica manu ejus beneficiorum effusio.

3.Exemplum. Blosius Monil. spi. c.10. Humilis petit sibi subtrahi nimiã gratiã.

3. Deus cuidam amico suo (uti scripto prodidit Ludovicus Blosius) singulares quosdã favores communicabat, hinc ei oranti multa etiam occulta pandebat, & mirabiles futurorum eventus revelabat. Ipse verò, qua erat humilitate, Deoq; ampliùs placendi desiderio, eũ ferventer instanterque orabat, ut, si ei videretur, ac foret gratius, hujusmodi à se gratiam auferret. Audiit rogantẽ Deus, & per quinque continuò annos ei gratiam subtraxit, eum interea plurimis tentationibus, angustiis, ac desolationibus spiritûs obrui sinens. Qui cùm propterea die quadam amarè fleret, duoque Angeli vellent afflictum consolari; nullam se consolationem sufficere dictitans, quòd Dei in se voluntas perficeretur.

4.Exemplum. Monil. spir. c.4. Contra Dei voluntatẽ peccasti, contra tuam patere.

4. Idem refert, Dominum Jesum aliàs sic S. Brigittæ locutum: *Quid turbaris & sollicita es filia?* Illam verò dixisse: *Quia diversis, & inutilibus, magisque affligor cogitationibus; quas removere nequeo, & terror judicii tui me angit.* Tunc replicasse Dominum: *Hæc vera est justitia, ut sicut priùs delectabaris in vanitatibus mundi, contra voluntatẽ meam, ita modò tibi molestæ sint variæ perversaq; cogitationes contra voluntatem tuam. Veruntamen time judicium meum moderatè, & cum discretione; firmiter semper confidens in me Deo tuo. Certissimè enim scire debes, malas cogitationes, quibus mens reluctatur, & quas detestatur, esse purgationem animæ atque coronam. Si tu illas prohibere non potes, fer patienter, ac voluntate eis renitere. Et quamvis ipsis non consentias, time nihilominus ne inde superbias & cadas: nam quicunque stat, solius Dei virtute & gratia stat.*

Cogitationes quas inviti patimur, coronam animã. Patienter ferendæ, & tamẽ cavendæ.

5.Exemplum. Thaulerus.

5. Aliudè Thaulero refert idem Blosius in Libro cui nomen *Consolatio Pusillanimium. Plerique*, inquit, *aliqua molestia gravati mihi dicere consueverunt: Pater malè mecum agitur: diversis enim afflictionibus multoq; mœrore perturbor.* Et ego rectè cum eis agi pronuntio. Tum illi, *Non*, ajunt, *Domine, sed mea culpa id actũ est.* Ad quod rursus ego: *Sive tua culpa id actum sit, sive non, crede ipsam afflictionis crucem à Deo tibi impositam: idemque gratias agens*

Benè valet qui affligitur. Crux bona, etsi eam merueris.

agens sustine, & resigna teipsum. Rursum illi: *Sed magna intus ariditate obscuritateq; contabesco.* Quibus ego; *Foras* (aio) *dilecte fili, patienter, & melius tecum agetur, quàm si in magna multaq; sensibili devotione versareris.*

Oratio etiã arida robur tribuit.

6. Alius quidam Dei famulus dixisse fertur: *Iam quadraginta annos Domino servio, & in oratione me exerceo; nunquam tamen ullam in ea consolationem vel gustum habui; quo tamen die in eam incumbo, eo postea magnum in me vigorem ad qualibet virtutis exercitia subeunda, sentio: at quo die eam omitto, adeò torpidus & flaccidus sum, ut me ad bonum aliquod opus faciendum, ne quidem alæ à terra valeant sustollere.*

Caput XXX.

Quomodo circa reliquarum virtutum ac donorum supernaturalium distributionem, Dei nos voluntati conformari oporteat.

Virtutes desiderãdæ, sed cum indifferentia.

1. Sicut voluntati Dei quoad orationem conformes esse debemus, quomodocumque demum in ea nos tractet; ita & quoad reliquas virtutes, ac dona Dei, necnon alias quascumque spiritus prærogativas, cum ea nos conformari oportet. Omnes virtutes desiderare, non potest non esse bonum, uti & ob eas incessanter suspirare, eique acquirendis incumbere; ita tamen velle debemus, semper meliores esse, inque virtutum perfectione indies crescere & proficere, ut mente simus quieti, esto alioquin ad id quod prætendimus, non perveniamus, utque cum Dei voluntate ac nutu conformemur, eaque contenti simus. Si tibi Deus castimoniam angelicam dare nolit, sed gravibus quoad puritatem assiduè te tentationibus velit oppugnari; melius sanè est, id te patienter ferre, Deique voluntati in hac tentatione & afflictione te accommodari, quàm inquietum querulumque incedere, quòd angelicam illam puritatem & munditiem non habeas. Si tam profundam humilitatem tibi dare nolit, quàm habuit S. Franciscus; non tantam mansuetudinem, quantam habuere cùm Moyses, tum David; non denique talem patientiam, qualis in Iobo eluxit; sed motus & appetitus quosdam in contrarium sentias; bonum est inde te humiliari & erubescere, occasionemque tui parvi faciendi accipere; non tamen bonum est, anxiè te turbari, inquietari, conquerique quòd tam patientem te Deus non faciat ac fuit Iob; non tam humilem, uti S. Franciscum fuisse constat.

Castitas. Humilitas. Mansuetudo.

Nulla pax sine indifferentia.

2. Necesse igitur est, etiam his in rebus nos cum Dei voluntate conformari; aliàs enim nullam in animo pacem sentiemus. Quare egregiè R. P. M. Avila: *Nullum credo,* inquit, *in mundo fuisse sanctum, qui non voluerit esse melior quam fuit: sed non propterea animi sui pacem hi amittebant: neque enim id tam ex propria cupiditate, (utpote qua nunquam dicit, sufficit) desiderabant, quàm propter Deum, cuius divisione ac distributione munerum satis erant contenti, etsi ipsi minus accepissent: rati verum amorem potiùs in eo cõsistere, quòd contenti viverent eo quod acceperant;*

Cap. 32. Audifilia.

ceperant; quàm in multa habendi desiderio, etsi amor proprius, id nonnisi ad meliùs Deo serviendum fieri dicat.

Abusus rei, etiam optimæ, malus est.

3. Ac dicet aliquis, videri nos hîc docere velle, non debere à quopiam fervens aliquod desiderium indies in virtute crescendi concipi; sed omnia tam ad animam, quàm corpus spectantia, Deo committenda: videri proinde hoc pacto dari nobis occasionem torpescendi, intepescendi, atque omnem de proficiendo progrediendoq; curam abjiciendi. Hoc certè punctum est maximè notandum, quia non parvi est momenti: imò hæc objectio tam est bona, ut nihil in toto hoc negotio aliud sit timendum, quam unum hoc. Nulla certè doctrina est, quantumvis bona, quâ non aliquis, si eam prout oportet non norit applicare & uti, queat abuti: unde & hac nostra quis abuti potest, tam in iis quæ de oratione dicta sunt, quàm iis quæ reliquas virtutes & dono spiritualia concernunt.

Diligentes simus non anxii.

4. Quamobrem necesse erit eam ampliùs explicare, ut bene intelligatur. Nō dico ergo, nō debere nos desiderare quotidie magis ac magis in sanctitate progredi, vel procurare ut semper illustriores & meliores quosque imitemur, idque diligenter & sedulò: quia hoc fine ad Religionem omnes venimus; &, id nisi fecerimus, boni Religiosi non censebimur. Sed dico, quòd, quemadmodum homines in rebus externis & corporalibus esse debent diligentes, nō tamen anxii nec cupidi (quia istud sancti Patres in Evangelio à Redemptore Iesu asserunt prohiberi, dicente, *Dico vobis ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis; neque corpori vestro quid induamini*; quo loco laboriosam & nimiam harum rerum sollicitudinē, anxietatem, & cupiditatem reprehendit, consentaneam tamen & moderatam sollicitudinem, ac diligentias necessarias, adeò non carpit, ut etiam præcipiat, nobisque in castigationem & pœnam olim iniunxerit, dicens, *In sudore vultus tui vesceris pane.* Vnde necesse est homines, ad victum sibi comparandum, laborare & sudare, quia nisi id facerent, Deum tentarent:) ita & in rebus spiritualibus, in virtutum, inquam, & donorum Dei procuratione, diligentia adhibenda sit. Sedulos quidem in ea ac diligentes esse nos oportet, ita tamen, ut hæc nobis pacem & cum Dei voluntate conformitatem non auferat. Mat.6.25 Gen.3.19.

Impatiētia peccatis deterior.

5. Tu quidem fac quod in te est: si tamen te videas nō consequi quòd cupis, non propterea animum despondere, aut in talem impatientiam incidere debes, quæ errato præcipuo deterior sit: Quod etiam facto opus est, licèt ob teporē & inertiam tuam (quod certè multos contristare, & desolationem adferre solet) id tibi contingere videatur.

Humilitas, non desperatio, è lapsibus discenda.

6. Adhibe, quam moraliter potes, omnem diligentiam & industriā: imò etiamsi adhuc eam omnem non adhiberes, ideoque erratum aliquod committeres, non propterea tamen aut contristandum, aut animus abjiciendus est: quia tales sumus omnes, Homo es, non Angelus; debilis, fragilis, non sanctificatus. Et Deus ipse

nostræ fragilitatis ac miseriæ est conscius: *Quoniam ipse cognovit figmentũ nostrum.* Nec vult ipse, ut propterea animo cadamus; sed errati nos pœniteat, ob ipsum nos humiliemus, quamprimum in pedes resurgamus, majorem à Domino fortitudinem petamus, & tam interiùs quàm exteriùs contenti simus: satius est enim te citò cum alacritate quadam, quæ tibi vires ad Deo serviendum reduplicet resurgere, quàm putando te delicta tua ex Dei amore plorare, illi eo ipso displicere, ei malè serviendo in corde interiùs, & per frequentes lapsus exteriùs, & per alios defectuum ramos, qui hinc enasci solent.

Ps. 103. 14

Cavendum, ne sub umbra indifferentiæ, teporis vermis lateat.

7. Duntaxat hîc timendum periculum illud, quòd suprà indicabamus: cavendum inquam ne quis hîc nobis obrepat tepor, & ipsi quod in nobis est, facere nolimus; satis esse rati, quod dicamus, Deus id mihi dare debet, omnia à Dei manu descendant necesse est; ego à parte mea plura facere nequeo. Idem quoque periculum caveamus oportet in oratione, de qua antè locuti sumus; ne & in illa sub hoc prætextu nobis tepor & inertia surrepat. Verùm hoc ostiolo occluso, teque rite agente quod tuum est; magis Deo placet patientia, & in fragilitate tua humilitas, quàm hæ quorundam superfluæ anxietates, & tristitiæ, quòd non tantos sibi in virtute & perfectione, progressus facere videntur, nec orationi eam benè insistere, quàm fortasse vellent. Hoc enim orationis donum, non afflictione, non conquerendo, non per vim ullam acquiritur; sed dat Deus id cuicumque quomodocumque & quandocumq; voluerit.

Non omnes possunt esse primi. Sufficiat tibi si sal. veris.

8. Certum est, non omnes qui ad cœlum perventuri sunt, meritis pares & æquales fore: nec ipsi etiam animo cadere, aut desperare debemus, quòd de optimis & summis non simus, ac fortasse, ne quidem de mediocribus; sed in omnibus Dei nos conformare voluntati, eique gratias agere, quòd nobis salutis æternæ per misericordiam suam consequendæ spem fecerit. Si autem eo usque pertingere nequeas, ut sine omni prorsus defectu hic vivamus; eo saltem nomine Deo gratias habeamus, quòd nostrorum nobis delictorum dederit notitiam: &, si per virtutum illustrium excellentiam cælum non ingrediamur (uti id ingrediuntur nonnulli:) sufficiat quòd per delictorum cognitionem, ac pœnitentiam de eisdem actam, eo donari mereamur, sicuti alios permultos eo donari certum est. Vnde S, Hieronymus: *In templo Dei offerat unusquisque quod potest: alii aurum, argentum, & lapides pretiosos; alii byssum, & purpuram, & coccum offerant & hyacinthum: mecum bene agetur, si obtulero pedes animalium & caprarum pilos.*

In prolog. Galat.

Non omnia possumus omnes. Alii magna, tu humilitatẽ Deo offer.

9. Alii ergo Deo suas virtutes, heroica & eminentia opera, altas & sublimes contemplationes offerant; mihi satis erit, si meam illi offeram vilitatem & fragilitatem, me & peccatorem, & imperfectum, & vitiosissimum mortalium agnoscendo æquè ac confitendo, meque instar inopis mendi-

Multum est, quòd cùm ingratus esses, punitus nõ sis.

mendici, ad maiestatis illius pedes, advolvendo. Quin & hoc nomine in corde exultare, Deoque gratos nos exhibere par est, quòd nequidem quod antè dedit, à nobis, velut ingratis tollat.

Opuscul. de profect. Relig. l. 1. c. 33. Tra. de monto contempl. F. Barth. de Martyrib. Archiep. Brachar. in suo cõpendio p. 2. c. 15.

Multi magis placent Deo dum virtutes desiderant, quàm si eas haberent.

10. S. Bonaventura, Gerson, & alii pii Scriptores, ad dictorum confirmationem punctum adjungunt, dicentes, non paucos magis & ferventiùs Deo servire, eò quòd virtutem & recollectionem internam non habeant, ipsamque assiduè & incessanter precando desiderent, quàm si de facto eam haberent. Quia hoc pacto humiliter de se sentiunt, majorique super seipsos vigilant sollicitudine & studio, jugiter operam dantes, ut tandem huc pertingant, & in via salutis magis magisque quotidie progrediantur: eaque de causa frequenter ad Deum per suspiria recurrunt. Qui si raras & præstantes quasdam virtutes haberent, forsan ob eas superbiendo, insolescerent, in Dei obsequio negligentiores fierent, ac veterno correpti desidiâ tepescerent: rati se jam consecutos quod ad salutem sibi erat necessarium, nec ad ulteriùs laborandum sudandumvé animum inducerent.

11. Hæc ideò à nobis disputata sunt, ut ipsi à parte nostra moraliter faciamus quod possumus, & qua valemus diligentia ac conatu in perfectionis nostræ procurationem incumbamus; quod ubi fecerimus, eo quod nobis divina bonitas dare voluerit neu contristemur angamurque de eo, quod nec ipsi ut velimus, assequi possumus, nec in manu nostra ullatenus situm est. Hoc enim, inquit R. P. M. Avila, nihil esset aliud, quàm dolere & angi, quòd nobis alæ, quibus in aëre evolemus, non sint concessæ.

tom. 2. Ep. fol. 23.

Quis dolet se alatum non esse?

Caput XXXI.

De conformitate cum voluntate Dei, circa bona gloriæ.

Exinanitio supre ma suæ voluntatis.

1. Nec solùm in bonis gratiæ, verum etiam gloriæ, cum Dei voluntate nos conformemus necesse est. Verus quippe Dei servus à proprio commodo tam esse debet, etiam in his rebus alienus, ut magis lætari debeat, quòd Dei voluntas adimpleatur & fiat, quàm omni quodcunque habere commodum posset. *Non parva*, inquit sanctus ille vir, *perfectio est, si tuum non quæras commodum, nec in modico, nec in multo; nec in temporalibus, nec in æternis.* Et rationem addit: *Nam voluntas tua Domine, & amor honoris tui, omnia excedere debet; & plus hominem consolari, magisq; placere, quàm omnia bineficia sibi data vel danda.*

A Kempis li. 3. de imit. Christi c. 22.

Sancti de Dei voluntate plus lætantur, quam de sua gloria.

2. Hoc est in cœlo Beatorũ gaudium & exultatio: magis enim gaudent, quòd Dei voluntas in se impleatur, quàm magnitudine gloriæ, qua donati sunt; itaque in Deum transformati, cumque eius voluntate uniti sunt, ut eam quam habent gloriam, & felicem, quam sunt adepti, sortem, non tam velint, ob bonum quod inde sibi accedit, aut gaudium quod privatim inde accipiunt; quàm quòd eo gaudeat Deus, hæcq;

eius sit voluntas. Inde etiam est, quòd quem quisque eorum gradum habet, ita eo contentus sit & gaudeat, ut altiorem nec sibi desideret, nec alteri invideat: dum enim quis Deum videt, ita mox in ipsum transformatur, ut velle jam desinat sicut ipse, & velle incipiat sicut Deus, & sicut illud, Dei voluntatem & beneplacitum esse novit, ita id etiam sua voluntas & velle sit. Perfectionem hanc in illustribus illis sanctis videmus olim viguisse: in Moyse imprimis & Paulo, qui partim pro vita & salute aliorum, partim pro majore Dei gloria, suiipsorum obliti; propriam contempsisse gloriam videntur. Ille quippe ajebat, *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Hic vero, *Optabam,* inquit, *ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* A quibus id postea S. Martinus, & alii Sancti didicere, unde ille dicebat, *Si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Suam videlicet requiem & gloriam, quam jam velut manibus tenebant, majori Dei obsequio & gloriæ æquanimiter posthabebant, ac quod ad eam habebant, jure libenter cedebant, ad novos se labores promptè offerentes. Hoc nimirum est, Dei voluntatem ita hic in terra facere, uti ea fit in cœlo, nempe ut propriæ utilitatis planè obliti, omne nostrum gaudium in unius Dei voluntatis adimpletione ponamus, eiusque beneplacitum pluris faciamus, quàm omne nostrum commodum, bonum, imò plus quàm cœli terræque possessionem.

Sancti altiora aliis non invident, sibi non optant.

Exod. 32. 32.

Rom. 9. 3.

3. Hinc facilè patebit, quantam hoc voluntatis nostræ cum divina conformandæ exercitium perfectionem contineat. Nam si etiam ab ipsa bonorum spiritualium, quin & æternorum, possessione oculos avertere nos oportet, quò in Dei voluntatem & beneplacitum eos convertamus; quid de aliis erit commodis & respectibus humanis dicendũ? Vnde etiam apparebit, quàm ab hac perfectione procul distet, cui etiam difficile est se in rebus, quas initio dicebamus, cum Dei voluntate conformare: puta, quòd in hoc loco habitare jubeat, vel illo; quòd hoc officio fungi me Superior velit, vel illo; quòd sanus sim, sive infirmus; quòd ab aliis parui fiam, vel magni. Nos aliud nihil hîc probare nitimur, quàm voluntatem ac beneplacitum Dei pluris à nobis faciendum, quàm quæcunque in bonis spiritualibus, imò & æternis, habere commoda, & præeminentias possumus; & tu in illis adhuc manes, ac quietem statuis, quæ, illorum respectu, nonnisi mera sunt vilitas?

Si cœlũ pro Deo relinquẽdũ, quid in terra Deo negabimus

Psal. 34.

Exemplum. Lib. 5. c. Vita.

4. Ei sanè, qui Dei beneplacitum, ac divinæ eius voluntatis adimpletionem ita desiderat, ut ob eam ultrò, & nõ invitus, propria gloria cedat, & infimo loco contentus vivat (non quòd ei aut laborandi, aut generosa opera exequẽdi voluntas desit, sed tantùm quòd malit divinam voluntatem ac beneplacitum fieri;) reliqua omnia facillima erunt, cùm cedat & renuntiet rei, quæ inter omnia, quibus ex amore Dei potest renuntiare, summa est. Nam nulla maiore

Gloria propria cedere, summũ sacrificiũ

majore re quis, ex desiderio conformandi se cum divino beneplacito, cedere potest, quàm ut dicat, Si me velit Deus statim emori, & proinde minus habere gloriæ; gratius hoc mihi est, quàm ut post viginti vel triginta annos moriar, & tunc multo majorem beatitudinem obtineam. Et contrà, licet, jam jam moriendo, essem certus de gloria mea; si tamen me Deus isthoc in carcere & exilii loco adhuc multos annos velit agere, & pati, & affligi, hoc malo, quàm statim ad gloriam Beatorum admitti. nam velle Dei, ejusque voluntatis, adimpletio, unicum meum gaudium

Psal.34.

& gloria est. *Tu es gloria mea, & exaltans caput meum.*

Exemplum. Lib.5.c.1. Vita.

5. Egregium & singulare, quoad hoc exemplum refertur de S. P. N. Ignatio: Cùm enim is die quadam cum P. Jacobo Lainio, aliisque Patribus ageret, sic ex occasione familiariter illum est percontatus: Dic mihi, M. Laini, quid tibi facturus videris, si hanc tibi Deus opt. max. optionem daret, diceretque, Si statim ex hac vita decedere cupis, ego te corporis hujus carcere mox educam, & cœlesti gloria statim donabo: at si diutiùs vivere cupis, nullam tibi de eo, quod pòst eventurum est, do certitudinem; sed id incertum relinquo, ita ut, si in virtute perseveres, cœleste tibi sim daturus præmium; sin autem in bono cœpto deficias, in statu te judicem, in quo te invenero. Si, inquam, hæc tibi Dominus diceret, & ipse scires te adhuc aliquantisper in vita manendo, notabile aliquod & illustre divinæ illius majestati obsequium posse præstare; quid illi ad hæc responderes? Tum Lainius, Equidem (ut fatear apud R. V. quod res est, & sentio) eligerem, statim ad divina gaudia posse admitti, salutem in tuto collocare, meque in tanti momenti negotio, à periculo omni immunem præstare. Cui B. P. *Ego sanè,* ait, *secùs facerem: nam si me, diutiùs vitam producendo, illustre aliquod Deo Opt. Max. obsequium præstare posse certò crederem, eum supplex rogarem, ut tamdiu in ea me conservaret quoad ipsum fecissem, atque in hoc, non verò in me ipsum, oculos meos, nullo ad periculum damnationis, aut salutis securitatem, respectu habito, conjicerem.*

S. Ignatius elegit Deo servire cum periculo, quam de gloria securum esse servitio Dei omisso.

6. Vero certiorem & securiorem, quòd insignem de Deo fiduciam concepisset, ideo se credens ab eo in vita relictum, ut hoc illi obsequium præstaret. Quis enim, ajebat, in mundo Rex vel Princeps, si eximium aliquod beneficium & favorem cuidam de clientibus suis offerret, & hic idcirco illo statim frui nollet, ut suam Regi in re alia notabili operam & obsequium præstaret? quis, inquam, Rex non se obstrictissimum censeret, ad favorem hunc illi tum conservandum, tum etiam adaugendum, quòd is, Regis sui causa & amore, & quò ei amplius servire posset, isthoc se privet? Quod si id faciant homines, qui ex se ingrati sunt, & beneficia sæpè parum agnoscentes, quid non de Deo nobis sperandum, qui nos gratia sua ita prævenit, & tot beneficiis indies accumulat? Quomodo timere possumus, ne ab illo deseramus, & ipse nos cadere permittat, quòd in e-

Certior est de gloria, qui ex amore Dei negligit gloriam.

Deus propter Deū relinquendus.

jus gratiam beatitudinem nostram differri petamus, & propter ipsum frui ipso nolimus? Nefas est hoc de tali Domino credere, vel timere.

Caput XXXII.

De conformitate, unione, & perfecto amore erga Deum, & quomodo in hoc nos exercitio exercere debeamus.

Inhæsio optimæ voluntati, nempe Dei.

1. Ut autem perfectio, & summa excellentia, quam hoc conformationis cum divina voluntate exercitium includit, magis patescat, & ipsi noverimus quousque per illud pervenire possimus; pro Tractatus hujus conclusione & epilogo nonnulla de amoris Dei exercitio, quod SS. Patres & vitæ spiritualis magistri omnium eminentissimum ducunt, afferemus; quod hoc loco id esse opportunum, & ad rem facere videatur: nam unus de præcipuis amoris effectibus, ut docet S. Dionysius Areopagita, est, *efficere, ut amantium invicem voluntates unitæ sint & conjunctæ*: id est: ut unum velle habeant, & unum nolle. Hinc, quo quis cum Dei voluntate ac libitu erit conformior, eo magis eum amabit, & vicissim, quo majorem ejus habebit amorem; eo Dei voluntati erit unitior & conformior.

Cap. 2. de divin. nominib. Amoris effectus voluntatum cōjunctio.

In cœlis est perfectissima ea inhæsio, per visionē.

2. Quo autem meliùs id intelligatur, in cœlum consideratione nos opus est ascendere, ac videre, quomodo ibi Beati invicem diligant, Dei voluntati se accommodantes, & eandem cum ipso voluntatem & velle habentes; quo enim magis ac propiùs ad hoc accesserimus, eo exercitium nostrum erit perfectius. Ait S. Joannes Apostolus in Canonica sua prima, Beatos è Dei conspectu, & similes fieri: *Quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Quia videndo Deum, ita illi uniuntur, & in eum transformantur, ut eandem cum eo voluntatem & velle habeant. Jam ergo videamus, ecquod Dei velle, voluntas & amor sit, ut ita pariter videamus, ecquod Beatorum velle sit & voluntas; atque hinc dein colligamus, quale nostrum velle, amor, & perfecta voluntas esse debeat.

1. Joan. 2. 3.

3. Dei velle & voluntas, ejusque summus & perfectissimus amor, est suiipsius gloriæ, atque sui Esse summè perfecti & gloriosi. Atque hoc ipsum, est & velle, & voluntas, & amor Beatorum. Adeò ut Sanctorum & Beatorum amor, amor quidam & velle sit, quo totis viribus suis & ex corde amant & volunt, ut Deus sit is qui est, tamque in se bonus, gloriosus, & omni honore dignus, quàm est. Atque ut in Deo vident omne quod desiderant; hinc fructus ille Spiritus sancti in illis oritur, de quo Apostolus, *Fructus autem spiritus est gaudium*: ineffabile, inquam, gaudium, inde resultans, quod eum, in quem tanto amore feruntur, omnigenis bonis & thesauris adeò in se abundantem videant.

Deus vult & amat seipsum, & gloriam suam, hinc Sancti lætātur de gloria Dei, ut sua.

1. Cor. 2. 9.

Gal. 5. 22.

Magnitudo gaudii cœlestis in amore Dei.

Apoc. 22. 1.

Psal. 45. 5. Fluvius gaudii.

4. Porro ex iis quæ hoc in mundo fieri videmus, divinum hoc gaudium, quod hinc Beati capiunt, aliquomodo colligere & investigare possu-

Iste amor cœlestis ex naturali conjectari potest.

Apoc. 19. 6.

possumus. Perpende, quæso, quanta filii benè morati lætitia & gaudium hîc esse soleat, dum patrem dilectissimum, ab omnibus honorari, coli; sapientia, opibus, potentia pollere, & apud Regem gratia & authoritate valere videt. Sunt profectò filii, adeò boni, ut dicturi sint, nullum posse dari gaudium, quod cum suo ut paternum honorem & æstimationem gaudio queat comparari. Si ergo etiam in hoc mundo, ubi & amor tam frigidus est, & bona tam vilia, istud gaudium tam magnum sit, ecquod Sanctorum erit gaudium, cùm verum suum Dominum creatorem quoque, ac Patrem suum cœlestem, in quem per amorem ita transformati sunt, videbunt tam bonum, tam sanctum, tanta pulchritudine donatum, tam infinitè potentem, ut per ejus unius velle ac voluntatem, suum omnia creata Esse & pulchritudinem habeant, sine nutu autem ejus nullum in arbore folium queat moveri?

Deus vult & amat se ipsum, & gloriam suam, hinc Sancti lætantur de gloria Dei, ut sua.

1. Cor. 2. 9.

5. Unde & Apostolus gaudium hoc adeò ait esse intensum, ut nec oculus id viderit, nec auris audierit, nec in cor hominis ascendere possit. Hic est fluvius ille impetuosus, quem in Apocalypsi sua Joannes à throno Dei & Agni promanantem conspexit, qui *lætificat civitatem Dei*; è quo Beati in cœlo identidem bibunt; & isthoc amore inebriati, cantant perpetuum illud *Alleluja*, ut eo loco testatur Joannes, glorificantes & benedicentes Deum. *Alleluja, quoniam regnavit Dominus Deus noster, omnipotens: gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei.* Gaudent quippe & exultant ob magnitudinem gloriæ Dei, eamque illi congratulantes, magno cum jubilo & exultatione dicunt, *Benedictio & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen.*

Magnitudo gaudii cœlestis in amore Dei.

Apoc. 22. 1.

Psal. 45. 5.

Fluvius gaudii.

Iste amor cœlestis ex naturali conjectari potest.

Apoc. 19. 6.

Sancti Deo cōgratulantur.

6. Hic nimirum est amor, quo Sancti in cœlo erga Deum feruntur, hæc unio & conformitas quam cum divina ejus voluntate habent, ut juxta humani nostri intellectus imbecillitatem tenuitatemque loquamur. Hoc proinde est, quod nos hîc in terra pro modulo nostro intuendo exprimere oportet, & operam dare, ut Dei voluntas ita fiat in terra, sicut fit in cœlo à Beatis. Dicebat olim Deus Mosi, cùm tabernaculi ei fabricam imperaret, *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est*: ita & nos, quidquid in terra nobis agendũ est, ad imitationem & exemplum eorum quæ in supremo illo gloriæ monte fiunt, faciamus oportet. Unde amare & velle debemus id, quod amant & volunt Beati in cœlo, & quod amat ac vult ipsemet Deus, suam ipsius, inquam, gloriam & Esse, quod summè perfectum & gloriosum est.

Beatos in congratulatione Dei imitari debemus.

Exo. 25. 40.

M. Avila tom. 1. Epist.

P. Francisc. Arias p. 2. de profect. spirit. tract. 5. c. 3. & 4.

P. Lud. de Puente tom. 2. medicat. p. 6.

7. Vt autem id meliùs quisq; facere possit, hujus exercitii praxin breviter ostendemus. Cùm ergo in oratione versaberis, intellectus primùm tibi infinitum Dei esse, ejus æternitatem, omnipotentiam, infinitam sapientiam, pulchritudinem, gloriam & beatitudinem repræsenta:

Praxis amoris divini & congratulationis Dei.

Deinde voluntate gaude, exulta, & tecũ ipse lætare, quòd Deus sit is qui est, quòd sit Deus, quòd a seipso habeat Esse & infinitũ bonum quod habet, quòd nullius ope & operà indigeat, illius autem omnes; quòd sit omnipotens, quòd tã bonus, tam gloria plenus; atque ita de reliquis perfectionibus, attributis, & bonis infinitis, quæ in Deo inveniuntur.

2.2.q.28. art.5.ad3. & art.2. 8. S. Thomas, & reliqui cum eo Theologi docent, hoc amoris Dei actu nullum aut maiorem, aut perfectiorẽ dari posse: unde etiam is, præstantissimum & eminentissimum cõformationis voluntatis nostræ cum divina exercitium est: quia nullus maior & perfectior Dei est amor, quam quo Deus seipsum prosequitur, suam, inquam, gloriam, & Esse summè perfectum & gloriosum: nec etiam ulla hac melior haberi darive voluntas potest. Tanto ergo maior ac perfectior noster erit amor, quanto amori, quo seipsum Deus amat, erit similior & correspondentior; tanto quoque perfectior ac maior erit nostra cum divina eius voluntate unio & cõformitas. Accedit adhæc, quòd juxta Philosophorum placita, amare nõ sit aliud, quam alicui bene velle. Vnde consequitur, quòd, quo maius alicui bonum volumus atque optamus, eo ipsum etiam magis amemus. Maximũ ergo, quod Deo velle possumus, bonum, est id quod ipse habet, suum, inquam, infinitum esse, sua bonitas, sapientia, omnipotentia, & infinita gloria. Dum creaturam aliquam amamus, non solùm gaudemus & ei gratulamur de bono quod jã habet; verùm etiam bonum quod nondum habet, ei optare possumus; omnis enim creatura potest crescere & fieri maior: at Deo in seipso nullũ optare bonum possumus, quod jam de facto non habeat, quia totaliter & omnimodis infinitus est; ac proinde nullã in se potentiam, gloriam, sapientiam, bonitatem maiorem habere potest, quam modò habeat. Hinc, gaudere, exultare ac lætari, quòd Deus habeat bona illa quæ habet; tamque bonus, opulentus, potens, infinitus & gloriosus sit quàm est, est maximum bonum, quod ei optare possumus, & consequenter maximus, quo eum prosequi possumus, amor.

Perfectissimus actus amoris Dei est suum esse gratulari ipsi.

Arist. lib. 3. Rhetor. c.4.

Amare est benè velle.

9. Ergo sicut Sancti qui in cælo sunt, & sanctissima Iesu Christi humanitas, gloriosissimaque cæli Regina Maria, & universi Angelorũ chori exultant, quòd Deum tam pulchrum itaque bonis omnibus redundantem videant; & sicut gaudiũ & voluptas, quod hinc percipiunt, adeò exuberans est, ut sibi minimè satisfaciant, nisi in Domini huius laudes prorumpant, imò nec eo laudando, & in æternum benedicendo, queant saturari, juxta illud Prophetæ, *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Sic nostrum est, corda nostra cum illorum cordibus conjungere, & unâ cum ipsis voce concinere; uti nos docet sancta Mater Ecclesia, canens: *Cum quibus & nostras voces ut admitti jubeas deprecamur, supplici cõfessione dicentes, Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth pleni sunt cæli & terra gloria tua.*

Quomodo voluntate Dei faciemus in terra, uti in cælo?

Psal. 83.

10. Semper ergo, aut saltem quàm possu-

Quomodo Deus jugiter à nobis laudandus.

possumus frequentissimè Deum laudare & glorificare debemus, eius bono, gloriâ, potentiâ, & imperio quod habet, gaudendo & exultando, ac de his illi congratulando: atq; ita Beatis, & ipsimet Deo (quantum quidem humanitas nostra patitur) hîc in terra assimilabimur, omniumque altissimum amoris gradum, & perfectissimam cum Dei voluntate conformitatem consequemur.

Caput XXXIII.

Quàm hoc exercitium sit in sacra Scriptura seriò nobis commendatum, & crebrò inculcatum.

Incitamenta amoris Dei ex Scr. Sac.

1. Ex eo quòd hoc exercitium frequenter & passim in sacris litteris commendetur, & identidem repetatur; facilè, quanta eius dignitas & excellentia sit, quamque sit Deo gratũ, intelligetur, simul etiam hinc occasionem & materiam capere poterimus, ipsius exercendi, ac diutiùs ei insistendi. Regius Vates David, ad singulos prope Psalmorum suorum versus, ad ipsum nos invitat: modò
Psa. 31. 11. dicendo, *Lætamini in Domino, & exultate justi, & gloriamini omnes recti*
Psal. 32. 1. *corde.* Modò, *Exultate justi in Domino.*
Ps. 36. 4. Et, *Delectare in Domino, & in omnibus bonis eius tibi complace, & dabit tibi petitiones cordis tui*, vel potiùs quidquid desiderabis, & opus habebis. Hæc enim est oratio, in qua non petendo petis, & in qua cordis tui desiderium & voluntatem Deus exaudit;
Phil. 4. 4. Apostolus quoque Paulus, Philippensibus consulit; *Gaudete in Domino semper.* Et existimans id consilium esse huiusmodi, ut semel id indicari non satis sit, ipsum repetit, & secundò inculcat dicẽs, *Iterum dico, gaudete.* Hoc Luc. 1. 47.
item gaudium est, quo sanctissima Luc. 10. 21.
Virgo mater exultavit, ut in cantico ipsa suo testatur: *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Hoc eodem gaudio perfusus fuit Redemptor Iesus, cùm de eo Evangelista scribit. *Exultavit spiritu sancto.* Idem qui suprà Psaltes, tanto animum suum gaudio fuisse imbutum ac repletum ait, dum secum cogitaret, quàm ingens esset Dei bonum & gloria, & quàm dignissimus, ut omnes infinito quod habet bono gaudeant & exultent; ut eius copia & abundantia etiam in corpus redundaret, caro quoque ipsa in Dei amorem inflammaretur. *Cor*

Cor & caro exultant in Deo.

Psa. 83. 3. *meum*, inquit, *& caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Alio verò loco ait, *A-*
Psa. 34. 9. *nima mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari suo: Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tui?*

Ecclesia ad Dei amorẽ & gaudium nos invitat.

2. Quoniam autem hic amor divinum & cæleste quid est; hinc Ecclesia, à Spiritu sancto directa & gubernata, in ipso Horarum Canonicarum principio, dum Matutinum auspicatur; per Invitatorium nos ad hoc modo Dominum amandum invitat; ut nimirum infinitis bonis eius lætemur & exultemus: *Venite, exulte-* Ps. 94. 1.
mus Domino, jubilemus Deo salutari nostro, præoccupemus faciem eius in confessione & in Psalmis jubilemus ei. Quoniã Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos, &c. Quoniam ipsius est mare, & ipse facit illud, & aridam fundaverunt manus eius, &c. Eandem ob causam, & ad eundem finem omnes Ecclesia Psalmos in hoc versiculo terminat, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui*

Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.

ritui sancto: *Sicut erat in principio, & nunc semper, & in sæcula sæculorũ, Amen.* Hoc, scilicet, est illud *intrare in gaudium Domini*, de quo Salvator Iesus in Evangelio ait, *Intra in gaudium Domini tui*: participem, inquam fieri infiniti illius gaudii quo fruitur Deus, & unà cum ipso, ipsius gloriam, pulchritudinem, & infinitam abundantiam, jubilare & exultare.

Matt. 25. 21.

Incitamenta ex ratione, ob pulchritudinem Dei, quia Visio Dei ex inferno cælũ efficit.

3. Vt autem erga exercitium hoc magis animemur, & in isthoc gaudio & mentis exultatione semper proficiamus; non parvo ad hoc nobis adjumento erit, considerare, quam bonus, pulcher, & gloriosus sit Deus. Tam eminenter quippe omnia hæc est, ut vel sola eius visio ipsos videntes beet, adeò ut, si qui in inferno dirissimè cruciantur, Deum viderent, omnia illorum tormenta mox desinerent, quin & infernus ipse in paradisum converteretur. Vnde etiam Christus ipse apud D. Ioannem sic Patrem suum orat; *Hac est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum.* In eo enim omnis Sanctorum gloria consistit, ut facie ad faciem videant Deum; hoc eos Beatos reddit: idque non in unum diem vel annum, sed in perpetuas æternitates, quia videndo nunquam saturabuntur, sed gaudium hoc ipsis semper novum, & velut non habitum, videbitur, juxta illud Apocalypseos, *Et cantabunt quasi canticum novum.*

Ioan. 17. 3.

Apoc. 14. 3.

Imò Deus sui ipsius visione beatus est.

4. Satis quidem per hæc, infinita Dei bonitas, pulchritudo & perfectio videri queant declarata: addi tamen his plura, & quidem multò plura queunt. Deus enim in se ita pulcher & gloriosus est, ut etiam ipse suiipsius visione beatus sit. Nam gloria & beatitudo Dei nonnisi in seipso videndo & amando sita est. Vide ergo, num meritò in tali bonitate, pulchritudine & gloria gaudere & exultare possimus, utpote quæ universam illam civitatem Dei lætificat, omnesque eiusdem cives beatificat? imò Deus ipse, seipsum & cognoscendo & amando, beatus est.

S. Thom. 1. p. qu. 26 ar. 2.

Caput XXXIV.

Quomodo hoc exercitium ampliùs possumus extendere.

Congratulatio excellentiæ humanitatis Christi est Amoris exercitium.

Similiter congratulatio de B. V. & Sanctorum gloria.

Gen. 45. 28.

1. Possumus in hoc exercitio etiam latiùs nos diffundere, hunc, videlicet, amorem in sacratissimam illam Christi Iesu humanitatem exercendo: ut, nimirum, eximiam eius dignitatem & perfectionem cõsideremus, atque in ea delectemur: exultemus quoque & lætemur, quòd benedicta illa Christi Domini humanitas sublime adeò evecta, & cũ persona divina tam intimè coniuncta sit; quòd gratiâ & gloriâ tam plena existat; quòd aptum ea divinitatis sit instrumentum, ad res adeò eximias, quales sunt omnium electorum sanctificatio & glorificatio, omniaque supernaturalia dona & gratiæ, quæ hominibus communicantur, operandas. Denique de quacunque re gaudeamus, quæ ad gloriosissimæ illius animæ, & sanctissimi Domini nostri Iesu Christi corporis perfectionem & gloriam quoquomodo attinet; in eoq; nos per visceralem quendam amorem & jubilum detineamus: perinde ac gloriosissimam Angelorum Reginam Mariam in Domi-

Dominicæ Resurrectionis die exultare debuisse sancti Patres imaginantur, dum benedictum filium suum Iesum tanto cum triumpho & gloria à mortuis resuscitatum vidit; & sicut Iacob Patriarcham, audito filium suũ Ioseph adhuc vivere, & dominari in tota terra Ægypti, tanto gaudio perfusum & delibutum sacra Scriptura commemorat, ut spiritus eius revixerit, ac dixerit, *Sufficit mihi, si adhuc Ioseph filius meus vivit; vadam & videbo illum, antequam moriar.*

S. Thom. 1. p. qu. 21 ar. 1.

Gen. 45. 28.

Congratulatio excellentiæ humanitatis Christi est Amoris exercitium.

Similiter congratulatio de B. V. & Sanctorum gloria.

2. Idem exercitium B. Virginis Mariæ, ac reliquorum Sanctorum gloriæ accommodare possumus. Et sanè, non contemnenda erit devotio, in eorum festivitatibus aliquam orationis partem huic exercitio impendere: vix enim ullum maius eis obsequium ac cultum possumus deferre; maximus quippe, quem erga eos ostendere possumus, amor, est, ut summum quod habere possint bonum, iis velimus & exoptemus, deq; tam ingenti eorum gloria gaudeam⁹ & exultemus, eamque illis ex animo congratulemur. Hac mente istud exercitium nobis sancta Mater Ecclesia in festo Assumptionis Deiparæ Virginis proponit, dum canit: *Hodie Maria Virgo cælos ascendit: gaudete, quia cum Christo regnat in æternum.* Quin & sacrum Missæ officium, in hoc & aliis festis, à quadam ad hoc exercitium invitatione, & ad ipsum usurpandum cohortatione, idque Angelorum in hoc se identidem exercentium exemplo, auspicatur: *Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore Beatæ Mariæ Virginis, de cuius assumptione gaudent Angeli, & collaudant filium Dei.*

3. Est & aliud in exercitii huius, quoad Sanctos, ac præsertim sacratissimam Christi Iesu Domini nostri humanitatem, usurpatione bonũ & utilitas: nimirum, quòd per hoc paulatim homo ascendat ad alia divinitatis exercitia, eaq; familiaria sibi reddat. Christus enim, ut ipse de se ait, via & janua est, per quam ad Patrem quis introeat & accedat.

Ab humanitate Christi transitur ad divinitatem.

Ioan. 10. 7. & 14. 6.

4. Exercitium hoc, cùm circa Deum fit in quantum Deus est, suos item habet gradus, ut scilicet in eo semper longiùs nos diffundere possimus & extendere, ad res visibiles, nobis obvias & familiares descendendo. nam, esto verum sit, Deum neutiquam in se maiorem posse fieri; quia infinitus est, ac proinde nullum ei ad intra à nobis optari bonũ possit, quod jam de facto non habeat, exteriùs tamen in creaturis crescere & maior fieri potest, magis, inquam, ab iis cognosci, amari & glorificari. Vnde hunc quoque amorem exercere possumus, externum & accidentarium hoc bonum Deo optando.

Dei gloria exteriùs in creaturis crescere potest per gradus.

5. Cùm ergo anima in oratione considerabit, quàm Deus sit à creaturis suis amari & servirì dignus; velle & desiderare simul debet, ut omnes animæ, tam antè creatæ, quàm pòst creandæ, omnibus in rebus eum cognoscant, ament, laudent & glorificent, hac formula: Quis det, Domine, ut omnes qui in mundo sunt infideles & peccatores, ad te convertantur? quis ut nemo te offendat, omnes verò tibi obediant, seque tui cultui

Zelus animarũ & gloriæ Dei, est amor Dei.

cultui

cultui tam modò, quam in perpetuas æternitates, impendant? *Sanctificetur nomen tuum.* Et, *Omnis terra adoret te, & psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo.* Hîc porro mille obsequiorum à creaturis Deo præstandorum, modos excogitare possumus, eosque ei optare. Secundum hæc quisque descendere debet ad desiderandum, ut Dei voluntas, atque adeò quidquid maior eius est gloria, in iis quæ ad se pertinent adimpleatur; id omne facere semper studendo, quod Dei voluntatem, & eius gloriam, esse intellexerit: juxta id quod de se Redemptor Iesus in Evangelio ait: *Ego, quæ placita sunt ei* (Patri meo) *facio semper.* Nam ut Ioannes Apostolus scribit, *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est: qui autem servat verbum eius, verè in hoc caritas Dei perfecta est.*

Matt.6.9. Psa.65.4. Ioan.8.29. 1.Ioan.2.4

Laborandum non modò ut omnes voluntatem Dei faciant, sed & tu ipse.

6. Quapropter ad Deum amandum, totalemque cum eius beneplacito conformitatem habendum, satis non est, ut homo in Dei bonis sibi complaceat & gaudeat, velitque ut reliquæ omnes creaturæ Deũ ament & glorificent; verùm insuper requiritur, ut ipse divinæ voluntati adimplendæ totum se offerat & devoveat. Atque hunc amorem anima tum exercet, cùm in oratione, vera voluntatis Dei in hac & illa re, & in aliis quæcunque occurrent adimplendæ, proposita & desideria concipit. Quod est exercitium, in quo ordinariè in oratione nos exercere solemus.

7. Spatiosum quendam hoc in specimine campum aperuimus, occupandi nos, dum orationi insistimus, multo tempore in hoc exercitio; simul etiam utilitatem, & insignem quæ in eodem continetur, perfectionem demonstravimus, ut aliud reliquum non sit, quàm manum operi admovere, & incipere jam tum hîc in terra periculum quoddam in nobis facere eius rei, in qua postea æternùm in cœlo tam eminenter & excellenter nos exercitaturi sumus. *Cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Ierusalem.* In terra quidem amoris divini ignis in nobis accendi & fumigare incipere debet, sed eius fervor, inflammationes, altitudo & perfectio nonnisi in cælesti illa Ierusalem, id est in gloria sempiterna, locum habebit atque exeretur.

Conclusio hic ut cendatur ignis amoris Dei, ut in æternum ardeat. Isa.31.[9]

FINIS PRIMÆ PARTIS.

